St. Albert's College Library

Rome - 19

St. Albert's College Library

# PHILOSOPHIA

# MORALIS ET SOCIALIS

TOMUS PRIOR

## ETHICA GENERALIS

APPROBATIONES

Opus, cui titulus est *Philosophia Moralis et Socialis, T. I. Ethica Generalis*, auctore R. P. Fr. Leonardo Lehu, legimus et approbamus.

Romæ, e Collegio Angelico, 25 aprilis 1913.

Fr. Eduardus Hugon, O. P.
S. Th. Mag.

Fr. Maria-Franciscus Alessandroni, O. P.
S. Th. Mag.

---

IMPRIMI POTEST

Fr. Hyacinthus Mª Cormier
M. G. O. P.

---

IMPRIMATUR

Parisiis, die 23 Maii 1913.
P. Fages
v. g.

Fr. LEONARDUS LEHU
ORD. PRÆD.

# PHILOSOPHIA MORALIS ET SOCIALIS

PRÆLECTIONES HABITÆ
IN PONTIFICIO INTERNATIONALI
COLLEGIO ANGELICO
DE URBE

TOMUS PRIOR

## ETHICA GENERALIS

PARISIIS
APUD VICTOREM LECOFFRE
J. GABALDA, Editorem
VIA DICTA BONAPARTE, 90
1914

# PRÆFATIO

In Studentium nostrorum gratiam prodeunt hæ Prælectiones Philosophiæ Moralis.

Non tamen solis Philosophiæ Studentibus, sed etiam Theologis, uti speramus, prodesse poterunt. Nam Theologia Moralis, prout hodie in scholis docetur, cum tota ordinetur ad Moralem practicam, brevius quam oporteret principia fundamentalia scientiæ moralis exponere consuevit, licet aliunde ex Manualibus vere eximiis in ordine suo tradatur. Ideo multis proderit hunc nostrum Tractatum speculativum suis Manualibus Theologiæ practicæ adjungere, ut sic vere scientificam cognitionem acquirere possint, nam « certitudo scientiæ tota oritur ex certitudine principiorum; tunc enim conclusiones per certitudinem sciuntur, quando resolvuntur in principia[1] ».

His præcipue temporibus maxime necessarium erat vera fundamenta moralitatis et obligationis stabilire, et in hoc specialem curam apposuimus.

Hoc insuper intentum in toto Tractatus decursu prosecuti sumus, genuinam scilicet S. Thomæ doctrinam exponere, defendere et restituere, non solum quia ad hoc ex officio tenemur, et ut satisfiat

1. *Verit.*, q. 11, a. 1, ad 13.

1543

expectationi Studentium qui ex dissitis regionibus ad Scholas nostras properant, sed etiam quia, longa experientia edocti, pro comperto habemus nihil efficacius inveniri posse ad evertendos nefandos errores morales nostri temporis, quam hæc Angelici Præceptoris nostri doctrina.

# PHILOSOPHIA MORALIS ET SOCIALIS

## PROLOGUS

1. **Tertia pars Philosophiæ.** Tripartitam Philosophiæ divisionem ab antiquo receperunt Philosophi. Post *Ciceronem*[1], *S. Augustinus* istius divisionis auctorem censet ipsum Platonem : « Plato philosophiam perfecisse laudatur quam in tres partes distribuit[2] », et iterum : « Quantum intelligi datur, hinc philosophi sapientiæ disciplinam tripertitam esse voluerunt : imo tripertitam esse animadvertere potuerunt (neque enim ipsi instituerunt ut ita esset, sed ita esse potius invenerunt) cujus una pars appellaretur *physica*, altera *logica*, tertia *ethica*[3]. »

Præfatæ divisionis ratio proponitur a *S. Thoma* (in 1 *Ethic.*, l. 1) : Sapientis est ordinare, id est ordinem ponere in his quæ cognoscuntur : sapientia enim est potissima perfectio rationis, cujus proprium est cognoscere ordinem. *Atqui.* Tripliciter ad rationem comparatur ordo cognoscendorum : Est enim unus ordo quem ratio considerat et non facit (**Metaphysica**, sub qua comprehenditur etiam **Physica**); et est ordo quem ratio considerando facit, sive in actibus ipsius rationis (**Logica**), sive in actibus voluntatis (**Ethica**). *Ergo.* Tres sunt partes philosophiæ.

Eadem a recentioribus admittitur divisio, licet aliter eam exponant[4].

### § 1. — Quid sit Ethica.

2. I. **Quantum ad nomen.** *Ethica* græce trahitur ab ἦθος, sicut latine *Moralis* a *more.* Ἦθος et *mos* singulariter dicta significant consue-

1. *Academic. Post.*, l. 1, c. 5.
2. *De Civit. Dei*, l. 8, c. 4.
3. *Ibid.*, l. 11, c. 25.
4. Cf. Kant, *Fundamenta Metaphysicæ morum*, Præf.; I. Vanni, *Lezioni di Filosofia del Diritto*, p. 1, c. 1.

tudinem; pluraliter vero ἤθη et *mores* dicunt inclinationem quamdam naturalem vel quasi naturalem ad aliquid agendum[1]. Et quia propria inclinatio hominis est voluntas, transsumptum est verbum *moralis* ad designandum aliquid pertinens ad voluntatem, v. g. virtus moralis, scientia moralis, causa moralis, certitudo moralis.

Indifferenter igitur dici potest : Ethica vel Moralis. Ciceroni magis arridebat Moralis : « Quod ἦθος Græci vocant, nos eam partem Philosophiæ de moribus appellare solemus; sed decet augentem linguam latinam vocare Moralem[2]. » In præsenti tamen Prologo ubi tractatur de Philosophia Morali, brevitatis causa dicetur simpliciter Ethica.

3. II. **Quantum ad rem. Utrum sit scientia.** Id negavit *Epicurus* cum paucis in antiquitate dicentibus Ethicam non differre a prudentia. Ex altera parte quidam ex recentioribus, ut *Durkheim*, *Levy-Bruhl*, tenent Ethicam practicam nullimode habere rationem scientiæ, sed artis.

*Conclusio.* **Ethica est scientia.**

*Probatur.* Ad rationem scientiæ duo requiruntur : 1° cognitio certa et evidens per demonstrationem acquisita, quo distinguitur scientia a simplici notitia, fide, opinione; 2° complexus plurium conclusionum ex communibus principiis procedentium et ad idem objectum pertinentium, ita ut ex principiis et conclusionibus resultet unum corpus doctrinæ systematico ordine dispositum. *Atqui.* Illa duo in Ethica reperiuntur, ut manifestum erit ex dicendis in toto decursu tractatus. *Ergo.* Ethica est scientia.

Objectiones fieri solitæ, cum procedant ex objecto Ethicæ, solventur infra, cum de ipso Ethicæ objecto determinatum fuerit.

1. S. Thomas, 1ª 2æ, q. 58, a. 1 : « Mos duo significat. Quandoque enim significat consuetudinem, sicut dicitur Act. xv : *Nisi circuncidamini secundum Moysi morem, non poteritis salvi fieri.* Quandoque vero inclinationem quamdam naturalem vel quasi naturalem ad aliquid agendum; unde etiam brutorum animalium dicuntur aliqui mores, unde dicitur 2 Machab. xi, quod *leonum more irruentes in hostes prostraverunt eos* et sic accipitur mos in Ps. 67, ubi dicitur : *Qui habitare facit unius moris in domo.* Et hæ quidem duæ significationes in nullo distinguuntur apud Latinos quantum ad vocem; in Græco autem distinguuntur, nam ethos quod apud nos morem significat, quandoque habet primam longam et scribitur per η græcam litteram; quandoque habet primam correptam et scribitur per ε. » Cf. in 3, d. 23, q. 1, a. 4, qcl. 2 et in 2 *Ethic.*, l. 3. Quæ tamen dicit S. Thomas circa differentiam inter ἔθος et ἦθος a recentioribus non admittuntur philologis qui putant esse duas formas ejusdem verbi. Aliqualis tamen differentia insinuata videtur ex verbis Aristotelis : « parum admodum ἀπὸ τοῦ ἔθους τὸ ἦθος deflectit » (*Ethic.*, l. 2, c. 1).

2. *De Fato*, c. 1.

§ 2. — Objectum Ethicæ.

4. **Scientiarum objectum multiplex.** Cujuslibet potentiæ vel habitus distinguitur objectum *materiale* et objectum *formale*.

Objectum *materiale* est id quod cognoscitur vel scitur : sic homo, lapis, domus est objectum materiale visus.

Objectum *formale* est id quod primo et per se attingitur in objecto materiali : sic coloratum est objectum formale visus et ratio cur visus videat objecta materialia.

Objectum vero formale est duplex : objectum *quod* et objectum *quo,* aliis verbis *ratio formalis quæ* et *ratio formalis sub qua*. Ratio formalis *quæ* constituit formaliter talem rem in tali esse reali; ratio formalis *sub qua* constituit formaliter eamdem rem taliter scibilem in tali esse scibili[1]. Sumatur exemplum ex Mathematicis ubi solvi potest aliquando idem problema duplici via, ex principiis scilicet vel Arithmeticæ vel Algebricæ : ex diversis enim principiis sequitur diversa scibilitas objecti. Principia igitur unde procedit demonstratio sunt *ratio formalis sub qua*.

5. I. Objectum materiale. — *Conclusio.* **Objectum materiale Ethicæ est actus humanus.**

Hæc tamen conclusio, sicut et sequentes de objecto, non tam demonstratione indiget quam expositione, cum nulla scientia proprium suum objectum demonstret.

Porro hic duo ponuntur : *actus* et *humanus*.

Per *actum*, intelligitur actus secundus, seu operatio juxta sensum declaratum in Ontologia.

Per hoc vero quod dicitur actus *humanus*, excluduntur : 1° operationes brutorum animalium; quidquid enim asserant pauci recentiores, certum est, et consentit sensus communis, activitatem brutorum non regi a Morali qualicumque; 2° operationes illæ quæ, licet sint *hominis,* non tamen proprie sunt *humanæ*.

Summi momenti est præfata distinctio inter *actiones hominis* et *actiones humanas*. Cf. 1ª 2æ, q. 1, a. 1. Actiones enim quæ quocumque modo procedunt ab homine dicuntur actiones *hominis*, quia actiones sunt suppositorum, sic actiones sive deliberatæ sive indeliberatæ, actus vitæ vegetativæ, actus reflexi physiologorum. Solæ vero dici possunt proprie *humanæ* quæ procedunt ab homine formaliter ut est homo; et quia differt homo ab irrationalibus creaturis

1. Cajetan., in 1ª p., q. 1, a. 3.

in hoc quod per rationem et voluntatem est suorum actuum dominus, actiones humanæ sunt quæ ex voluntate deliberata procedunt[1].

6. *Scholion.* **Actus humanus idem est actus liber.** Cum libertas magis proprie ad Psychologiam pertineat, exemplo S. Thomæ[2], libertatis demonstrationem omittimus « ut non sequatur hoc inconveniens ut in scientia operativa fiant sermones plures ad opera non pertinentes..... Est enim in unaquaque scientia vitiosum ut homo moretur extra scientiam[3] ».

Manifestum quidem est, sublata libertate, ruere totum ordinem moralem. Talis enim opinio « est annumeranda inter extraneas philosophiæ opiniones, quia subvertit omnia principia philosophiæ moralis. Si enim non sit aliquid liberum in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum et punitio et laus et vituperium, circa quæ Moralis Philosophia consistit. Hujusmodi autem opiniones quæ destruunt principia alicujus partis Philosophiæ dicuntur positiones extraneæ, sicut nihil moveri, quod destruit principia scientiæ naturalis[4] ». Errant tamen qui, cum *Fouillée*, existimaverunt unicum libertatis argumentum desumi ex ordine morali, ita ut Aristoteles et Scholastici a circulo vitioso non fuerint immunes, libertatem demonstrantes ex ordine morali, iterumque demonstrantes ordinem moralem ex libertate. Nullus datur circulus vitiosus, nam libertas demonstratur in Psychologia ex spiritualitate animæ, nosque ex libertate demonstramus moralitatem.

7. II. Objectum formale. — *Conclusio.* **Objectum formale Ethicæ est Moralitas.**

*Declaratur.* Etiam in Psychologia tractatur de actibus humanis, non tamen sub eodem respectu. A Psychologia enim considerantur actus humani quoad suam entitatem physicam, quatenus procedunt a facultate vitali ; ad Ethicam vero pertinent iidem actus ratione cujusdam proprietatis non jam ordinis physici sed alterius ordinis, quæ dicitur Moralitas. Quid sit Moralitas, fusius disputabitur infra (1ª p., c. III.) In præsenti, sufficiat brevem hanc notionem tradere : Moralitas est illa proprietas non physica, sed sui generis, ratione cujus actus humani

1. *Malo*, q. 2, a. 5 : « Dico actum humanuum qui est a voluntate deliberata » ; a. 4 : « In tantum sunt actus humani in quantum sunt actus rationis. » 2, d. 25, q. 1, a. 3, ad 3 : « Homo ex hoc dicitur homo quod rationem habet. Unde illi tantum actus dicuntur actus humani qui sunt virium rationalium, vel per essentiam, vel per participationem, sicut actus concupiscibilis et irascibilis. Virtutes autem nutritivæ partis nullo modo rationem participant, ut in 1 *Ethic.* dicitur : unde earum actus operationes humanæ non dicuntur. »

2. S. Thomas agit de libertate in 1ª p., q. 82 et 83.

3. *In* 1 *Ethic.*, l. 11.

4. *Malo*, q. 6, a. un.

dicuntur boni vel mali secundum quod habent convenientiam vel repugnantiam cum regula morum.

8. Ratio formalis sub qua. — *Conclusio.* **Ratio formalis sub qua Ethicæ sunt prima principia rationis practicæ.**

*Declaratur.* Sic principaliter differt Ethica a Theologia morali. Ratio enim *sub qua* cujuslibet scientiæ sunt principia ex quibus scientia suas conclusiones demonstrat (n. 4). Theologia Moralis demonstrat conclusiones suas ex principiis supernaturaliter revelatis, Ethica vero ex principiis naturaliter cognitis, et ideo dicitur : prima principia rationis practicæ.

Porro ratio practica non differt realiter a ratione speculativa : est enim una ratio, quæ si ex parte finis consideretur, distinguitur speculativa vel practica. Et sicut in ratione speculativa prima principia speculativa pertinent ad habitum qui dicitur intellectus principiorum, ita in ratione practica prima principia practica pertinent ad habitum qui dicitur synderesis (1, q. 79, a. 11).

Diximus « differt principaliter ». Ethica enin differt etiam secundario a Theologia Morali ex parte objecti materialis : sic in ordine supernaturali quædam dantur præcepta procedentia vel immediate vel mediate a divina Revelatione, v. g. de Sacramentis, de disciplina ecclesiastica, quæ non pertinent ad Ethicam.

9. **Subjectum attributionis Ethicæ est actus moralis vel ens morale.** Sequitur ex dictis. Apud quosdam enim Scholasticos vocatur subjectum attributionis illud quod resultat ex objecto tum materiali, tum formali. Et sicut subjectum Logicæ est ens logicum, subjectum Physicæ ens mobile, subjectum Metaphysicæ ens ut sic, ita subjectum Ethicæ est ens morale.

### § 3. — Scopus Ethicæ.

10. **Scopus Ethicæ est dirigere activitatem humanam in finem ultimum.**

*Declaratur.* Dicitur : 1° *dirigere.* Actus enim humani dupliciter considerari possunt, vel ut *describantur*, vel ut *dirigantur.* Recentiores quidem fautores Ethicæ sic dictæ scientificæ volunt Ethicam versari solum circa facta moralia describenda, ita ut sit quædam historia naturalis hominis. — In contrarium consensus universalis hominum usque nunc (et talis consensus universalis invictum præbet veritatis argumentum) semper tenuit, idque solido ratiocinio confirmatur, activitatem humanam explicandam esse secundum quasdam regulas : istas vero regulas investigare et decernere pertinet ad Ethicam.

Dicitur : 2° *activitatem humanam*, id est hominis ut sic. Non enim considerat Ethica activitatem hominis sub aliquo respectu particulari, verbi gratia, artificis ut est artifex, medici ut est medicus, patrisfamilias ut est paterfamilias, civis ut est civis, sed hominis prout est homo. Et inde manifestatur amplissimus campus hujus scientiæ : Licet enim artifex possit aliquando agere non ut artifex, medicus non ut medicus, etc... nunquam potest homo deliberate agens agere non ut homo. Unde nullus est actus ex activitate humana procedens, sive sit magnus, sive parvus, sive intimus, sive publicus, qui effugiat directionem Ethicæ.

Dicitur 3° *in finem ultimum*. Omnis enim motus essentialiter tendit ad aliquem terminum a quo determinationem accipit et sicut activitas limitata artificis vel medici, respectum dicit ad finem particularem artificis vel medici, ita activitas hominis dirigi debet per respectum ad finem hominis ut sic, id est ad finem ultimum.

Quæ omnia manifestantur ex analogia ad medicinam et pressius ad illam medicinæ partem quæ dicitur Hygienica : « Sic se habet politicus (id est Moralista) ad considerandum de anima cujus virtutem quærit, sicut medicus ad considerandum de corpore cujus sanitatem quærit[1]. » Hygienica pro fine habet sanitatem corporis, judicat quid ad hunc finem sit bonum vel malum, sive ex cibis, sive ex exercitationibus, ex quibus aliqua præcipit, aliqua prohibet, aliqua permittit. Sic Ethica ex consideratione finis ultimi discernit quid sit bonum vel malum moraliter et quædam præcipit, quædam prohibet, quædam permittit.

11. *Corollarium*. **Ethica est scientia practica**. *Probatur*. Scientia practiça a speculativa differt ratione finis, quia speculativa sistit in contemplatione veri, practica autem ordinat verum ad opus : « Theoretica, id est speculativa, differt a practica secundum finem. Nam finis speculativæ est veritas; hoc enim est quod intendit, sc. veritatis cognitionem. Sed finis practicæ est opus, quia etsi practici, hoc est operativi, intendant cognoscere veritatem quomodo se habeat in aliquibus rebus, non tamen quærunt eam tanquam ultimum finem. Non enim considerant causam veritatis secundum se et propter se, sed ordinando ad finem operationis, sive applicando ad aliquod determinatum particulare et ad aliquod determinatum tempus[2]. » *Atqui*. Ethica non sistit in contemplatione veri, sed ordinat verum ad opus : « Finis hujus scientiæ non est manifestatio veritatis, sed bonum

1. *In* 1 *Ethic.*, l. 19.
2. *In* 2 *Metaphys.*, l. 2.

operis[1] », et iterum « finis hujus doctrinæ non est cognitio veritatis, sed ut boni efficiamur[2] ». *Ergo*. Ethica est scientia practica.

Ex hac primaria et essentiali differentia inter scientiam speculativam et practicam sequuntur aliæ duæ differentiæ : 1ª. Scientiæ speculativæ procedunt investigando causam efficientem, quomodo sc. effectus profluat ex causa ; scientiæ vero practicæ, investigando causam finalem, quomodo agens tendere debeat in finem. « In speculativis scientiis in quibus non quæritur nisi cognitio veritatis, sufficit cognoscere quæ sit causa talis effectus ; sed in scientiis operativis quarum finis est operatio, oportet cognoscere quibus motibus seu operationibus talis effectus a tali causa sequatur[3]. » 2ª. Conclusiones scientiarum speculativarum sunt judicia circa realitatem ; conclusiones scientiarum practicarum sunt judicia circa valorem, cum valor dicatur solum per respectum ad finem. Et cum finis ultimus hominis, circa quem versatur Ethica, sit supremus et universalis, debent Morales conclusiones in scala valorum supremum tenere locum.

12. **Ethica non est idem ac prudentia.** Adversus Epicurum (n. 3).

*Probatur*. Habitus distinguuntur ex objecto formali. *Atqui*. Ethica et prudentia habent objectum formaliter diversum. *Ergo*. Sunt habitus realiter distincti.

*Probatur minor*. Nam licet utraque respiciat agibilia, id est operationes voluntatis, ac proinde utriusque sit commune objectum materiale, attamen Ethica respicit illas operationes in universali ut scientifice cognoscibiles, Prudentia vero in particulari ut hic et nunc operabiles : unde habent objectum formaliter diversum.

13. **Ethica non est ars.** Adversus quosdam recentiores qui tenent Ethicam practicam non esse scientiam sed artem : « La science est l'étude désintéressée de la vérité, l'art est l'application intéressée de la science. »

*Probatur* ex definitionibus Aristotelicis : Scientia est recta ratio scibilium, ars recta ratio factibilium et prudentia recta ratio agibilium, quas sic exponit S. Th. in 11 *Metaph*. l. 7 : « Omnis enim scientia operativa vel est activa vel factiva. Ad quam differentiam cognoscendam sciendum est quod agere et facere differunt. Nam agere proprie dicitur secundum operationem quæ permanet in agente et non transit in materiam exteriorem, sicut intelligere et sentire et hujusmodi.

1. *In* 2 *Ethic*., l. 9.
2. *Ibid*., l. 11.
3. *In* 2 *Ethic*., l. 2. Cf. 1ª 2æ, q. 18, a. 4 : « Sicut esse rei dependet ab agente et forma, sic bonitas rei dependet a fine. »

Facere autem est secundum operationem transeuntem in materiam exteriorem quæ permutatur, sicut calefacere, secare et alia. Est ergo scientia activa ex qua instruimur ad recte exercendum operationes quæ actiones dicuntur, sicut est scientia moralis; factiva autem scientia est per quam recte aliquid facimus, sicut ars fabrilis et alia hujusmodi. »

Porro Ethica versatur non circa factibilia, id est opera exteriora, sed circa agibilia, id est circa actiones humanas quas considerat ut scibiles. Unde non est ars, sed scientia.

### § 4. — De ordine morali.

14. I. **Quid sit.** 1° Quid *Ordo?* Ordo includit tria : distinctionem plurium entium, — quæ se habent ut prius et posterius, — per respectum ad unum principium[1]. Unde dici potest : unitas in multiplicitate.

2° Quid *Moralis?* Entia moralia sunt plura, — multiplices inter se habent relationes, — per respectum ad principium totius moralitatis, quod est, in ordine causæ efficientis, voluntas; in ordine causæ finalis, finis ultimus. Ex istis omnibus exsurgit mundus moralis, aliter ordo moralis.

15. II. **Quomodo se habeat ad ordinem physicum.** 1° Ordo moralis est distinctus ab ordine physico : Ordo enim physicus est complexus omnium entium quæ habent esse reale; ordo moralis complexus eorum quæ habent esse morale.

2° Inter utrumque ordinem datur intima connexio et compenetratio : actus enim humanus habet suam entitatem physicam et sic pertinet ad ordinem physicum et habet suam moralitatem ratione cujus pertinet ad ordinem moralem.

3° Ex utroque ordine resultat unus ordo altior qui vocatur ordo naturæ universalis, procedens ab uno supremo Creatore (Cf. dicenda de Lege æterna) et tendens ad unum finem qui est finis simpliciter ultimus creationis.

1. 2ª 2æ, q. 26, a. 1 : « Prius et posterius dicitur secundum relationem ad aliquod principium. Ordo autem includit in se aliquem modum prioris et posterioris. Unde oportet quod ubicumque est aliquod principium, sit etiam aliquis ordo. » Cf. *in* 12 *Metaph.*, l. 12 : « Ordo duo requirit, scilicet ordinatorum distinctionem et communicationem distinctorum ad totum. » 1, q. 42, 4. 3 : « Ordo semper dicitur per comparationem ad aliquod principium. »

### § 5. — Definitio Ethicæ.

16. Ethica definitur : *Scientia directiva actuum humanorum in finem ultimum secundum ordinem rationis.*

Dicitur 1° *Scientia,* quod est genus (n. 3) ; reliqua definitionis pertinent ad differentiam specificam.

2° *directiva,* quia Ethica est scientia practica (n. 10 et 11).

3° *actuum humanorum,* et sic designatur objectum materiale Ethicæ (n. 5 et 6).

4° *in finem ultimum,* ad designandum objectum formale, quia Moralitatis (n. 7) ratio habetur ex fine ultimo qui supremum occupat locum in scala valorum (n. 11).

5° *secundum ordinem rationis,* et sic designatur ratio formalis sub qua Ethicæ (n. 8).

### § 6. — Necessitas et excellentia Ethicæ.

17. I. Necessitas Ethicæ. — *Conclusio* 1ª. **Quovis tempore Ethica fuit in se absolute necessaria.**

*Declaratur.* Non singulis hominibus necessaria est scientifica cognitio Philosophiæ moralis, ut de se manifestum est : possunt enim rudes sufficientem obtinere cognitionem rerum moralium, sive ex testimonio propriæ conscientiæ, sive maxime ex sapientium doctrina, sed Ethica sicut Philosophia, necessaria est generi humano.

*Probatur.* Ethica dirigit activitatem humanam, id est activitatem hominis ut sic. *Atqui* sicut nullus artifex vel medicus potest artis suæ regulas ignorare, ita nullus est homo qui suo modo scire non debeat regulas activitatis humanæ. *Ergo.* Omnes homines aliquo modo scire debent conclusiones Ethicæ vel per propriam scientiam vel cognitione derivata ab aliorum scientia. *Ergo.* Generi humano absolute necessarium est ut aliqui sapientes firmam et indubitatam scientiam habeant de regulis morum, ut possint efficaciter alios docere.

*Confirmatur* 1° ex amplitudine objecti hujus scientiæ, quia non solum omnis homo debet regulis Ethicæ vitam suam conformare, sed nulla est actio humana quæ Ethicæ directionem effugiat (n. 10); 2° ex ingenti effectu quem sæpe una actio humana producere nata est sive ad profectum sive ad damnum totius societatis ; sic una negligentia causare potest ruinam vel etiam mortem multorum hominum, unus actus principis universæ gentis cladem procurare.

18. *Conclusio* 2ª. **Nostris diebus specialiter necessarium est studium Ethicæ.**

*Probatur.* Ex multiplicitate, gravitate et noxitate errorum modernorum, quos in decursu tractatus impugnabimus.

Plurimi enim Philosophi, novissimis his temporibus, relicta Metaphysica, scripserunt circa res morales, in Gallia de Ethica proprie dicta in Italia de Philosophia juris, in Anglia et Germania de Ethica et de Jure.

Cujus facti ratio assignari potest vulnus sanæ Philosophiæ illatum a Criticismo Kantistico : vi enim istius relativismi subjectivi, corruit quodlibet absolutum, solo excepto absoluto morali. Ideo, post Kantium, conantur multi saltem hoc absolutum morale conservare. Alii hujus absoluti moralis, imo et totius Ethicæ novum fundamentum quærunt, ne pereat Societas quæ sine Ethica subsistere non potest. Alii tandem omnis Ethicæ destructionem libenter admittentes, talis principii consectaria prosequuntur etiam usque ad ipsius societatis eversionem : ita anarchistæ.

Contra quos omnes veræ Ethicæ fundamenta firmiter sunt stabilienda.

19. *Scholion.* **Novus Ethicæ conceptus juxta quosdam recentiores.** Nostris diebus non solum conclusiones, imo nec solum fundamenta impugnantur Ethicæ; multi autumant ipsum traditionalem conceptum hujus scientiæ esse removendum.

Ante omnia volunt Ethicam esse scientiam non practicam sed speculativam, cujus objectum sit realitas ethica describenda, unde excludunt quodlibet ideale prosequendum : et hoc vocant Ethicam scientificam, cujus methodus sit ipsa methodus aliarum scientiarum naturalium.

Processit iste novus Ethicæ conceptus ex recentioribus erroribus qui ad quatuor principaliores reduci possunt : 1° Errores J.J. Rousseau de absoluta libertate et æqualitate, qui viam paraverunt Revolutioni; 2 Idealismus criticus Kantii, qui omne absolutum destruxit in ordine intellectuali; 3° Positivismus Materialistarum, qui suæ methodo omnes scientias subjicere contendit; et tandem 4° Evolutionismus Darwinianus qui ex mundo physico in mundum moralem ab H. Spencer translatus est. Qui licet in pluribus contradictorii sint, etiam post dimissum ipsum errorem in modernorum mentibus reliquerunt singuli specialem aversionem a veritate.

20. II. Ethicæ Excellentia. — *Conclusio.* **Scientiarum practicarum est simpliciter excellentissima.**

Dicitur « practicarum » quia merito sibi vindicat Metaphysica principatum super omnes omnino scientias.

*Probatur.* « Practicarum scientiarum illa dignior est quæ ad ulteriorem finem ordinatur; sicut civilis militari, nam bonum exercitus ad bonum civitatis ordinatur[1]. » *Atqui.* Ethica ordinatur ad finem simpliciter ultimum totius vitæ humanæ. *Ergo.* Est simpliciter dignissima.

### § 7. — Unitas Ethicæ.

21. Distinguitur Unitas duplex : *Transcendentalis* et *Numerica.* Transcendentalis excludit divisionem et Numerica multiplicitatem. De utraque potest moveri quæstio.

22. I. De unitate transcendentali. — Ratio dubitandi est quia sunt in Ethica principia speculativa et conclusiones practicæ et quibusdam visum est illas duas partes non adunari nisi unione accidentali, imo solum apparenti.

*Conclusio.* **Ethica est scientia essentialiter una.**

*Probatur.* Unitas scientiæ sequitur ex unitate objecti. *Atqui.* Utriusque partis Ethicæ unum est objectum, id est actus moralis; itemque finis essentialiter unus, sc. dirigere activitatem humanam in ordine ad finem ultimum; unde conclusiones practicæ profluunt ex principiis speculativis. *Ergo.* Ethicæ est unum quid et non duæ res accidentaliter unitæ.

23. *Objiciunt.* Conclusiones practicæ nullimode profluunt ex principiis speculativis, *quod probatur :* De conclusionibus practicis, v. g. furtum est vitandum, satis communiter conveniunt Moralistæ, licet sequantur principia speculativa sæpe contraria. *Sed.* Eadem conclusio non potest æque procedere a principiis contradictoriis. *Ergo.* Conclusiones nullo modo sequuntur ex principiis. Imo potius fatendum esset principia speculativa ex ipsis practicis conclusionibus pendere.

*Respondeo.* 1° *indirecte*, augendo difficultatem. Etiam rustici cum doctis conveniunt de conclusionibus et tamen quasi nihil sciunt de principiis speculativis.

2° *directe.* Conclusionum moralium, sicut et multarum aliarum rerum, duplex est cognitio : una scientifica, altera non scientifica, v. g. cognoscitur eclipsis ab omnibus testibus phenomeni, scientifica vero cognitio solius est astronomi. Sic conclusionum moralium cognitio hominibus satis facilis est et communis, vel per dictamen conscientiæ, vel ex educatione, etc... Cum igitur facilior et communior sit conclusionum quam principiorum cognitio, non est mirum si magis consen-

1. 1, q. 1, a. 5.

tiant homines de conclusionibus quam de principiis. Non tamen derivantur principia a conclusionibus, ut voluerunt quidam : rerum enim moralium scientifica non est cognitio nisi continua colligatione a supremis principiis ad infimas conclusiones procedatur. Unde ab objectionem respondeo : *Nego antecedens*, ad cujus probationem, *concessa majore*, *distinguo minorem :* non potest procedere ab utraque contradictoria, *concedo ;* non potest, ita ut ab una procedat recte et ab altera apparenter tantum, *nego.*

*Instant.* Saltem fieri deberet utriusque partis separatio. *Et probatur* exemplo medicinæ. Olim ad medicinam pertinebant multa extranea, v. g. Biologia, Physiologia, ex quorum remotione valde profecit medicina; unde plura inventa medicis utilissima reperiuntur non jam a medicis, sed a chimistis vel aliis.

*Respondeo. Nego antecedens* et *nego paritatem* allatam : Utiliter separantur quæ realiter diversa sunt, quod contingit in exemplo proposito. Sed quæ divisa sunt in inferioribus uniuntur in superioribus, ideo in suprema scientia, quæ est Philosophia, manet unitas et indivisio[1].

24. II. De unitate numerica. — Hic tangitur gravissima quæstio de mutabilitate legis naturalis, de qua infra in Tractatu de Legibus. In præsenti breviter respondetur : Ethicam esse simpliciter et formaliter unam pro omnibus hominibus quorumlibet temporum vel locorum.

Quod illustratur exemplo hygienes, quæ est formaliter una pro omnibus hominibus, quia in omnibus eadem est natura, sed tamen adsunt specialia hygienes præcepta pro tempore hiemis vel æstatis, pro regionibus calidis vel frigidis, pro valentibus vel infirmis, pro laborantibus sic vel aliter. Sic Ethica est formaliter una, quia omnes homines, utpote ejusdem naturæ, tendunt ad eumdem finem. Cum vero tendant per vias diversas, non est mirum si quædam specialia præcepta magis accommodata sint necessitatibus temporum vel conditionum humanæ vitæ.

Sic excluditur error *Nietzche* qui duas distinguit categorias hominum : homines communes, sive bestias de grege, qui legibus Ethicæ subjiciuntur et superhomines, sive bestias de præda, omni lege superiores.

1. « In omnibus virtutibus ordinatis communiter invenitur quod virtus superior ad plura se extendit et tamen est unica; virtus vero inferior se extendit ad pauciora et tamen multiplicatur respectu illorum, sicut patet in imaginatione et sensu : nam una vis imaginationis se extendit ad omnia quæ quinque vires sensuum cognoscunt et ad plura. » *Cont. Gent.*, l. 1, c. 65.

### § 8. — Methodus in Ethica.

Cum methodus sit via ad certitudinem, agendum 1° de certitudine in Ethica; 2° de ipsa methodo.

25. I. De certitudine in rebus moralibus. — Ut notat S. Thomas (in 1 *Ethic.*, l. 3) : « Ad hominem disciplinatum pertinet ut tantum certitudinis quærat in unaquaque materia, quantum natura rei patitur. » Non igitur quæratur in Ethica certitudo metaphysica, sed solum moralis. « Non enim potest esse tanta certitudo in materia variabili et contingenti, sicut in materia necessaria semper eodem modo se habente. » Imo hujus certitudinis moralis non unus gradus erit : eo minor enim erit certitudo, quo magis recedunt conclusiones a principiis universalibus et versantur circa quæstiones particulares. « Et ideo auditor bene disciplinatus non debet majorem certitudinem requirere nec minori esse contentus quam sit conveniens rei de qua agitur. »

26. II. De ipsa methodo. — Duplex est methodus : *Analytica* et *synthetica*. *Analytica,* seu inductiva, quæ a compositis et particularibus procedit ad simplicia et universalia : ipsa est quæ his temporibus ad tantum perfectionis gradum perduxit scientias physicas. *Synthetica* seu deductiva, quæ a simplicibus et universalioribus procedit ad composita et minus universalia : ipsa est quæ principaliter adhibetur in scientiis mathematicis. Quærunt igitur utrum Ethica uti debeat methodo inductiva vel deductiva.

Cavendus duplex excessus : 1° Idealismus exaggeratus. Error fuit *Kantii* qui Psychologiam excludens ab Ethica morale systema excogitavit, novum quidem, sed cujus fundamenta, ait quidam, superædificantur nubibus cæli. Item erravit *J. J. Rousseau* qui homini in concreto tribuit proprietates hominis in universali. — 2° Empirismus exaggeratus. Sic Positivistæ, qui Ethicam restringunt ad considerationem factorum moralium ex quibus solis Ideale morale deducere contendunt. Ab hoc vitio non satis immunes sunt in materia juridica, licet sæpius deveniant ad conclusiones veras, *de Savigny* (Schola historica), *Le Play* (Schola pacis socialis).

Cujuslibet scientiæ methodus determinatur ex ejus objecto et fine. « Modus manifestandi veritatem in qualibet scientia debet esse conveniens ei quod subjicitur sicut materia in illa scientia[1]. » Cum ad Ethicam pertineat dirigere activitatem humanam ad finem ultimum,

1. *In* 1 *Ethic.*, l. 3.

istius activitatis regulas colliget ex consideratione naturæ humanæ, quod est objectum Psychologiæ[1]. Ideo, sicut et Psychologia, erit partim empirica et inductiva : cognitio enim naturæ non habetur a priori sed ex experientia; partim deductiva, utendo scilicet principiis Metaphysicis, sive speculativis, v. g. quisnam sit finis ultimus hominis, sive practicis, v. g. bonum est faciendum.

27. *Objiciunt.* 1° Vera via perveniendi ad legem generalem est per singularia, id est inductio. Unde methodus positiva quæ in scientiis naturæ tam præclaros edidit fructus, etiam hic est adhibenda.

*Respondeo.* Ex dictis « modus manifestandi veritatem in qualibet scientia debet esse conveniens ei quod subjicitur sicut materia in illa scientia » unde methodus Ethicæ erit quidem inductiva, quia « quæ pertinent ad moralem maxime cognoscuntur per experientiam[2] » præcipue in applicationibus practicis, sed non exclusive inductiva : phenomenorum enim cognitio empirica nunquam ducet ad cognitionem illius idealis quo regulatur humana activitas, et quod proprie pertinet ad Metaphysicam[3].

28. *Objiciunt.* 2° Ethica traditionalis innititur postulato falso, sc. conceptu naturæ humanæ. Sed iste conceptus est valde indeterminatus. Non enim habemus conceptum hominis ut sic, sed hominis Europæi viventis in hoc sæculo, præter quem sunt alii homines cum moribus valde diversis. Imo ad cognoscendum hominem parum profert historia, quia modus noster civiliter vivendi fructus est vitæ græco-romanæ quam reproducit. Utiliorem præbent materiam antiqua monumenta quæ remanserunt in Ægypto vel in Oriente. Utilissimum vero subsidium afferunt descriptiones vitæ barbararum incultarumque gentium.

*Respondeo.* Etiam anatomista, post peractam dissectionem, judicat

1. « Non possumus perfecte ad scientiam moralem pervenire nisi sciamus potentias animæ. Et inde est quod Philosophus in Ethicis attribuit quaslibet virtutes diversis potentiis animæ. » *In* 1 *de Anima*, l. 1.

2. *In* 1 *Ethic.*, l. 3.

3. *Ibid.* Quare in scientiis moralibus non debeant expectari iidem progressus ac in scientiis physicis exponit *Le Play* : « Le monde physique comprend une multitude d'éléments primordiaux qui se groupent selon des combinaisons nombreuses. Ces combinaisons se modifient elles-mêmes à l'infini sous l'influence des forces vitales..... Les sciences morales, au contraire, n'ont à vrai dire qu'un seul objet, l'étude de l'âme et de ses rapports avec Dieu et l'humanité. Chacun peut donc trouver en lui-même ses moyens d'instruction dans les sentiments qui se développent aux diverses époques de la vie. On comprend qu'un sujet si simple ne comporte qu'un petit nombre de vérités, dont la connaissance a pu être révélée, dès l'origine de l'humanité, à quelques esprits supérieurs. C'est pourquoi les innombrables penseurs qui, chez toutes les races, ont recommencé l'analyse des vertus et des vices, n'ont eu rien à ajouter au Décalogue de Moïse et à la sublime interprétation qu'en a donnée Jésus-Christ. » *La Réforme sociale en France*, Introd., c. 3.

se cognoscere corpus humanum nec requirit dissectionem corporis hominum ex singulis gentibus. Ita et nos ex consideratione rite peracta concludere possumus conditiones naturæ humanæ ut sic. Et si, v. g. ad profectum hygienes parum refert cognoscere praxim gentium barbararum, a pari ad profectum scientiæ moralis haud multum conducet cognitio morum istarum gentium incultarum.

29. **De usu doctrinæ revelatæ.** — Theologia Moralis dirigit activitatem hominis in ordine supernaturali, Ethica vero in ordine naturali. Unde « æquum plane est sua methodo, suisque principiis et argumentis uti philosophiam, non ita tamen ut auctoritati divinæ sese audacter subtrahere videatur ». Leo XIII, Const. *Æterni Patris*.

Ideo Philosopho Christiano doctrina Ecclesiæ erit non solum criterium negativum[1], sed etiam data opportunitate criterium positivum : stultum enim foret divinæ revelationis lumen contemnere quo facilis et tuta traditur solutio abstrusarum quæstionum in quibus sapientiores in antiquitate turpiter erraverunt. « Et sane philosophorum veterum qui fidei beneficio caruerunt, etiam qui habebantur sapientissimi in pluribus deterrime errarunt[2]. » Citare sufficiat errorem Platonis circa communitatem mulierum, errorem Aristotelis circa jus paternum, errores circa religionem, circa Metempsychosim, etc...

30. **Speciali laude decoratur doctrina moralis S. Thomæ.** « Domestica vero atque civilis societas quæ ob perversarum opinionum pestem quanto in discrimine versetur, universi perspicimus, profecto pacatior multo et securior consisteret, si in Academiis et scholis sanior traderetur et magisterio Ecclesiæ conformior doctrina qualem Thomæ Aquinatis volumina complectuntur. Quæ enim de germana ratione libertatis, hoc tempore in licentiam abeuntis, de divina cujuslibet auctoritatis origine, de legibus earumque vi, de paterno et æquo summorum Principum imperio, de obtemperatione sublimioribus potestatibus, de mutua inter omnes caritate : quæ scilicet de his rebus et aliis generis ejusdem a Thoma disputantur, maximum atque invictum robur habent ad evertenda ea juris novi

1. Conc. Vatic., Const. *Dei Filius*, c. 4 : « Nulla unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest : cum idem Deus qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit. Deus autem negare seipsum non possit nec verum vero unquam contradicere. » Unde damnatæ sunt in *Syllabo*, prop. 14 : « Philosophia tractanda est nulla supernaturalis revelationis habita ratione », et 57 : « Philosophicarum rerum morumque scientia, item civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare », et Decr. *Lamentabili*, prop. 63 : « Ecclesia sese præbet imparem ethicæ evangelicæ efficaciter tuendæ, quia obstinate adhæret immutabilibus doctrinis quæ cum hodiernis progressibus componi nequeunt. »

2. Leo XIII, Const. *Æterni Patris*.

principia quæ pacato rerum ordini et publicæ saluti periculosa esse dignoscuntur. » Leo XIII, Const. *Æterni Patris*[1].

31. **Dotes Studentium.** Secundum Aristotelem[2], juvenes sunt minus apti ad studium Ethicæ, duplici de causa : 1° quia carent experientia; 2° quia in eis dominantur impetus passionum quæ rationis judicium perturbant. Addit tamen id intelligendum esse de illis qui non solum ætate sunt juvenes sed etiam moribus. Ideo si juvenes habeant mores graves, fructuose huic studio incumbent.

### § 9. — Quomodo se habeant Ethica et Sociologia.

(Deploige, *Le conflit entre la morale et la sociologie.*)

32. Tenent multi recentiores Ethicam esse partem Sociologiæ. Ethica enim, aiunt, versatur circa facta socialia. Sed facta socialia sunt vel moralia, vel religiosa, vel œconomica, vel juridica, vel politica et in hoc discernuntur facta moralia et juridica a cæteris factis socialibus quod nobis exhibentur ut prædita aliqua sanctione. Unde objectum Ethicæ se habet ad objectum Sociologiæ ut pars ad totum : non enim concipi potest factum morale extra Societatem.

*Respondetur.* 1° Actuum humanorum moralitas, quæ est proprium objectum Ethicæ, non pendet a Societate, ut fusius suo loco demonstrabitur, nam *a*) falsum est dari non posse factum morale nisi simul sit sociale, sic v. g. si quis vel oret vel blasphemetur Deum in abscondito absque testibus, tunc aderit actus moralis et non socialis; *b*) licet sæpius actus humani induant characterem socialitatis, non sequitur quod ideo sunt morales quia sociales.

2° Non subordinatur Ethica Sociologiæ, sed econtra vera Philosophia Socialis subordinari debet Philosophiæ Morali. — Dico « vera Philosophia Socialis » quia recens invaluit nova quædam scientia, dicta Sociologia; nova, inquam, non tam ratione objecti, quia de societatum legibus jam disputavit Aristoteles necnon et multi alii, quam ratione methodi, sc. positivæ, et primatus quem indebite sibi arrogat. De habitudine inter hominem et societatem tractabitur infra. Hic ad præsentis dubii solutionem sufficiat breviter respondere : Scientiarum ordinatio attenditur ex fine, unde altior est illa quæ ordinatur ad superiorem finem. *Atqui.* Finis Ethicæ superior est fine Philosophiæ Socialis, *et probatur :* Ista enim respicit bonum Societatis, seu bonum hominis quatenus est membrum Societatis; illa bonum hominis ut sic.

1. Plura alia testimonia legi possunt apud Signoriello, *Philosophia moralis*, t. I, n. 14.
2. 1 *Ethic.*

Sed altius est bonum hominis ut sic, quam bonum hominis sub aliquo respectu particulari considerati, v. g. ut est artifex, ut est paterfamilias, ut est membrum civitatis. *Ergo.* Altior est finis Ethicæ. — Ergo. Ethicæ subordinari debet Philosophia Socialis.

### § 10. — Divisio Ethicæ.

33. Dividitur scientia Moralis in *Generalem* et *Particularem.* Ita S. Thomas (1ª 2æ, in Prol. ante q. 6) : « Moralis igitur consideratio quæ est humanorum actuum, primo quidem tradenda est in universali, secundo vero in particulari. » Et istæ duæ partes se habent ut Ontologia et Metaphysica specialis.

Ab Aristotele dividitur in *Monasticam*, *Œconomicam* et *Politicam*, id est individualem, domesticam, civilem. Quod quidem potest admitti ut divisio Ethicæ specialis, dummodo tamen caveatur ab errore antiquorum Ethnicorum quem depulit Christianismus et ad quem relabitur moderna irreligio, id est a Statolatria quæ hominem opprimit sub pondere Status.

A quibusdam recentioribus, etiam inter Catholicos, sic *Liberatore, Zigliara*, admittebatur divisio in Ethicam et Jus Naturæ, quasi Ethica fuisset Moralis generalis (Metamoralis) et jus Naturæ, Moralis specialis. Dicebant enim : Actus humanus considerari potest dupliciter : vel 1° in se et per respectum ad finem ultimum, et sic dicitur bonus vel malus (Ethica) ; vel 2° per respectum ad alios homines, et sic dicitur justus vel injustus (Jus Naturæ). Hodie tamen merito derelinquitur ista divisio 1° quia non fit per opposita : Ethica enim et Jus Naturæ non sunt opposita, sed Jus Naturæ est pars Ethicæ ; 2° quia sic efficacius cavetur ab errore Kantii qui non solum distinctionem sed separationem instituit inter Ethicam et Jus Naturæ.

# PARS PRIOR

## ETHICA GENERALIS

34. Ratio practica, ad quam pertinet Ethica (n. 8), et ratio speculativa, in suo processu partim conveniunt et partim differunt[1]. In hoc conveniunt quod utraque ratio de uno cognito procedit ad aliud cognoscendum et sic differunt ab intellectu qui uno simplici intuitu contemplatur veritatem. In hoc vero differunt quod ratio speculativa incipit ab aliquo principio et per media devenit ad conclusionem intentam; sed ratio practica loco principii accipit finem, unde frequentatissimum illud scholasticorum effatum : « finis se habet in operativis sicut principium in speculativis[2] », et ex fine per aliqua media (seu, ut aiunt Scholastici, per *ea quæ sunt ad finem*) devenit ad id quod intenditur.

Et « sicut nihil constat firmiter secundum rationem speculativam nisi per resolutionem ad prima principia, ita firmiter nihil constat per rationem practicam nisi per ordinationem ad ultimum finem[3] », « qui ita se habet in operativis sicut principium indemonstrabile in speculativis[4] ». Ideo agendum 1° de fine ultimo (cap. I); 2° de his quæ sunt ad finem, id est de actibus humanis. « Oportet enim quod homo ad ultimum finem per proprias operationes perveniat[5] » (cap. II et seqq.).

1. *Cont. Gent.*, l. 3, c. 97.
2. 1, q. 82 a, 1, ex 2 *Phys.*, l. 15. Cf. in 3 *Ethic.*, l. 8, et passim.
3. 1ª 2æ, q. 90, a. 2, ad 3.
4. 1ª 2æ, q. 72, a. 5.
5. *Cont. Gent.*, l. 3, c. 150.

## CAPUT PRIMUM

### DE FINE ULTIMO.

Agemus 1° de fine in genere (art. 1); 2° de fine ultimo (art. 2 et 3); 3° de beatitudine, quæ est finis proprius hominis (art. 4-7); 4° de fine hujus vitæ supremo (art. 8).

#### ARTICULUS I

*De fine in genere.*

35. **Finis notio et definitio.** Finis, ex vi nominis, quamlibet desitionem designat, sic dicitur finis diei, finis agri, finis lineæ, etc... et quia, habito intento, cessat operatio agentis, transsumptum est nomen finis ad designandum id quod agens per suam operationem intendit obtinere, et de fine in hoc sensu agimus nunc.

Definitur : *id cujus gratia aliquid fit*[1].

An et quomodo fini competat ratio causæ, declaratum est in Ontologia[2].

36. **Finis divisiones.** Distinguitur :

1° Finis *operis* et finis *operantis*. Finis *operis* est ille ad quem ex natura sua ordinatur actio, sic finis eleemosynæ est sublevare pauperem; finis *operantis* est quem operans pro libitu suo sibi præfigit, v. g. potest fieri eleemosyna ex motivo vel religionis vel inanis gloriæ.

2° Finis *cujus* et finis *cui*. Finis *cujus gratia* est bonum quod volumus; finis *cui* est persona cui volumus illud, v. g. dum laborat pater ad ditandum filium, divitiæ sunt finis *cujus gratia* et filius finis *cui* pater laborat. Hæc tamen divisio non est in duos fines distinctos, sed in duas res integrantes unum finem totalem et idem dicendum est de sequenti.

3° Finis *objectivus* et finis *formalis*. Finis *objectivus* est res quam

1. *Physic.*, l. 2, c. 3.
2. Zigliara, *Summa Philos.*, t. 1, Ontologia, l. 4, c. 4. Hugon, *Cursus*, t. VI, p. 178.

volumus, v. g. vinum ; finis *formalis* est actus quo possidemus rem volitam vel utimur ea, v. g. bibere vinum.

4° Finis *in ordine intentionis* et finis *in ordine executionis*. Finis in intentione est illud quod apprehensum et conceptum movet ad agendum; finis in executione est illud quod realiter consecutum terminat motum appetitus. Unde effatum : primum in intentione est ultimum in executione.

5° Finis *totalis* et finis *partialis*. *Totalis,* qui est unicum agendi motivum ; *partialis,* qui non est unicum.

6° Finis partialis potest esse *principalis* vel *secundarius*. *Principalis,* qui primario et directe intenditur, sic militum finis principalis est defensio patriæ; *secundarius* qui intenditur concomitanter et ex consequenti, sic a militibus intendi potest etiam gloria.

7° Finis *naturalis* et finis *supernaturalis*. Finis *naturalis* vires naturæ non excedit, sic medicus intendit sanitatem; *supernaturalis* vero pertinet ad ordinem gratiæ, ut visio beatifica in cœlo.

37. **Notio et definitio boni**. Notioni finis vicinus est conceptus *boni*.

Bonum definitur ab Aristotele : *id quod omnia appetunt*[1].

Quæ tamen definitio non est a propria forma sed ab effectu : non enim ideo res est bona quia appetitur, sed e contrario ideo appetitur quia est bona. Quocirca ratio boni proprie consistit in eo quod est ratio ob quam res appetitur; appetitur autem res quælibet quia appetenti convenit, ideo ratio boni formaliter consistit in convenientia quadam rei ad appetitum : « ratio boni in hoc consistit quod aliquid sit appetibile[2] ». Quia vero unumquodque naturaliter fertur in suam perfectionem, sequitur id tantum esse vere appetibile quod est perfectum.

Tria igitur in bono spectanda sunt : quia est *perfectum;* quia est *conveniens appetitui;* quia *appetitur*. *Perfectio* constituit rationem *fundamentalem* boni et est ipsum esse rei quæ dicitur bona; *convenientia,* rationem ejus *formalem* secundum quam bonum ratione distinguitur ab ente et a vero ; *appetentia* vero est quid consequens et nota quædam bonitatis. (Ex Lepidi, *Ontologia,* l. 2, sect. 1, c. 3, § 4.)

38. **Divisiones boni**. Bonum si spectetur

1° quoad suam rationem *fundamentalem,* id est ex parte perfectionis quæ illud constituit, dividitur in *physicum* et *morale*. Bonum physicum designat perfectionem ordinis physici, bonum morale perfec-

1. *Ethic.*, l. 1, c. 1.
2. 1, q. 5, a. 1 et passim.

tionem ordinis moralis, nam « quamvis bonum convertatur cum ente tamen quodam speciali modo invenitur in rebus habentibus electionem, ut in 5 *Metaph.* dicitur[1] », et hoc est bonum morale circa quod versatur tota scientia moralis et de quo principaliter agemus infra, cap. III;

2° quoad suum effectum proprium, id est ex parte appetibilitatis, distinguitur *honestum, delectabile* et *utile*. Bonum enim vel appetitur propter se, ita scilicet ut sit terminus motus appetitivi, et tunc si habeat convenientiam ad appetitum rationalem dicitur *honestum;* si ad appetitum sensibilem, *delectabile;* — vel appetitur propter aliud, scilicet ut sit medium ad aliud obtinendum et tunc dicitur bonum *utile*[2]. Attamen « dicendum quod bonum non dividitur in ista tria sicut univocum æqualiter de his prædicatum, sed sicut analogum, quod prædicatur secundum prius et posterius : per prius enim prædicatur de honesto et secundario de delectabili, tertio de utili[3] ».

39. **Finis et bonum.** *Dico.* **Finis et bonum sunt idem re, sed differunt ratione** (1, q. 5, a. 4).

*Probatur* 1ª *pars.* Bonum est appetibile. *Atqui.* Appetibile movet appetitum per modum finis. *Ergo.* Finis et bonum sunt idem realiter.

*Probatur* 2ª *pars.* Utriusque enim diversa est ratio : nam ratio boni est quod sit appetibile, et ratio finis quod moveat appetitum. Unde ratio finis sequitur rationem boni, ideo enim res movet appetitum quia est appetibilis.

40. *Conclusio* 1ª. **Homo libere agens semper agit propter aliquem finem** (1ª 2æ, q. 1, a. 1).

*Probatur.* 1° *Experientia.* Inde enim tam frequens interrogatio : Ad quid hoc vel illud? Quasi actio sine fine indicium sit hominis insensati.

2° *Ratione S. Thomæ.* Omnes actiones quæ procedunt ab aliqua potentia causantur ab ea secundum rationem sui objecti. *Atqui.* Objectum voluntatis est bonum et finis. *Ergo.* Omnis actio a libera voluntate procedens est propter finem.

41. *Conclusio* 2ª. **Omnibus quidem creaturis, specialiter tamen homini, competit agere propter finem** (1ª 2æ, q. 1, a. 2). Contra Positivistas.

*Probatur* 1ª *pars*, id est *omnibus creaturis.* 1° *experientia.* Jam enim animadverterat *Aristoteles:* « Maxime autem manifestum est in animali-

1. 2, d. 27, a. 2, ad 2.
2. 1, q. 5, a. 6; Cf. 2ª 2æ, q. 145, a. 3.
3. 1, q. 5, a. 6, ad 3.

bus quæ neque arte neque inquirendo neque deliberando faciunt. Unde dubitant quidam utrum intellectu aut quodam alio operentur aranei et formicæ et hujusmodi[1] », unde concludebat : etiam natura agit propter finem. Firmissimumque robur addiderunt huic argumento quæ in scientiis naturalibus recentius inventa sunt, v. g. in Biologia quæ considerat mirabilem organorum explicationem in viventibus. Specialiter de insectis et eorum instinctu plura stupenda legi possunt apud LUBBOCK, *Les sens et l'instinct chez les animaux et particulièrement chez les insectes*, et FABRE, *La vie des insectes, les mœurs des insectes.*

42. 2° *Ratione S. Thomæ.* Causarum ad invicem ordinatarum si prima subtrahatur necesse est alias subtrahi. *Atqui.* Prima inter omnes causas est causa finalis. *Ergo.* Necesse est quod omne agens in omni sua actione agat propter finem.

*Probatur minor* ordinando quatuor causas inter se : Formam præcedit materia, quia educitur forma de potentia materiæ. Materiam præcedit agens, quia nihil reducitur de potentia in actum nisi per aliquod ens in actu. Agens tandem non movet nisi ex intentione finis, *quod probatur :* si enim agens non esset determinatum ad aliquem effectum, non magis ageret hoc quam illud. *Atqui.* Quod determinat agens ad aliquid certum est finis. *Ergo.* Causa finalis est prima causarum.

« Hæc autem determinatio sicut in rationali natura per rationalem fit appetitum qui dicitur voluntas, ita in aliis fit per inclinationem naturalem quæ dicitur appetitus naturalis[2]. » « Quælibet enim res ad suam formam naturalem hanc habet habitudinem ut quando non habet ipsam tendat in eam et quando habet ipsam quiescat in ea... et hæc habitudo ad bonum in rebus carentibus cognitione vocatur appetitus naturalis[3]. »

43. *Probatur* 2ª *pars,* id est *specialiter homini, ratione S. Thomæ :* Illa sola se agunt in finem quæ cognoscunt rationem finis. *Atqui.* Solæ creaturæ rationales cognoscunt rationem finis. *Ergo.* Solæ creaturæ rationales se agunt in finem.

*Major* 1° *declaratur.* Aliud est cognoscere finem, aliud cognoscere rationem finis. Finis enim dupliciter considerari potest : vel *materialiter,* id est ut est res quædam ; vel *formaliter,* ut est finis. Cognoscere rationem finis vel finem formaliter est cognoscere habitudinem finis ad id quod est ad finem. 2° *Probatur.* Cum unumquodque se moveat in finem secundum quod appetit et consequenter secundum quod

1. *Phys.*, l. 2, c. 8.
2. 1ª 2æ, q. 1, a. 2.
3. 1, q. 19, a. 1.

apprehendit finem, illa sola se movent in finem quæ cognoscunt rationem finis seu finem formaliter; cetera vero, licet possint se movere in rem quæ est finis, id est in finem materialiter, non possunt dici proprie et formaliter se movere in finem.

*Minor probatur.* Cognoscere rationem finis nihil aliud est quam cognoscere et expendere merita objecti quod habet rationem finis, necnon proportionem finis ad actum qui propter finem fit et proportionem actus ad talem finem. *Atqui.* Hæc comparatio et ordinatio non potest fieri a qualibet potentia cognoscitiva, sed solum a ratione. *Ergo...* — *Insuper*, finis seu bonum ut sic non est objectum cujuslibet appetitus sed solum voluntatis (Cf. *Cajetan.*, in h. l.).

44. *Corollaria.* 1° Natura insensibilis agit propter finem executive tantum. 2° Animalia bruta agunt propter finem executive et apprehensive. 3° Solus homo movet se ad finem; cetera aguntur potius quam se agant. « Res enim inanimatæ agunt vel moventur propter finem, non tanquam cognoscentes finem, neque tanquam se agentes ad finem; sed potius ab alio diriguntur qui eis naturalem inclinationem dedit, sicut sagitta dirigitur in finem a sagittante. Res autem irrationales animatæ cognoscunt quidem finem et appetunt ipsum appetitu animali et movent seipsas localiter ad finem tanquam judicium habentes de fine; sed appetitus finis et eorum quæ sunt propter finem determinatur eis ex naturali inclinatione : propter quod sunt magis acta quam agentia. Rationalia vero cognoscunt finem et proportionem eorum quæ sunt in finem : et ideo sicut seipsa movent ad finem, ita etiam ad appetendum finem vel ea quæ sunt propter finem[1] ».

45. *Conclusio* 3ª. **Ex fine specificantur actus humani** (1ª 2æ, q. 1, a. 3).

*Declaratur.* Dicitur 1° *ex fine,* intellige de fine operis, non de fine operantis; — 2° *specificantur*, intellige de specie in esse physico, non in esse morali : licet enim eadem doctrina applicari possit et debeat etiam speciei morali, hic tamen non intendimus loqui de moralitate.

*Probatur.* Unumquodque sortitur speciem secundum actum et non secundum potentiam; *unde* ea quæ sunt composita ex materia et forma constituuntur in suis speciebus per proprias formas. *Atqui.* In actibus humanis finis se habet per modum actus. *Ergo.* Finis se habet ut principium specificans.

*Probatur minor.* Actus humani considerari possunt sub duplici respectu, vel tanquam actio, vel tanquam passio (*quod probatur :* Motus enim distinguitur per actionem et passionem; *sed* in operatione hu-

1. In 6 *Metaph.*, l. 16.

mana homo et movet seipsum et movetur a seipso; *ergo...*) *Atqui.* Sive consideretur actus humanus ut actio, sive ut passio, finis semper se habet per modum actus. *Ergo.*

*Probatur hæc* 2ª *minor.* Motus-actio specificatur a principio et motus-passio a termino (*quod probatur exemplo :* Calefactio-actio definitur actio a calore procedens et calefactio-passio motus ad calorem, *sed* definitio manifestat rationem speciei, *ergo...*) *Atqui.* Finis in intentione est principium et finis in executione terminus actionis voluntatis. *Ergo.*

*Objicies.* Principium specificans est intrinsecum rei. *Atqui.* Finis est quid extrinsecum actui. *Ergo.* Finis non specificat actum.

*Respondeo. Concedo Majorem* et *distinguo minorem.* Finis, in se, *Conc.* finis usurpatus pro relatione transcendentali ad finem, *Nego.* Finis quidem in se est aliquid extrinsecum actui, sed actus habet relationem realem transcendentalem ad suum finem et ipsa, utpote intrinseca actui, est proprium principium specificans actum. Sed cum ista relatio transcendentalis innotescat ex suo termino, id est ex fine, ideo brevitatis causa dicitur ex fine specificari actum.

## ARTICULUS II

### *De fine ultimo : An sit et qualis sit.*

46. I. Distinguitur finis *intermedius* et finis *ultimus.* Finis *intermedius* ille est propter quem aliquid volumus, sed quem rursus ad alium ordinamus; finis *ultimus*, qui non ordinatur ad finem ulteriorem.

II. Iterum, distinguitur finis ultimus duplex : vel *secundum quid* et in aliquo ordine, respectu sc. alicujus particularis negotii, v. g. obtinere lauream doctoralem; vel *simpliciter* et absolute, id est respectu totius vitæ. Agitur nunc de fine simpliciter ultimo.

III. Tandem finis simpliciter ultimus totius humanæ vitæ considerari potest sub duplici respectu : 1° sub respectu *statico*, id est de ejus existentia et conditionibus, et de hoc agitur nunc in art. 2 : An sit et qualis sit; vel 2° sub respectu *dynamico*, id est de ejus appetitione seu causalitate, et de hoc agetur in art. 3 : quomodo appetatur.

*Conclusio.* **Necesse est dari aliquem finem ultimum totius humanæ vitæ.**

47. *Errores.* I. Negatur hæc doctrina a Positivistis qui vehementissime ablegant etiam conceptum finis ultimi.

II. Huc tendit error multorum qui licet nomine finem ultimum ad-

mittere videantur, illum reponunt in *progressu indefinito*, quod est revera finem ultimum negare. Cujus erroris plurimæ sunt formæ :

1° Schola *Leibnitzio-Wolfiana :* humanæ naturæ finis est perfectio humana tum in seipso tum in aliis ita possidenda ut nunquam sit simpliciter completa, sed semper augenda.

2° *Kant :* Voluntatis humanæ necessarius finis est *efficere summum bonum*, quo continentur duo : suprema sanctitas (id est conformitas legi) et perfecta beatitudo. Sed cum hoc sit impossibile, semper tendet voluntas in utrumque.

3° *Ahrens :* Supremum bonum consistit in completa facultatum humanarum evolutione.

4° Solidaristæ : finis hominis consistit in progressu sociali.

5° Socialistæ : consistit in materiali progressu Societatis.

6° Tandem addi potest progressismus pantheisticus : *Spinoza, Fichte, Hegel, Schelling*, quorum systemata explosa sunt cum ageretur de pantheismo[1].

48. *Probatur.* I. *Argumento Cosmologico.* Homo considerari potest sub duplici respectu : vel ut pars mundi, vel ut μικρόκοσμος. *Atqui.* Ex utraque consideratione resultat necessitas finis ultimi. *Ergo.* Necesse est dari aliquem finem ultimum totius humanæ vitæ.

*Probatur minor per partes*, 1° *quoad* 1^am^ *partem*, sc. ex eo quod est pars mundi : Mundus a Deo creatus est propter aliquem finem (Cf. *Zigliara, Cosmol.* 8; *S. Th.*, 1, q. 44, a 4), *Atqui.* Pars est propter totum. *Ergo.* Pars illa mundi, quæ est homo, necesse est quod sit propter aliquem finem et quidem propter finem subordinatum fini totius universi.

2° *Quoad* 2^am^ *partem*, sc. ex eo quod est μικρόκοσμος : Mirum foret si singulæ partes unius totius ad aliquem finem destinarentur, ipsum vero totum ad nullum finem, v. g. si singularum partium horologii ratio redderetur, ipsum vero horologium nullam haberet rationem vel finem : *ratio est, quia* totum melius est partibus et consequenter ad altiorem finem ordinari debet. *Atqui.* Homo est unum ens resultans ex anima et corpore, præditum variis organis et facultatibus quæ manifestam habent ordinationem ad aliquem finem, v. g. oculus ad videndum, auris ad audiendum, cor ad propellendum sanguinem, pulmones ad sanguinem vivificandum, etc. *Ergo.* Præter destinationem singulorum organorum ad finem suum proprium, admittenda est etiam destinatio totius hominis ad aliquem finem altiorem, qui sit finis ipsius hominis[2].

1. Cf. Zigliara, *Summa Phil. Cosmol.* (3); Hugon, *Cursus*, t. II, p. 24 ss.

2. Cf. *In* 1 *Ethic.*, l. 10 : « Eamdem operationem oportet existimare in toto et in parti-

49. II. *Argumento Psychologico.* Quamlibet formam sequitur inclinatio proportionata. *Atqui.* In homine præter varias potentias quæ tanquam formæ accidentales sunt principium immediatum operandi, datur forma quædam substantialis ex qua resultat unitas substantialis ipsius naturæ humanæ. *Ergo.* Sicut quælibet potentia naturaliter inclinatur ad bonum accidentale hominis, ita forma substantialis naturaliter inclinatur ad quoddam bonum quod est bonum naturæ humanæ, finis ultimus hominis.

*Confirmatur.* « Accidit homini quod sit textor, vel coriarius, aut grammaticus, vel musicus, sive aliquid aliud hujusmodi, sed nihil istorum est quod non habeat propriam operationem : alioquin sequeretur quod hujusmodi otiose et frustra homini advenirent. Multo autem magis inconveniens est quod sit otiosum et frustra id quod est secundum naturam, quod est ordinatum ratione divina, quam id quod est ordinatum ratione humana. Cum igitur homo sit aliquid existens secundum naturam, impossible est quod sit naturaliter otiosus, quasi non habens propriam operationem. Est igitur aliqua operatio hominis propria, sicut eorum quæ ei accidunt. Cujus causa est quia unumquodque, vel naturale vel artificiale, est per aliquam formam, quæ est operationis principium. Unde sicut unaquæque res habet proprium esse per suam formam, ita etiam habet propriam operationem[1]. » Et cum cujuslibet operationis sit determinatus finis, oportet quod operatio propria hominis ordinetur ad finem naturæ, seu ad finem ultimum hominis.

*Quæres.* In quo differat hoc argumentum a præcedenti?

*Resp.* In hoc quod præcedens ratio argumentatur ex habitudine partis ad totum, quod est principium Cosmologicum et maxime verificatur de partibus integrantibus. Nunc vero arguimus ex hoc principio Psychologico : quamlibet formam sequitur inclinatio proportionata, quod exponit Cajetanus : « Cum enim appetere nihil aliud sit quam inclinari in aliquid et appetitus inclinatio ipsa sit; et unamquamque naturam, immo unamquamque rem comitetur inclinatio sua ad aliquid sibi proportionatum : consequens est ut, quemadmodum rerum naturæ proportionaliter inveniuntur et non unius rationis perfectionem habent, ita etiam proportionales comitentur inclinationes[2]. »

bus; quia sicut anima est actus totius corporis, ita quædam partes animæ sunt actus quarumdam partium corporis, ut visus oculi. Sed quælibet pars hominis habet propriam operationem, sicut oculi operatio est videre et manus palpare, et pedum ambulare, et sic de aliis particulis. Relinquitur ergo quod totius hominis sit aliqua propria operatio », et consequenter proprius finis.

1. *In* 1 *Ethic.*, l. 10.
2. In 1, q. 80, a. 1.

Quando tamen audis *desiderium naturæ*, ne intelligas illud desiderium ita a natura procedere quasi ipsa natura sit immediatum principium elicitivum illius actus, cum nulla essentia sit immediate operativa. Sed desiderium naturale vel appetitus naturalis dicitur dupliciter.

Aliquando dicitur *appetitus naturalis* per oppositionem ad *appetitum elicitum*. In hoc sensu non est proprie actus sed « naturalis quædam aptitudo[1] » ad aliquid. Hic appetitus naturalis proprius est entibus cognitione destitutis : « Est enim hoc commune omni naturæ ut habeat aliquam inclinationem quæ est appetitus naturalis[2]. » De hoc loquitur S. Thomas cum proponit gradationem appetituum : « Cum omnia procedant ex voluntate divina, omnia suo modo per appetitum inclinantur in bonum sed diversimode. — Quædam enim inclinantur in bonum per solam naturalem habitudinem absque cognitione, sicut plantæ et corpora inanimata. Et talis inclinatio ad bonum vocatur *appetitus naturalis*. — Quædam vero ad bonum inclinantur cum aliqua cognitione ; non quidem sic quod cognoscant ipsam rationem boni, sed cognoscunt aliquod bonum particulare; sicut sensus qui cognoscit dulce et album et aliquid hujusmodi. Inclinatio autem hanc cognitionem sequens dicitur *appetitus sensitivus*. — Quædam vero inclinantur ad bonum cum cognitione qua cognoscunt ipsam boni rationem; quod est proprium intellectus. Et hæc perfectissime inclinantur in bonum; non quidem quasi ab alio solummodo directa in bonum, sicut ea quæ cognitione carent; neque in bonum particulariter tantum, sicut ea in quibus est sola sensitiva cognitio; sed quasi inclinata in ipsum universale bonum. Et hæc inclinatio dicitur *voluntas*[3]. »

Aliquando vero dicitur *appetitus naturalis* per oppositionem ad *appetitum electivum*. In hoc sensu est quidam actus elicitus potentiæ appetitivæ. Dicitur *naturalis*, quia procedit a natura prout opponitur electioni. Naturæ enim intellectuali competit aliquid ex eo quod est intellectualis, scilicet amor electivus qui est liber, et aliquid ex eo quod est natura, scilicet amor naturalis, qui, sicut natura, est necessario determinatus ad unum. Unde « naturalis inclinatio voluntatis est ad id quod est conveniens secundum naturam[4] ». Ideo ex naturali appetitu beatitudinis quem sentit unusquisque in corde suo, concludimus naturam humanam ordinatam esse ad quoddam bonum, non partiale et accidentale, sed quod sit bonum ipsius naturæ, et hoc est quod dicitur *finis ultimus hominis*.

1. Cajetan, In 1, q. 60, a. 1.
2. 1, q. 60, a. 1.
3. 1, q. 59, a. 3.
4. 1, q. 62, a. 3.

50. III. *Argumento Metaphysico* (1ª 2æ, q. 1, a. 4, Cf. in 2 *Metaph.*, l. 4 et in 1 *Ethic.*, l. 2). In omnibus per se ordinatis, remoto primo, necesse est sequentia removeri : unde in causis moventibus impossibile est procedere in infinitum. *Atqui.* In finibus invenitur duplex ordo : ordo intentionis et ordo executionis. *Ergo.* In utroque ordine oportet esse aliquid primum.

*Et exponitur consequens quoad utrumque ordinem :*

| Ordo intentionis | Ordo executionis |
|---|---|
| Subtracto primo in ordine intentionis, appetitus a nullo moveretur. *Atqui.* Primum in ordine intentionis est finis ultimus. *Ergo.* Si non esset ultimus finis, nihil appeteretur, — nec aliqua actio terminaretur, — nec etiam quiesceret intentio agentis, sed in infinitum procederet. | Subtracto primo in ordine executionis, nullus inciperet operari. *Atqui.* Primum in ordine executionis est primum eorum quæ sunt ad finem. *Ergo.* Si non esset primum in his quæ sunt ad finem, nullus inciperet aliquid operari, — nec terminaretur consilium, sed in infinitum procederet. |

*Dubium.* An præmissa ratio intelligi debeat de fine ultimo simpliciter, vel solum de fine ultimo secundum quid?

Ratio dubitandi est quia propositio *primum in ordine intentionis est finis ultimus* manifeste verificatur de fine ultimo secundum quid, nec videtur verificari de fine ultimo simpliciter. Unde multi, ut Suarez et plures ex Thomistis, v. g. Joannes a S. Thoma, hanc rationem tenent non valere nisi quoad finem ultimum secundum quid ; plures alii Thomistæ dicunt argumentum abstrahere a dicta distinctione.

*Respondeo. Agendum :* 1° *De intentione S. Thomæ.* Certum nobis videtur in mente S. Thomæ prædicta verba accipienda esse de fine ultimo simpliciter. *Quod probatur : a*) ex titulo ipsius articuli, ubi quæritur de fine ultimo *humanæ vitæ ;* sed apud S. Thomam « humana vita » intelligitur formaliter et comprehendit omnes actiones humanas[1] ; *b*) quia in locis parallelis (in 2 *Metaph.*, l. 4 et in 1 *Ethic.* l. 2), idem adhibetur argumentum quando tractatur de fine simpliciter ultimo.

2° *De ipso valore argumenti.* Si quis attente consideret, non dubi-

1. Salmantic. Tr. 8 de Ult. fine q. 1, a. 4 : « Loquitur S. Thomas de fine ultimo humanæ vitæ. Finis autem qui solum est ultimus in aliqua serie non dicitur absolute finis humanæ vitæ : non enim absolute loquendo dicimus esse ultimum finem humanæ vitæ sanitatem aut victoriam, aut alia hujusmodi, quæ discursui humanæ vitæ deserviunt ; sed aliquid altius et communius ad quod cuncta hæc et tota vita hominis ordinatur. »

tabit argumentum S. Thomæ revera concludere pro fine simpliciter ultimo. Equidem principium : *primum in ordine intentionis est finis ultimus* manifeste verificatur de fine ultimo secundum quid, sic v. g. studens medicinæ, quoties agit formaliter ut sic, habet pro fine ultimo acquisitionem scientiæ medicativæ. A pari et eadem de ratione, homo quoties agit formaliter ut homo, id est in omni actione humana seu voluntaria, habet pro fine ultimo finem hominis ut sic, seu finem ultimum simpliciter.

51. IV. *Argumento morali.* Sublato fine ultimo, *a*) deficit regula moralitatis : « rectitudo enim voluntatis est per debitum ordinem ad finem ultimum[1] »; unde non datur bonum et malum, quia « bonum et malum dicuntur per comparationem ad finem[2] »; *b*) deficit obligatio moralis, quia idem est « necessitas ex obligatione præcepti sive ex necessitate finis[3] »; unde nec datur lex moralis, quia « lex dirigit sicut ostendens qualis debeat esse actus proportionatus fini ultimo[4] »; *c*) tandem ruit totus ordo moralis, quia « principium totius ordinis in moralibus est finis ultimus, qui ita se habet in operativis, sicut principium indemonstrabile in speculativis[5] ».

Circa vim hujus argumenti, notandum est ipsum non valere quoad omnes. Si enim velimus nunc demonstrare existentiam finis ultimi ex eo quod est regula moralitatis, etc... et postea demonstrare quod est regula moralitatis ex eo quod est finis ultimus, non caveretur a circulo vitioso. Sed cum, ex negantibus finem ultimum, multi admittant ordinem moralem, obligationem, etc., adversus istos per modum argumenti *ad hominem,* asserimus, sublato fine ultimo, destrui totum ordinem moralem.

52. **Solvuntur difficultates.** I. *Objiciunt positivistæ.* Non videtur cur homini tribuatur finis plus quam ceteris entibus de quorum fine ultimo nullus disputat, sic v. g. quisnam sit finis ultimus bovis. Ita *Taine.*

*Respondeo.* Nego paritatem inter hominem et entia irrationalia. « Præcellunt enim (creaturæ rationales), ait S. Thomas, alias creaturas et in perfectione naturæ et in dignitate finis. In perfectione quidem naturæ, quia sola creatura rationalis habet dominium sui actus, libere se agens ad operandum, cæteræ vero creaturæ ad opera propria magis aguntur quam se agant. In dignitate autem finis, quia sola

1. 1ª 2æ, q. 4, a. 6.
2. *Pot.*, q. 3, a. 6, ad 12.
3. 2ª 2æ, q. 58, a. 3, ad 2.
4. 2, d. 41, q. 1, a. 1, ad 4.
5. 1ª 2æ, q. 72, a. 5.

creatura intellectualis ad ipsum ultimum finem universi sua operatione pertingit, sc. cognoscendo et amando Deum; aliæ vero creaturæ ad finem ultimum pertingere non possunt nisi per aliqualem similitudinis ipsius participationem. » Unde sequitur « quod speciali quadam ratione creaturæ rationales divinæ providentiæ subduntur », *Cont. Gent.*, l. 3, c. 111 et ulterius c. 112 : « Quod creaturæ rationales gubernantur propter seipsas, aliæ vero in ordine ad eas. » Quod tamen quomodo intelligi debeat sic exponitur a S. Thoma : « Per hoc autem quod dicimus substantias intellectuales propter se a divina Providentia ordinari, non intelligimus quod ipsa ulterius non referantur in Deum et ad perfectionem universi. Sic igitur propter se procurari dicuntur et alia propter ipsa, quia bona quæ propter divinam Providentiam sortiuntur non eis sunt data propter alterius utilitatem; quæ vero aliis dantur, in eorum usum ex divina ordinatione cedunt. »

53. II. *Objiciunt fautores progressus indefiniti.* Id postulat natura hominis ut semper tendat ultra : est enim homo ens essentialiter progressivum. Unde non datur bonum in quo consistere debeat tendentia naturæ humanæ.

*Respondeo.* Essentialiter progressiva est natura humana, *distinguo :* in præsenti vita, *concedo;* in se et absolute, *nego.* Natura enim humana est principium activitatis humanæ. Sed repugnat divinæ sapientiæ quæ naturas rerum constituit cum suis proprietatibus, quod aliquam indiderit tendentiam sine termino. Quod fuse exponit S. Thomas : « 1. Cum natura semper in unum tendat determinate non se habens ad multa, impossibile est quod aliqua natura inclinet ad motum secundum seipsum, eo quod in quolibet motu difformitas quædam est, in quantum non eodem modo se habet quod movetur; uniformitas vero mobilis est contra motus rationem. Unde natura nunquam inclinat ad motum propter movere, sed propter aliquid determinatum quod ex motu sequitur... 2. Motus ex ipsa sui ratione repugnat ne possit poni finis, eo quod motus est in aliud tendens : unde non habet rationem finis, sed magis ejus quod est ad finem. Cui etiam attestatur quod est actus imperfectus (3 *de Anima* et 3 *Phys.*). Finis autem ultimus est ultima perfectio... 3. Cum finis sit unde ratio sumitur, oportet finem præeminere his quæ sunt ad finem. Potest autem contingere quod vilior sit terminus operationis rei nobilioris, non autem ut sit finis intentionis : sicut securitas rustici est terminus quidam ad quem operatio regis gubernantis terminatur, non tamen regimen regis est ordinatum ad hujus rustici securitatem sicut in finem, sed in aliquid melius, scilicet in bonum commune... 4. Deinde ut dicitur 2 *Metaphys.* qui ponit infinitum in causa finali destruit

finem et naturam boni : pertingere enim quod infinitum est impossibile est. Nihil autem movetur ad id quod impossibile est ipsum consequi, ut dicitur 1 *Cæli et mundi* [1]. »

54. **Scholion**. Ex dictis in argumento II sequitur finem ultimum esse bonum naturæ humanæ seu bonum ad quod homo naturaliter inclinatur. Ex quo plura sequuntur corollaria quæ ad penitiorem finis ultimi intellectum juvabunt.

*Corollarium* 1[m]. Finis ultimus determinatur ab Auctore naturæ, id est a Deo, seu, ut ait S. Thomas : « Finis ultimus uniuscujusque rei est qui intenditur ab auctore ipsius » (*Cont. Gent.*, l. 1, c. 1). *Probatur*. Ab eodem procedit inclinatio et terminus ejus. *Atqui*. Inclinatio ad finem ultimum, cum sit naturalis, procedit ab ipso Auctore naturæ. *Ergo*. Etiam finis ultimus determinatur ab Auctore naturæ. *Et probatur minor*. Ab eodem auctore procedunt et natura et proprietates quæ essentialiter et immediate consequuntur naturam. *Atqui*. Desiderium naturale est proprietas essentialiter et immediate consequens naturam. *Ergo*. Procedit ab Auctore naturæ. « Quod autem dirigitur vel inclinatur in aliquid ab aliquo, in id inclinatur quod est intentum ab eo qui inclinat vel dirigit, sicut in idem signum sagitta dirigitur quod sagittator intendit. Unde cum omnia naturalia naturali quadam inclinatione sint inclinata in fines suos a primo motore, qui est Deus, oportet quod illud in quod unumquodque naturaliter inclinatur sit id quod est volitum vel intentum a Deo[2]. »

*Corollarium* 2[m]. Finis ultimus est aliquid realiter existens et non mere ideale. — *Probatur, quia* desiderium naturale fertur in bonum reale, non ideale. In hoc enim differt appetitus naturalis ab appetitu elicito, quod appetitus elicitus sequitur formam apprehensam, ideo fertur in bonum apprehensum, unde ferri potest in bonum solum ideale vel imaginatum; appetitus vero naturalis sequitur formam realem, unde ferri non potest nisi in bonum reale. — Contra *Voltaire*, qui dicebat summum bonum esse chimæram.

*Corollarium* 3[m]. Finis ultimus hominis est aliquid unum. *Probatur, quia* natura humana est in se una. « Natura ad unum determinata est[3]. » Unde « necesse est unum esse ultimum finem hominis in quantum est homo, propter unitatem humanæ naturæ, sicut unus est finis medici in quantum est medicus, propter unitatem medicinalis artis[4] ».

1. *Pol.*, q. 5, a. 5.
2. *Ver.*, q. 22, a. 1.
3. *Pol.*, q. 3, a. 3.
4. *In 1 Ethic.*, l. 9.

*Corollarium* 4^m^. Finis ultimus est idem pro omnibus hominibus. *Probatur, quia* in omnibus hominibus eadem est natura. Contra *Nietzche*.

*Corollarium* 5^m^. Finis ultimus hominis est summum bonum, ultima perfectio. *Probatur*. « Illud ad quod aliquid tendit cum extra ipsum fuerit et in quo quiescit cum ipsum habuerit, est finis ejus[1] » et bonum et perfectio. *Atqui*. Finis ultimus est bonum ultra quod nihil appetit natura humana et consequenter, quo habito, totaliter quiescit. *Ergo*. Finis ultimus est bonum plenum, ultima perfectio hominis.

Dicitur : 1° *bonum plenum,* id est cui nihil deest ex ratione boni debiti, secus remaneret aliquid desiderandum ultra et sic non esset finis ultimus; 2° *ultima perfectio,* id est ultra quam nulla alia perfectio concipi potest.

*Corollarium* 6^m^. Finis ultimi cognitio maxime necessaria est homini. Contra Positivistas qui contendunt hanc questionem, utpote metaphysicam, esse omnino ablegandam.

*Probatur* ratione S. Thomæ (*in* 1 *Ethic.*, l. 2) : « Necessaria est homini, ex quo est aliquis optimus finis rerum humanarum, cognitio ejus, quia habet magnum incrementum ad vitam, id est multum auxilium confert ad totam vitam humanam. Quod quidem apparet tali ratione : Nihil quod in alterum dirigitur potest homo directe assequi, nisi cognoscat illud ad quod dirigendum est; et hoc apparet per exemplum sagittatoris, qui directe emittit sagittam attendens ad signum ad quod eam dirigit. Sed tota humana vita oportet quod ordinetur in optimum et ultimum finem humanæ vitæ. Necesse est ergo habere cognitionem de ultimo et optimo fine humanæ vitæ. Et hujus ratio est quia semper ratio eorum quæ sunt ad finem, sumenda est ab ipso fine, ut etiam in 11 *Physic.* probatur. » Eadem habet *Cicero :* « Fine constituto in philosophia, constituta sunt omnia... Summum autem bonum si ignoretur, vivendi rationem ignorari necesse est. Ex quo tantus error consequitur, ut, quem in portum se recipiant, scire non possint. Cognitis autem rerum finibus, cum intelligitur quid sit et bonorum extremum et malorum, inventa vitæ via est conformatioque omnium officiorum[2]. »

*Corollarium* 7^m^. Recte definitur finis ultimus : *Ille quem propter se tantum volumus, cætera vero propter ipsum* (1 *Ethic.*, c. 7).

1^a^ *pars* manifesta est ex ipsis terminis, secus jam non esset ultimus.

*Probatur* 2^a^ *pars :* 1° Primum in unoquoque genere est causa cæte-

1. *Cont. Gent.*, l. 3, c. 16.
2. *De finib. malor. et bonor.*, v, 6.

rorum. *Atqui.* Finis ultimus est primum in intentione. *Ergo.* Finis ultimus est causa omnium quæ intenduntur seu ratio volendi cætera. — 2° Finis ultimus debet plene satiare appetitum, secus non sisteret appetitus in illo, proindeque finis non esset ultimus. *Atqui.* Non plene satiaret appetitum, si aliquid quæreretur ad ipsum non pertinens. *Ergo.*

## ARTICULUS III

### *De fine ultimo, quomodo appetatur.*

55. I. Finis ultimus considerari potest dupliciter : 1° quasi materialiter, secundum ipsam rem quæ est finis ultimus in concreto; 2° formaliter, secundum rationem formalem finis ultimi in abstracto (1ª 2æ, q. 1, a. 7).

II. *Intendere* dicitur *quadrupliciter,* sc. 1° actualiter, 2° virtualiter et hoc iterum duplici modo, 3° interpretative, 4° habitualiter.

1° *Actualis* est intentio quando quis actuali et expressa volitione finem cognitum intendit.

2° *Virtualis* vero intentio fieri potest *dupliciter :* 1° erit *virtualis ex parte operantis,* quando homo operatur vi intentionis actualis præteritæ non retractatæ, licet actu de fine non cogitet : sic qui ambulat non semper actu cogitat de fine itineris; 2° erit *virtualis ex parte operis,* quando quis agit aliquid ex natura sua ordinatum et tendens in aliquem finem : sic intendens nimiam potationem dicitur intendere ebrietatem, « quia semper inchoatio alicujus ordinatur ad consummationem ipsius, sicut patet tam in his quæ fiunt a natura quam in his quæ fiunt ab arte » (1ª 2æ, q. 1, a. 6). A quibusdam hæc secunda intentio virtualis dicitur *interpretativa,* cum qua aliqualem habet connexionem; melius tamen videtur utramque discernere. — Tandem hæc secunda dici potest etiam *virtualis implicita* et prior erit *virtualis explicita.*

3° *Interpretativa* dicitur intentio quando quis actualem intentionem nec habet, nec habuit, ita tamen est dispositus ut eam eliceret si animadverteret : sic moribundo sensibus destituto confertur sacramentum Extremæ Unctionis, quia ex vita anteacta præsumitur quod ipse illud peteret nisi impossibilitate detineretur.

4° Tandem *habitualis* est intentio quæ actualis quidem fuit, sed præterita est et, licet non retractata, tamen non movet nunc ad agendum.

56. *Conclusio* 1ª. **Necesse est quod omnia quæ homo**

**appetit appetat propter ultimum finem** (1ª 2æ, q. 1, a. 6). *Declaratur.* Agitur 1° de fine ultimo, non in concreto seu secundum ipsam rem quæ est finis ultimus, sed *in abstracto,* id est secundum rationem formalem finis ultimi; 2° de intentione non actuali, sed *virtuali* et quidem ex parte operis seu implicita.

*Probatur.* 1° Quidquid appetit homo, appetit sub ratione boni. *Atqui.* Bonum illud vel appetitur ut bonum perfectum quod est ultimus finis, vel non. *Si prius,* habemus intentum. *Si posterius,* necesse est ut appetatur ut tendens in bonum perfectum, quia semper inchoatio alicujus ordinatur ad consummationem ipsius. Et ita omnis inchoatio perfectionis ordinatur in perfectionem consummatam quæ est per ultimum finem.

2° Ultimus finis hoc modo se habet in movendo appetitum, sicut se habet in aliis motionibus primum movens. *Atqui.* Manifestum est quod causæ secundæ moventes non movent, nisi secundum quod moventur a primo movente. *Ergo.* Secunda appetibilia non movent appetitum nisi in ordine ad primum appetibile quod est ultimus finis.

*Corollarium.* Homo in omni actione sua agit propter felicitatem, ut constat experientia. « Non enim ad liberum arbitrium pertinet quod volumus esse felices, sed ad naturalem instinctum[1]. »

57. *Conclusio* 2ª. **Impossibile est quod voluntas unius hominis simul se habeat ad diversa sicut ad ultimos fines** (1ª 2æ, q. 1, a. 5).

*Probatur.* 1° Ex eo quod finis ultimus habet rationem *boni perfecti :* Oportet quod ultimus finis ita impleat totum hominis appetitum, quod nihil extra ipsum appetendum relinquatur. *Atqui.* Hoc esse non potest si aliquid extraneum ad ipsius perfectionem requiratur. *Ergo.* Non potest esse quod in duo sic tendat appetitus ac si utrumque sit bonum perfectum ipsius.

2° Ex eo quod finis ultimus habet rationem *primi boni naturalis :* Sicut in processu rationis principium est id quod naturaliter cognoscitur, ita in processu rationalis appetitus, qui est voluntas, oportet esse principium id quod naturaliter desideratur. *Atqui.* Hoc oportet esse unum, quia natura non tendit nisi ad unum. *Ergo.* Principium rationalis appetitus est unum. *Subsumo, Atqui.* Principium in processu rationalis appetitus est finis ultimus. *Ergo.* Oportet id in quod tendit voluntas sub ratione finis ultimi esse unum.

3° Ex eo quod finis ultimus habet rationem *primi specificantis.*

1. 1, q. 19, a. 10.

Species ponuntur in genere secundum formalem rationem communem. *Atqui.* Actiones voluntariæ ex fine speciem sortiuntur. *Ergo.* Oportet quod actiones voluntariæ sortiantur rationem generis a fine communiori, sc. a fine ultimo. *Subsumo*, *Atqui.* Omnes actiones voluntariæ sunt unius generis, quia appetibilia voluntatis, in quantum hujusmodi, sunt unius generis. *Ergo.* Oportet ultimum finem esse unum.

*Corollarium.* Unde Matth., VI, 24 : *Nemo potest duobus dominis servire.*

58. *Conclusio* 3ª. **Licet appetant omnes homines eumdem finem ultimum quoad rationem formalem, non tamen quoad ipsam rem** (1ª 2æ, q. 1, a. 7).

*Probatur* 1ª *pars.* Nam appetunt omnes suam perfectionem adimpleri. *Atqui.* Eadem est perfectio omnium. *Ergo.*

2ª *Pars* manifesta est ex experientia : nam alii reponunt finem suum ultimum in Deo, alii in divitiis, alii in deliciis, etc. « Alia est dispositio juvenis, alia senis. Et quia unicuique est delectabile id quod est sibi conveniens, inde est quod non omnes appetant eamdem delectationem, quamvis omnes appetant delectationem[1]. »

59. *Conclusio* 4ª. **Ex appetitione finis ultimi veri vel falsi discriminatur vita humana bona vel mala.**

*Probatur.* Ex fine desumitur ratio eorum quæ sunt ad finem. *Atqui.* Vita humana essentialiter ordinatur ad finem ultimum. « Quælibet res creata consequitur suam ultimam perfectionem per operationem propriam[2]. » *Ergo.* Ex fine ultimo vero vel falso judicatur vita humana bona vel mala. « Bonum enim et malum dicuntur per comparationem ad finem[3]. »

60. *Conclusio* 5ª. **Eo perfectior est humana vita quo magis actualiter intendit verum finem ultimum.**

1° *Id aliqualiter innuitur ex analogia cum animalibus,* quam tradit Biologia. Eo perfectiora sunt animalia quo magis liberatur activitas eorum a necessitate finis immediati ut procedere possit ex fine remotiori. Animalium enim imperfectorum vita quasi reducitur ad actus reflexos qui procedunt ex centris nervosis inferioribus et ideo statim cum impetu sequuntur ad sensationem præsentem. In animalibus vero perfectioribus, præter actus reflexos dantur etiam actus psychici, qui procedunt ex centris nervosis encephali, unde coordinationem recipiunt motus inferiores; perfectior igitur actus psychicus non adeo immediate sequitur, sed procedit ex fine plus minusve remoto. Aliquid si-

1. *In 7 Ethic.*, l. 13.
2. *Cont. Gent.*, l. 3, c. 64.
3. *Pot.*, q. 3, a. 6, ad 12.

mile invenitur etiam in hominibus, ut notat *W. James* : « Dans la vie psychique réservée tout entière au cerveau, on retrouve la même distinction entre les considérations de l'immédiat et du lointain. A toutes les époques, l'homme qui subordonne son action aux fins les plus éloignées a paru posséder la plus haute intelligence. Nous avons là un critérium qui nous permet d'apprécier la valeur des hommes et de les ranger le long d'une échelle continue où l'on rencontre successivement, en allant de bas en haut, le vagabond qui vit d'heure en heure, le bohémien dont la pensée ne dépasse pas le jour présent, le célibataire qui limite ses actions à sa vie, le père de famille qui travaille pour la génération suivante, le patriote qui pense à toute une communauté et à de nombreuses générations, le philosophe enfin et le saint qui embrassent l'humanité et l'éternité. Et chaque degré de cette échelle marque un progrès de l'indépendance des centres supérieurs [1]. » Quæ tamen caute legenda sunt, ne quis putet talem inter homines differentiam ex sola dispositione organica procedere.

2° *Probatur ex Ascetica Christiana.* Sic *S. Alphonsus de Ligorio* [2] : « Giova molto ad acquistare la perfezione il mezzo che usava S. Bernardo per infervorarsi. Scrive il Surio che il santo *hoc semper in corde, frequenter etiam in ore habebat : Bernarde, ad quid venisti?* » Rationem que reddunt auctores Ascetici : Ex duobus contingit citius et tutius perduci viatorem ad viæ terminum. Primum est intensus impetus : sic enim efficacius superantur difficultates quibus succumberet agens, si remissus fuerit conatus; acuitur vero ardor agentis ex actuali consideratione finis, « si labor te terret, respice mercedem [3] ». Alterum est recta via, quæ parcit inutilibus et longioribus discursibus a dextris vel a sinistris : quæ rectitudo non deficit quando actualiter intendit viator ad terminum, sicut nauta semper tenet oculos defixos ad sidus polare vel ad magneticum instrumentum.

61. *Conclusio* 6ª. **Omnia agentia naturalia appetunt eumdem finem ultimum objectivum, — non formalem** (1ª 2ª, q. 1, a. 8, Cf. *Cont. Gent.*, l. 3, c. 17-21).

*Probatur* 1ª *pars.* Finis enim ultimus objectivus omnium creaturum est Deus, quia omne agens creatum in omni sua actione tendit ad acquirendam aliquam participationem divinæ bonitatis et consequenter ad assimilationem cum Deo.

*Probatur* 2ª *pars.* Unumquodque enim finem ultimum consequitur modo suo, id est juxta naturam suam. Ideo solæ rationales creaturæ

1. *Précis de Psychologie*, c. 8, p. 127.
2. *La vera sposa*, c. VI, n. 11.
3. *S. Gregor. Magnus.*

consequuntur finem ultimum cognoscendo et amando Deum; creaturæ vero non rationales adipiscuntur finem ultimum in quantum participant aliquam similitudinem, secundum quod sunt, ut mineralia; vel vivunt, ut plantæ, vel etiam cognoscunt, ut animalia, quæ tamen non cognoscunt Deum.

## ARTICULUS IV

### *De beatitudine in genere.*

62. **Definitio.** — « Nihil aliud sub nomine beatitudinis intelligitur nisi bonum perfectum intellectualis naturæ » (1, q. 26, a. 1). Sicut enim propter dignitatem naturæ intellectualis speciali nomine decoratur *persona*, ita *beatitudo* vocatur finis ultimus seu consummata perfectio intellectualis naturæ « cujus est suam sufficientiam cognoscere in bono quod habet et cui competit ut ei contingat aliquid vel bene vel male et sit suarum operationum domina » (S. Thom., l. c.).

Beatitudo dicitur etiam *felicitas*.

**Divisiones.** Cum beatitudo sit idem ac finis ultimus, dividitur ut ipse finis (n. 36).

Nobis specialiter agendum est 1° de beatitudine naturali et supernaturali (in hoc art.); 2° de beatitudine objectiva (art. 5) et de beatitudine formali (art. 6) et tamdem plura addemus de adeptione beatitudinis (art. 7).

63. **De beatitudine supernaturali.** Pertinet ad Theologiam. Pauca nihilominus indicare debemus, quia licet ratio naturalis ex se sola non possit assurgere ad cognitionem hujus beatitudinis, ipsi non licet assensum suum detrectare testimonio Dei revelantis. Finis enim ultimi constitutio pertinet ad naturæ auctorem (n. 54, Coroll. 1), cujus voluntas nobis innotescit sive ex ipsius naturæ consideratione (finis naturalis), sive ex revelatione (finis supernaturalis). Qui igitur oculos mentis pertinaciter clauserit divinæ revelationi, certo exponitur periculo errandi circa verum finem ultimum hominis.

I. Post elevationem hominis ad ordinem supernaturalem, beatitudo hominis consistit in visione intuitiva divinæ essentiæ.

II. Hæc beatitudo, cum sit essentialiter supernaturalis, excedit omnem exigentiam et facultatem naturæ.

III. Hæc beatitudo non est facultativa, sed stricte tenetur homo ad eam tendere.

IV. Animæ justorum post mortem, statim ac plene purgatæ fuerint, cœlestem beatitudinem adipiscuntur.

V. Animæ decedentium in peccato mortali mox post mortem pœnis infernalibus addicuntur.

64. **De Beatitudine naturali.** Cum supernaturalis beatitudo liberæ hominis electioni non relinquatur, sed stricte obliget cum exclusione cujuslibet alterius, sequitur : in præsenti hominis statu non dari beatitudinem mere naturalem, quam homo prosequi possit, dimissa beatitudine supernaturali. Unde, quando tractatur in Ethica de beatitudine naturali, sensus est : quisnam fuisset finis hominis ultimus, si homo relictus fuisset in ordine mere naturali? Quæstio non inutilis; tum quia beatitudo supernaturalis, licet in infinitum excedat beatitudinem naturalem, ipsi tamen contrariari non potest, juxta effatum, *Gratia non tollit sed perficit naturam;* tum quia ad profundiorem cognitionem naturæ humanæ expedit scire quodnam sit illud summum bonum ad quo naturaliter tendit, ut diximus supra.

## ARTICULUS V

### *De beatitudine objectiva.*

65. **Errores.** Plurimi sunt. Teste S. Augustino (*de Civit. Dei*, l. 19, c. 1) a Marco Varrone recensebantur 288 sectæ possibiles, quibus postea multæ aliæ accesserunt.

**Conditiones veræ beatitudinis.** 1° Cum beatitudo sit summum hominis bonum, non compatitur secum aliquod malum. 2° Cum de ratione beatitudinis sit quod sit per se sufficiens, necesse est quod beatitudine adepta nullum bonum necessarium homini desit. 3° Cum sit bonum perfectum, ex beatitudine non potest aliquod malum alicui provenire. 4° Quia ad beatitudinem homo ordinatur per principia interiora, oportet quod ad ipsam naturaliter ordinetur ($1^a$ $2^æ$, q. 2, a. 4). Applicando prædictas conditiones, facile discernetur utrum aliquid sit necne vera beatitudo hominis.

#### § I. — De bis in quibus beatitudo non consistit ($1^a$ $2^æ$, q. 2).

66. *Dico* 1°. Non consistit in divitiis (a. 1). *Probatur, quia* divitiæ ordinantur ad finem ulteriorem, ut constat et de divitiis naturalibus, quibus subvenitur ad defectus naturales tollendos : sicut cibus et potus, vestimenta, vehicula et habitacula et alia hujusmodi : — et de magis adhuc de divitiis artificialibus, id est pecuniis, quæ non quæruntur nisi propter divitias naturales comparandas.

*Corollarium.* Multo minus consistit in productione divitiarum, ut

docet *Ethica œconomica* (*de Molinari*) et ut frequentatur a quibusdam patronis qui suos operarios considerant solum ut instrumenta ad divitias producendas.

*Dico* 2°. Non consistit in honoribus (a. 2). *Probatur, quia* honores qui homini exhibentur propter aliquam excellentiam, possunt quidem sequi sed non constituere beatitudinem.

*Dico* 3°. Non consistit in gloria (a. 3). *Probatur,* 1° *quia* etiam gloria sequitur excellentiam; 2° *quia* frequenter gloria humana fallax est.

*Dico* 4°. Non consistit in potestate (a. 4). *Probatur,* 1° *quia* potestas habet rationem principii non finis; 2° *quia* se habet ad bonum et ad malum.

67. **Sensualismus vel hedonismus.** Summum bonum reposuerunt in felicitate corporali : ex antiquis, *Epicurus;* recentius Encyclopedistæ, Positivistæ, Utilitaristæ, ut *Hobbes, Bentham, Stuart Mill;* et insuper practice, multi non Philosophi.

*Dico* 5°. Non consistit in bonis corporis (a. 5). *Probatur.* 1° Bona corporis ordinantur ad conservationem hominis. *Atqui.* Homo ordinatur ad aliquid sicut ad finem, non enim homo est summum bonum. *Ergo...* 2° Omnia bona corporis ordinantur ad bona animæ sicut ad finem. *Ergo...*

*Dico* 6°. Non consistit in voluptate sive spirituali, sive corporali (a. 6). 1ª *pars declaratur.* Sensus est : Licet beatitudini jungatur quædam altissima delectatio, nec ista delectatio constituere potest beatitudinem. *Probatur.* In unaquaque re aliud est quod pertinet ad essentiam, aliud quod est proprium accidens essentiæ. *Atqui.* Omnis delectatio est quoddam proprium accidens quod consequitur vel beatitudinem vel aliquam beatitudinis partem. *Ergo.* Nec ipsa delectatio quæ sequitur bonum perfectum est ipsa essentia beatitudinis, sed proprium accidens consequens ad ipsam.

*Probatur* 2ª *pars.* Voluptas corporalis sequitur bonum corporale quod apprehendit sensus. *Atqui.* Tale bonum non potest esse summum bonum hominis : cum enim anima rationalis excedat proportionem materiæ corporalis, pars spiritualis animæ habet quamdam infinitatem respectu corporis et partium animæ corpori concreatarum. *Ergo.*

68. **Schola Stoica.** Sic dicta ex porticu (στοά) sub qua ejus asseclæ convenire solebant, circa annum 300 A. C. ortum habuit cum *Zenone.* Ex Græcia Romam asportata ibi floruit cum *Seneca, Epicteto, Marco Aurelio.* Tenent virtutem esse supremum imo unicum bonum hominis, reliqua omnia non vere bona sed indifferentia (ἀδιάφορα).

Virtutem videntur identificare cum sapientia quæ super omnes animi affectus (παθη) per quamdam impassibilitatem (ἀπάθεια) elevatur. Cum ista impassibilitate habetur felicitas quæ nullo influxu sive doloris sive voluptatis turbari aut etiam tangi potest.

*Dico* 7°. Non consistit in anima, neque in aliquo bono animæ (a. 7).

1ª *pars,* sc. non ipsa substantia animæ, *probatur*. Ipsa anima in se considerata est ut in potentia existens : fit enim de sciente in potentia sciens actu et de virtuosa in potentia virtuosa actu. *Atqui.* Impossibile est quod id quod est secundum se in potentia existens habeat rationem ultimi finis, quia potentia essentialiter ordinatur ac actum sicut ad suum complementum. *Ergo.* Impossibile est quod ipsa anima sit finis ultimus suiipsius.

2ª *pars,* sc. neque aliquod bonum animæ, sive sit potentia, sive actus, sive habitus, *probatur*. Bonum quod est ultimus finis est bonum perfectum complens hominis appetitum. *Atqui.* Appetitus humanus qui est voluntas est boni universalis et quodlibet bonum inhærens ipsi animæ est bonum participatum et consequenter particulatum. *Ergo.* Impossibile est quod aliquod eorum sit ultimus finis hominis.

*Dico* 8°. Non consistit in congerie omnium prædictorum bonorum. *Probatur* 1° *quia* bonum ad quod tendit natura est aliquid unum, sicut et ipsa natura (n° 54, Coroll. 3) ; 2° *quia* sæpius inter prædicta bona datur absoluta incompatibilitas, sicut inter bona fortunæ vel bona corporis et bona animæ.

### § 2. — In quo consistat beatitudo.

69. Ex philosophis ethnicis nullus pervenit ad hujus altissimæ rei plenam notitiam. Ethica Aristotelica non assurgit ultra bonum immanens ipsi homini. Plato quidem laudatur a S. Augustino (*de Civit. Dei*, l. 8, c. 8) quod magis appropinquaverit ad veritatem in sua doctrina de Summo Bono, sed forte nimia indulgentia usus est S. Augustinus erga philosophiam Platonicam. Idem adumbratum reperitur, licet multis erroribus permixtum, specialiter de metempsychosi, in Philosophia Pythagoræ et Scholæ Italicæ.

70. *Conclusio.* **In nullo bono creato, sed in solo Deo consistit beatitudo hominis.**

*Probatur.* 1° *Argumento cosmologico* (1, q. 44, a. 4). Finis ultimus uniuscujusque rei est qui intenditur a Deo. *Atqui.* Finis ultimus a Deo intentus in creatione est sua bonitas. *Ergo.* Deus seu divina bonitas est finis ultimus omnium rerum.

*Major probata est* n. 54, Coroll. 1 *et insuper probatur,* quia idem

est finis agentis et patientis, in quantum hujusmodi, sed aliter et aliter : Unum enim et idem est quod agens intendit imprimere et quod patiens intendit recipere.

*Minor probatur, quia* divinæ voluntatis alius finis esse non potest quam divina bonitas (1, q. 19, a. 2) : *et declaratur* ex differentia inter actionem Dei et actionem agentium inferiorum : Agens imperfectum sua actione intendit aliquid acquirere ; agens vero perfectissimum quod est Deus, non agit propter acquisitionem alicujus finis, sed intendit solummodo communicare suam perfectionem quæ est sua bonitas.

*Declaratur Consequens.* Sic Deus est finis ultimus omnium rerum quatenus unaquæque creatura intendit consequi suam perfectionem quæ est similitudo et participatio perfectionis et bonitatis divinæ. Unde « res non ordinantur in Deum sicut in finem cui aliquid acquiratur, sed ut ab ipso ipsummet suo modo consequantur » (*Cont. Gent.*, l. 3, c. 18).

2° *Argumento psychologico* (1ª 2æ, q. 2, a. 8). Beatitudo est bonum perfectum totaliter quietans appetitum. *Atqui.* Nullum bonum creatum potest totaliter quietare appetitum hominis. *Ergo...*

*Probatur minor.* Omne bonum creatum est finitum et particulatum. *Atqui.* Appetitus hominis, id est voluntas, quietari non potest a bono finito, sed solum a bono infinito : objectum enim voluntatis est universale bonum, sicut objectum intellectus est universale verum. *Ergo.*

Unde S. Augustinus (*Confess.*, l. 1, c. 1) : *Fecisti nos, Domine, ad te et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.*

71. *Objectio* 1ª. Bonum divinum est objectum beatitudinis Dei. *Atqui.* Homo non potest habere beatitudinem Dei. *Ergo.* Bonum divinum non est objectum beatitudinis hominis.

*Respondeo. Dist. Maj.* objectum beatitudinis Dei, quatenus possidetur a Deo speciali modo, *Conc.* quatenus possidetur a solo Deo, *nego.* Omnium enim agentium finis ultimus objectivus est unus, sc. bonitas divina, sed unumquodque illum finem consequitur suo modo, in quo consistit finis ultimus formalis. — *Contradist. min.* eodem modo ac Deus, *Conc.* modo suo, *nego.*

*Objectio* 2ª. Beatitudo naturaliter appetitur a voluntate. *Atqui.* Voluntas naturaliter appetit bonum in communi. *Ergo.* Beatitudo est bonum in communi.

*Respondeo. Dist. min.* Bonum in communi, id est bonum non limitatum, ut revera existit in singulis entibus creatis, *Conc.* bonum reduplicative ut est in communi seu abstractum, *nego.*

## ARTICULUS VI

### *De beatitudine formali* (1ª 2æ, q. 3).

Hæc materia, cum sit præcipue theologica, remittitur tractanda Commentatoribus S. Thomæ, ideo hic brevissime eam tangimus.

72. *Conclusio* 1ª. **Beatitudo formalis consistit in operatione.**

*Probatur*. Beatitudo est ultima hominis perfectio. *Atqui*. Unumquodque in tantum perfectum est in quantum est actu. *Ergo*. Oportet beatitudinem in ultimo actu hominis consistere. *Subsumo, Atqui*. Ultimus actus hominis est operatio quæ dicitur actus secundus. *Ergo*. Beatitudo consistit in operatione.

*Conclusio* 2ª. **Non consistit in operatione partis sensitivæ.**

*Probatur*. 1° Beatitudo hominis consistit essentialiter in conjunctione ipsius ad bonum increatum (n. 70). *Atqui*. Bono increato homo non potest conjungi per operationem sensus. *Ergo*...

2° Beatitudo non consistit in bonis corporalibus. *Atqui*. Sola bona corporalia attingimus per operationem sensus. *Ergo*.

73. **Variæ sententiæ**. Ex dictis, constat beatitudinem formalem consistere in operatione partis rationalis. Sed in parte rationali distinguitur intellectus et voluntas, unde plures sunt sententiæ : 1° *S. Thomas* tenet beatitudinem consistere in solo actu intellectus ; 2° *Scotus*, in solo actu voluntatis ; 3° *Suarez*, in utroque simul.

*Conclusio* 3ª. **Non consistit in duobus actibus.**

*Probatur*. Beatitudo formalis est essentialiter prima assecutio finis ultimi. *Atqui*. Prima assecutio finis ultimi uni tantum operationi competere potest. *Ergo*. Non consistit in duobus actibus.

*Probatur minor*. Operationes diversarum potentiarum non procedunt æque simul a suis potentiis, sed necessario datur prioritatis ordo et posterioritatis, v. g. inter intellectum et voluntatem. *Ergo*. Duo actus non possunt æque simul esse assecutivi finis ultimi, sed necesse est unum esse priorem altero.

*Conclusio* 4ª. **Non consistit in actu voluntatis.**

*Probatur*. Voluntas fertur in finem *a*) vel absentem, cum ipsum desiderat, *b*) vel præsentem, cum in ipso quiescens delectatur. *Atqui*. *a*) Desiderium finis non est consecutio finis, sed motus ad finem ; *b*) delectatio vero est effectus sequens præsentiam finis. *Ergo*.

*Conclusio* 5ª. **Consistit non in actu intellectus practici, sed in contemplatione.**

*Probatur.* 1° Beatitudo, cum sit optima operatio hominis, oportet quod sit optimæ potentiæ respectu optimi objecti. *Atqui.* Optima potentia est intellectus, cujus optimum objectum est Deus. *Ergo.* Beatitudo consistit in operatione intellectus circa Deum. *Subsumo, Atqui.* Deus non est objectum practici intellectus sed speculativi. *Ergo.* Beatitudo consistit in contemplatione Dei.

2° Finis ultimus quæritur propter se et non propter aliud. *Atqui.* Contemplatio maxime quæritur propter seipsam; actus vero intellectus practici non quæritur propter seipsum sed propter actionem et ipsæ actiones ordinantur ad aliquem finem. *Ergo.* Finis ultimus non potest consistere in vita activa, quæ pertinet ad intellectum practicum.

3° Beatitudo est summa perfectio hominis. *Atqui.* Summa perfectio hominis potius habetur in vita contemplativa quam in vita activa : quia in vita contemplativa homo communicat cum superioribus, sc. cum Deo et Angelis quibus per beatitudinem assimilatur; sed in his quæ pertinent ad vitam activam etiam alia animalia cum homine aliqualiter communicant, licet imperfecte. *Ergo.* Beatitudo consistit in contemplatione.

74. **Scholion.** In quo vero consistat ista contemplatio Dei mere naturalis non facile determinatur. Certe non esset visio intuitiva : quia visio intuitiva Dei essentialiter pertinet ad ordinem supernaturalem. Ergo esset cognitio abstractiva : « Beatitudo naturalis consisteret in cognitione Dei naturaliter perfectissima, qua anima separata in sua essentia tanquam in puro speculo contemplaretur Deum ut bonum suum[1]. » Quomodo vero cognitio mere abstractiva Dei sufficiat ad plene satiandum appetitum hominis, nobis remanet valde obscurum.

Quomodo intelligi debeat desiderium illud naturale visionis intuitivæ de quo loquitur S. Thomas (1, q. 12, a. 1 ; 1ª 2æ, q. 3, a. 8 et passim), fusius disputant Theologi ad quos remittimus.

## ARTICULUS VII

### *De adeptione beatitudinis.*

#### I. De possibilitate adipiscendi beatitudinem.

75. Hæc quæstio soluta manet ex dictis de beatitudine supernaturali (n. 63).

1. Gredt, *Elementa Philosophiæ Aristotelico-Thomisticæ*, t II, n. 823, 2°.

1° Possibile est adipisci beatitudinem supernaturalem cum supernaturali auxilio gratiæ divinæ : et hoc est de fide.

2° De facto in præsenti statu naturæ elevatæ, homo deficiens a beatitudine supernaturali non potest obtinere finem ultimum naturalem.

3° Si mansisset homo in statu naturæ puræ, habuisset possibilitatem adipiscendi : repugnat enim divinæ sapientiæ quod dederit naturalem tendentiam ad impossibile.

### II. De ipsa beatitudinis adeptione.

76. *Conclusio* 1ª. **Perfecta beatitudo non potest haberi in hac vita** (1ª 2æ, q. 5, a. 3; *Cont. Gent.*, l. 3, c. 47 et 48).

*Probatur.* Beatitudo enim, cum sit bonum perfectum, *a*) et omne malum excludit, *b*) et omne bonum implet. *Atqui. a*) In hac vita non potest omne malum excludi : multis enim malis præsens vita subjacet quæ vitari non possunt, et ignorantiæ ex parte intellectus, et inordinatæ affectioni ex parte appetitus et multiplicibus pœnalitatibus ex parte corporis (S. Aug., *de Civ. Dei*, l. 19, c. 2 et ss.). *b*) Similiter et boni desiderium in hac vita satiari non potest : Naturaliter enim homo desiderat permanentiam boni quod habet; sed bona præsentis vitæ transitoria sunt, sicut et ipsa vita. *Ergo.* Impossibile est in hac vita veram beatitudinem haberi.

77. Ex dictis, beatitudo nobis reservatur possidenda in altera vita, sed quandonam ? Utrum statim post mortem, an post longiores transmigrationes animæ? Animarum transmigrationem docuerunt antiquitus philosophi ex India et Pythagoras, recentius Theosophi. Contra quos :

*Conclusio* 2ª. **Nullo fundamento nititur doctrina Metempsychoseos.**

*Probatur.* Ad veritatis cognitionem devenimus vel per experientiam, vel per deductionem, vel per divinam revelationem. *Atqui.* Ex nullo capite demonstratur Metempsychosis. *Ergo.*

78. Insuper, fide constat simul cum vita præsente terminari statum viæ hominemque in instanti mortis reponi in statu termini per respectum ad finem ultimum; sed dubitari potest an pendeat hæc determinatio ex sola libera Dei voluntate, annon potius postuletur ab ipsa natura hominis. Pendere a sola Dei voluntate tenent plures, ut Cardinalis *Mercier*[1]; S. Thomas vero docet postulari a natura hominis.

1. *Psychologie,* t. II, n. 288 : « Au point de vue purement rationnel, il est donc démon-

*Conclusio* 3ª. **Naturæ humanæ convenientius videtur asseri in ipso instanti mortis terminari debere statum viæ per respectum ad finem ultimum** (*Cont. Gent.*, l. 4, c. 95).

*Probatur*. Mutatio circa finem ultimum sequitur mutationem in dispositionibus animæ. *Atqui*. Anima est in statu mutabili quamdiu corpori unitur, non vero post separationem. *Ergo*. Anima immutabiliter stat in statu in quo versabatur in momento separationis.

*Probatur major*. Appetitus enim finis ultimi secundum rationem suam formalem naturalis est, ideoque simpliciter immutabilis; quod vero homo ut finem ultimum appetat hanc vel illam rem, hoc pendet ex dispositione animæ, v. g. ex passione, ex habitu. Unde, dispositione manente qua aliquid desideratur ut finis ultimus, non potest illius desiderium moveri, quia ultimus finis maxime desideratur, unde non potest aliquis a desiderio finis ultimi revocari per aliquid desiderabile magis.

*Probatur minor*. Animæ enim dispositio movetur per accidens secundum aliquem motum corporis : cum enim corpus deserviat animæ ad proprias operationes, ad hoc ei naturaliter datum est ut in ipso existens perficiatur quasi ad perfectionem mota. Quando igitur erit a corpore separata, non erit in statu ut moveatur ad finem, sed ut fine adepto semper quiescat. Immobilis igitur erit voluntas quantum ad desiderium ultimi finis.

### III. De duabus proprietatibus beatitudinis adeptæ.

79. Adepta beatitudo est *delectabilis* et *inamissibilis*.

*Conclusio* 1ª. **Beatitudinem sequitur delectatio summa.**

*Probatur*. Delectatio causatur ex hoc quod appetitus requiescit in bono adepto. *Atqui*. Beatitudo nihil aliud est quam adeptio summi boni. *Ergo*.

*Conclusio* 2ª. **Beatitudo semel habita essentialiter inamissibilis est.** Contra Scotum et plures alios qui tenent esse inamissibilem ex sola gratia Dei.

*Probatur*. Beatitudo, cum sit consummata hominis perfectio, oportet quod desiderium hominis quietet et omne malum excludat. *Atqui*. Naturaliter homo desiderat retinere bonum quod habet et quod

trable que l'épreuve morale de l'homme aura tôt ou tard un terme; il nous semble néanmoins difficile de démontrer que ce terme doive nécessairement coïncider avec le dernier moment de la vie actuelle et que toute prolongation d'épreuve au delà de la tombe soit impossible. »

ejus retinendi securitatem habeat : alioquin necesse est quod timore amittendi vel dolore de certitudine amissionis affligatur. *Ergo.* Requiritur ad veram beatitudinem quod homo certam habeat opinionem bonum quod habet nunquam se amissurum. *Subsumo, Atqui.* Hæc opinio vel vera erit, vel falsa. *Si prius,* habetur intentum. *Si posterius,* hoc ipsum est quoddam malum falsam opinionem habere : nam falsum est malum intellectus sicut verum est bonum ipsius. Non igitur jam vere erit beatus, si aliquod malum ei inest.

### IV. De privatione beatitudinis.

80. *Conclusio.* **Privatio beatitudinis est summum malum.**

*Probatur.* Malum est privatio boni debiti. *Atqui.* Beatitudo est summum bonum. *Ergo.* Privatio beatitudinis est summum malum.

*Nec objiciatur* status hominis in hac vita, quia hic habetur simplex carentia, non privatio beatitudinis.

## ARTICULUS VIII

*De fine hujus vitæ præsentis supremo.*

81. *Conclusio* 1ª. **Finis hujus vitæ supremus consistit in directione ipsius vitæ ad beatitudinem vitæ futuræ.**

*Probatur.* Finis intermedius, qua talis, totam suam rationem participat a fine ultimo, quatenus sc. ad ipsum conducit. *Atqui.* Finis hujus vitæ se habet ad finem ultimum hominis sicut finis intermedius. *Ergo.* Finis seu propria perfectio hujus vitæ consistit in directione ad finem ultimum.

*Probatur minor* ex unitate naturæ humanæ in utroque statu, in statu sc. unionis qui est status viæ et statu separationis qui est status termini. « Homo in statu vitæ istius constitutus est quasi in quadam via qua debet tendere in patriam[1]. »

82. *Conclusio* 2ª. **Ad istum finem non pertinet, etiam tanquam elementum secundarium, moderata prosperitas temporalis.** Contra quosdam Catholicos (qui tamen videntur errare magis quoad modum loquendi quam quoad ipsam doctrinam). Dicunt : Cum homo sit naturæ sensitivo-rationalis, elementum quidem

1. 1, q. 113, a. 4.

primarium felicitatis hujus vitæ se habet ex parte rationis, sed datur elementum secundarium se tenens ex parte vitæ sensitivæ, quatenus non repugnat rationi, in quo consistit subordinatio negativa. Nos vero exigimus subordinationem positivam : Bonum enim temporale, licet sit verum bonum est solum bonum utile; ergo pertinet ad felicitatem hujus vitæ tanquam instrumentum.

*Probatur.* Natura humana, licet ex duplici elemento constans, est physice una, ergo habet finem unum.

83. *Conclusio* 3ª. **Finis iste principaliter attingitur voluntate et non intellectu.** Et quoad hoc differt a fine simpliciter ultimo hominis, qui attingitur intellectu.

*Probatur.* Finis iste est perfectio hominis in hac vita. *Atqui.* In præsenti vita perfectio hominis attenditur secundum voluntatem et non secundum intellectum. *Ergo.*

*Probatur minor.* In præsenti enim vita non ideo homo est bonus quia cognoscit bonum, sed quia vult bonum. Quod constat, si comparetur processus rationis et voluntatis. In ratione cognitio fit secundum quod cognitum est in cognoscente; sed omne receptum ad modum recipientis recipitur; ideo bonum et a bonis et a malis cognoscitur. In voluntate vero amor fit per hoc quod appetitus tendit in rem appetitam; sed tendit in rem appetitam in se; ideo ex amore boni dicitur homo bonus simpliciter.

*Unde dicitur :* finem hujus vitæ consistere in virtute.

*Conclusio* 4ª. **In virtute consistit vera felicitas hujus vitæ.** Dicitur *vera* per oppositionem ad *falsam* felicitatem quæ quæritur in bonis inferioribus.

*Probatur.* Appetitus in bono habito quiescit. *Atqui.* Virtus est proprium bonum hujus vitæ. *Ergo.* Quando habetur, quiescit appetitus hominis et ista quietatio delectabilis est vera felicitas hujus vitæ.

*Nota.* Consistit ista felicitas in testimonio bonæ conscientiæ, dum econtra perversi homines doloribus remorsus cruciantur.

84. *Corollarium* 1ᵐ. **In hoc splendet mirabilis ordo divinæ sapientiæ.** Homo enim, ut diximus n. 52, sic propter se gubernatur a Deo quod tamen finis hominis subordinatur et fini universi et ipsi Deo. Sed homo, ut constat ex analysi psychologica, naturaliter inclinatur et ad volendum proprium bonum, id est felicitatem; et ad volendum bonum universi, quia per virtutem, quæ est hujus vitæ perfectio, rectificatur vita humana secundum ordinem universalem; et ad volendum Deum, finem ultimum totius universi. Sic a labe egoismi purificatur tendentia naturalis hominis ad felicitatem, cum felicitas essentialiter sequatur virtutem et utraque consummationem

suam accipiat in ipso Deo. « Inde necesse est ut fiat homo beatus, unde fit bonus. » S. Aug., Ep. 130[1].

85. *Corollarium* 2[m]. **Sic confutatur error Kantii**, qui statuit murum æreum inter Aretologiam et Eudæmonologiam. Nec audiendi sunt qui Kantianæ theoriæ nobilitatem laudant : insufficiens est nobilitas, ubi deest veritas. Sed de hac confutatione fusius agemus infra, cum tractabimus de sanctione legis naturalis (n. 327).

86. *Corollarium* 3[m]. **Sic confutatur error Pessimismi.** Quovis tempore adfuerunt aliqui Pessimistæ. Sed omissis illis quorum Pessimismus non aliud est quam doloris accidentalis sensus (sic v. g. ex eo quod quis stomacho laborat, vitam æstimat malam et mundum malum, et ab ista forma parum recedit Pessimismus *Leopardi*) duæ principaliores formæ recenseri possunt.

Prior forma ortum habuit sæc. XVII per reactionem contra optimismum Leibnitzii : ita *Bayle*. Istius systematis moderni fautores sequentibus motivis innituntur : 1° Impassibilitas naturæ erga hominem demonstrat ipsam naturam esse malam ; 2° vita in se est mala, tum in animalibus quæ invicem se devorant, tum in homine fragili et miserrimo, qui nec suæ existentiæ rationem agnoscere potest ; 3° nedum sperari possit mali imminutio ex progressu, econtrario inde magis augetur malum, quia ex progressu materiali præbetur occasio immaniorum cladium et ex progressu morali magis acuitur sensibilitas proportionaliterque crescit dolor.

Altera forma sæc. XIX inchoata est a *Schopenhauer* quam aliquantum immutavit *Hartmann*. Rationem speculativam destruxerat Kantius ; *Schopenhauer* intendit destructionem rationis practicæ. Volun-

1. « Lorsqu'on a bien compris ces trois mots, les plus beaux du langage humain : le Devoir, le Bonheur, la Gloire de Dieu, on a compris quelle est la fin de l'homme, unique et triple à la fois. Ces trois mots expriment Dieu lui-même : Dieu obéi, Dieu possédé, Dieu glorifié. Ils expriment aussi la hiérarchie et l'ordre des ascensions de l'âme vers son Dieu : le bonheur est la suite du devoir ; la gloire de Dieu est la suite de l'un et de l'autre, c'est le terme final inséparable des deux premiers.

« Le bonheur pour le bonheur eût été un odieux égoïsme ; le devoir pour le devoir, un formalisme stoïque et chimérique. Mais le bonheur par le devoir et pour la gloire de Dieu, c'est une ambition bien ordonnée et légitime ; plus que cela, c'est une ambition obligatoire que nous ne pouvons décliner, car c'est l'ordre voulu de Dieu, ordre qu'il ne peut même pas ne pas vouloir, parce que tel est l'ordre essentiel et raisonnable des choses, que notre bonheur soit subordonné au devoir et à Dieu, comme à son principe et à son terme.

« Admirable sagesse des conseils de Dieu, qui a ainsi concilié ce qui paraissait inconciliable : l'amour du bonheur et du bien absolu, les intérêts de l'homme et les intérêts de Dieu, qui semblent désormais confondus ou si indissolublement unis, que l'homme pourra dire à son gré qu'il est créé ou pour le Devoir, ou pour le Bonheur, ou pour la Gloire de Dieu, ces trois mots devenant synonymes, ou exprimant trois aspects de la même réalité : Dieu se communiquant à l'homme dans le temps et dans l'éternité, dans l'épreuve et la béatitude. » FARGES, *La Liberté et le Devoir* (1908), p. 239.

tas, ait, est mundus. Duo sunt actus liberi, unus qui fuit malum initiale et suprema stultitia : creatio ; alter qui est bonum et sapientia : regressus in nihilum. Datur absoluta identitas omnium, unde requiritur compassio universalis : inde nomen *Ethicæ compassionis*. Fugienda est delectatio, quia sequitur ex indigentia, ergo ex defectu, ergo ex malo. Appetendum *Suicidium cosmicum*.

Negandum est vitam esse malum. Licet enim homo in terris degens plurimis malis subjaceat, vita consideranda est tanquam medium perveniendi ad beatitudinem : vita non est finis hominis, sed medium ad finem ultimum, et hoc est valde bonum. Ea est vera ratio vitæ humanæ quæ ideo *digna est ut vivatur*. Insuper, spectato ordine supernaturali, ordinatur vita præsens ad hoc quod operibus suis meritoriis perveniat homo ad visionem Dei intuitivam, ex quo immensum valorem et decus acquirit.

## CAPUT SECUNDUM

### DE ACTIBUS HUMANIS PSYCHOLOGICE CONSIDERATIS.

87. Post considerationem finis ultimi, agendum de actibus humanis per quos, tanquam per gressus, tendit homo ad finem suum ultimum. Agemus 1° de ipsis actibus humanis (cap. II-V); 2° de principiis actuum humanorum (cap. VI-VIII).

Ex actibus vero hominis qui Moralistæ considerationi subjacent, quidam sunt proprii hominis et quidam sunt communes homini et aliis animalibus, qui dicuntur *passiones*. De actibus proprie humanis agitur in cap. II-IV, de passionibus in cap. V.

Actus vero proprie humani considerari debent et in suo esse physico et in suo esse morali. Prima consideratio proprie pertinet ad Psychologiam; attamen propter suam intimam connexionem cum Ethica, plures auctores, v. g. *Goudin, Zigliara,* exemplo S. Thomæ qui psychologiam partis appetitivæ non exponit in tractatu *de Homine* in 1ª parte, sed in tractatu *de Actibus humanis* (1ª 2æ, q. 6-21), consueverunt psychologicam hanc considerationem activitatis voluntariæ reservare philosophiæ morali: quibus morem gerentes agemus 1° de actibus humanis psychologice consideratis (cap. II); 2° de actibus humanis moraliter consideratis (cap. III); et tandem 3° de quibusdam consectariis moralitatis (cap. IV).

**Actus elicitus vel imperatus.** Tandem cum actus humanus sit actus a libera voluntate hominis procedens, dupliciter potest actus procedere a voluntate, vel immediate, v. g. amor, odium, vel mediante altera potentia, v. g. studere, ambulare. Unde distinguitur actus *elicitus* et actus *imperatus*. Actus elicitus procedit immediate a voluntate; actus imperatus procedit a voluntate mediante altera potentia et uterque actus distincte considerandus est. Antea tamen plura sunt exponenda quæ conveniunt omnibus actibus humanis. Ideo agemus 1° de his quæ conveniunt omnibus actibus humanis generaliter (art. 1); 2° deinde specialiter de actibus elicitis (art. 2) et de actibus imperatis a voluntate (art. 3).

## ARTICULUS I

*De his quæ conveniunt omnibus actibus humanis generaliter.*

Ex his quæ omnibus actibus humanis conveniunt, alia haberi possunt quasi ut substantialia ipsius actus, alia ut ejusdem accidentia. Inter ea quæ pertinent quasi ad substantiam actus humani, maxime eminet voluntarium; accidentia vero sunt circumstantiæ actus. Ideo agendum 1° de voluntario (§ 1) et involuntario (§ 2); 2° de circumstantiis (§ 3).

### § 1. — De voluntario (1ª 2æ, q. 6, a. 1-3).

88. **Definitio.** Voluntarium definitur : *Quod est a principio intrinseco cum cognitione finis.* Hujus definitionis duo sunt elementa essentialia : *principium intrinsecum,* quod se habet per modum generis; *cognitio finis,* quæ designat differentiam specificam. Propter *cognitionem finis*, distinguitur voluntarium a naturali quod caret cognitione; propter *principium intrinsecum*, distinguitur a violento cujus principium est extra.

« Hoc importat nomen voluntarii quod motus et actus sit a propria inclinatione [1] », et consequenter a principio intrinseco. Duplex autem esse potest principium intrinsecum motus, scilicet *efficiens* et *finale*. Ideo illa maxime proprie dicuntur moveri a principio intrinseco, in quibus utrumque principium est intrinsecum. Unde naturalia agunt quidem ex principio intrinseco efficiente; quæ vero cognitione sunt prædita, agunt ex principio intrinseco et efficiente et finali; ideo speciali modo ipsis competit nomen et ratio voluntarii.

Voluntarium, licet etymologiam ducat a voluntate, non tamen idem est ac *liberum;* nam, uti patet, supracitata definitio applicatur etiam operationibus brutorum quæ procedunt a principio intrinseco et cum cognitione finis. Unde actus voluntarius quando accipitur proprie, fere idem significat ac actus *voluntarius* in terminologia moderna [2]. De facto tamen quando de voluntario loquuntur auctores in decursu trac-

1. Q. 6, a. 1.

2. « Voici l'échelle des mouvements que l'on rapproche des mouvements spontanés :

Mouvements chez l'animal ou chez l'homme.
- **Réflexes**
  - *simples*, par ex. rotulien, — conscients ou inconscients.
  - *compliqués*, par ex. toux, — conscients ou inconscients.
- **Automatiques.**
- **Volontaires**
  - *spontanés*
    - instinctifs.
    - variés.
  - *libres.*

(Card. Mercier, *Psychologie*, 6e éd. 1903, t. III, p. 342, note.)

tatus, intendunt de libero : nec immerito, cum agant de voluntario hominis.

Imo non solus actus dicitur *voluntarius,* idem dici potest de pluribus effectibus actionum humanarum, de illis scilicet qui procedunt ex principio intrinseco cum cognitione finis. Voluntarium tamen distinguitur a *volito,* quia volitum non necessario procedit ab aliquo influxu voluntatis, sed est ejus objectum et terminus extrinsece denominatus a volitione : sic pluvia est volita ab agricola, non ipsi voluntaria.

89. **Divisiones**. Dividitur 1° in *perfectum* et *imperfectum. Perfectum*, quod fit ex perfecta cognitione, id est quando cognoscitur ratio finis seu finis formaliter (n. 43); *imperfectum,* ex imperfecta cognitione, quæ scilicet cognoscit solum finem materialiter. Voluntarium perfectum est proprium creaturæ rationalis et ad ipsum pertinent sequentes divisiones.

2° in *liberum* et *necessarium.* Ponitur ista distinctio propter actum beatificum qui perfecte voluntarius est et simul necessarius. Si vero spectentur actus hominis viatoris, idem est voluntarium perfectum et liberum. — Voluntarium liberum potest esse aut *perfecte* aut *imperfecte liberum,* prout procedit ex deliberatione perfecta aut imperfecta.

3° in *positivum* et *negativum* (quod a S. Thoma dicitur *directum* et *indirectum*). *Positivum* fit per actus positionem; *negativum* per omissionem, quando sc. aliquis tenetur agere, potest et advertit, et tamen non agit.

4° in *simpliciter* et *secundum quid.* Apud S. Thomam dicitur voluntarium simpliciter quod est tale secundum se et voluntarium secundum quid quod est tale secundum quod est in sola apprehensione. Sic projectio mercium in mare ad salvandam navem est simpliciter voluntaria, quia secundum se hic et nunc est volita, et secundum quid involuntaria, quia si consideretur abstrahendo a circumstantiis, repugnat voluntati. — Apud recentiores vero dicitur simpliciter voluntarium quod nullam habet permixtionem involuntarii; secundum quid vero, quod aliquid habet involuntarii permixtum; in hoc sensu projectio mercium in mare est secundum quid voluntaria et secundum quid involuntaria

4° in voluntarium *in se* et voluntarium *in causa.* Voluntarium *in se* (quod hodie dicitur *directum*) est illud quod ita in se intenditur ut voluntas per se, directe et immediate versetur circa illud, v. g. furtum. Voluntarium *in causa* (seu *indirectum*) est illud quod in se non intenditur directe et immediate, sequitur tamen ex aliquo per se volito et ideo censetur volitum in alio tanquam in causa : sic rixæ sunt voluntariæ in causa illi qui deliberate se inebriat, sciens se in ebrietate passim rixari, licet aliunde rixas in se detestetur. In Theologia morali

maximi momenti est consideratio voluntarii in causa, de cujus conditionibus tractabimus infra, n. 210.

### § 2. — De involuntario.

**90. Notio et radices.** « Involuntarium est privatio voluntarii[1]. » Provenit ex defectu alterutrius conditionis voluntarii, unde « dupliciter aliquid est involuntarium. Uno modo per hoc quod excluditur ipse motus appetitivæ virtutis : et hoc est involuntarium per violentiam. Alio modo quia excluditur cognitio virtutis apprehensivæ, et hoc est involuntarium per ignorantiam[2] ». Primo modo dicitur involuntarium *positive* et *contrarie,* cum fiat contra inclinationem intrinsecam; secundo modo dicitur involuntarium *negative* vel *privative*, id est non voluntarium. « Non voluntarium dicitur per solam remotionem actus voluntatis, sed involuntarium dicitur per hoc quod voluntas contrariatur ei quod fit; unde ad involuntarium sequitur tristitia, quæ tamen non consequitur semper ad non voluntarium[3]. »

Quatuor recensentur radices involuntarii quæ sunt : violentia (seu vis), metus, concupiscentia et ignorantia[4].

#### I. De violentia (1ª 2æ, q. 6, a. 4 et 5).

**91. Violentum** definitur : *cujus principium est extra, nihil conferente vim passo.*

Violentum etiam in rebus inanimatis inveniri potest, ut cum lapis sursum projicitur. Prout voluntario opponitur, magis proprie *coactum* nuncupatur.

Distinguitur violentia *absoluta,* quando sc. nihil omnino confert patiens; et *secundum quid,* quando voluntas, licet renitens, aliquid ex se confert, et ista plerumque est moralis et reducitur ad metum.

*Conclusio* 1ª. **Violentia non potest inferri quoad actus elicitos voluntatis, — sed solum quoad actus imperatos.**

*Probatur* 1ª *pars,* ex definitione voluntatis et violenti. Repugnat quod aliquid simul sit et ab intrinseco et non ab intrinseco. *Sed* actus voluntatis est ab intrinseco et actus violentus non ab intrinseco. *Ergo.* Voluntas et violentum sunt duo incompossibilia.

1. In 3 *Ethic.*, l. 1.
2. *Ibid.*
3. *Malo*, q. 3, a. 8.
4. De dictis radicibus tractat hic S. Thomas (1ª 2æ, q. 6, a. 4-8) sub respectu mere psychologico; de iisdem, quatenus conferunt ad moralitatem, tractaturus q. 75-78. Quod non advertentes multi Theologi Morales hic in limine tractatus disputant de his quæ augent vel minuunt moralitatem, antequam exposuerint quid sit moralitas.

*Probatur* 2ª *pars,* in quantum sc. per violentiam exteriora membra impediri possunt ne imperium voluntatis exequantur.

*Conclusio* 2ª. **Violentia absoluta causat involuntarium simpliciter.**

*Declaratur.* Intellige de violentia absoluta. Hæc conclusio sic enunciatur a S. Thoma : Violentia directe opponitur voluntario sicut et naturali (1ª 2ᵉ, q. 6, a. 5). Unde de utroque simul procedit argumentatio.

*Probatur.* Commune est voluntario et naturali quod utrumque sit a principio intrinseco. *Atqui.* Violentum ita est ab intrinseco quod principium intrinsecum excludit. *Ergo.* Sicut in rebus quæ cognitione carent, violentia aliquid facit contra naturam, ita in rebus cognoscentibus facit aliquid esse contra voluntatem. *Subsumo*, *Atqui.* Quod est contra naturam dicitur esse innaturale. *Ergo.* Quod est contra voluntatem dicitur esse involuntarium. *Unde* violentia involuntarium causat.

### II. De metu (1ª 2ᵉ, q. 6, a. 6).

92. **Definitio.** Metus definitur in jure romano : *Futuri et instantis periculi causa mentis trepidatio,* id est perturbatio. « Philosophi definiunt timorem dicentes quod est expectatio mali. Et sumitur hic expectatio communiter pro quolibet motu appetitus in aliquid futurum; cum tamen expectatio proprie loquendo non sit nisi boni, sicut et spes[1]. »

**Divisiones.** Distinguitur : 1° ex parte mali quod timetur : *gravis* vel *levis,* secundum quod timetur malum grave vel leve. — Uterque erit *absolute* vel *relative* talis, secundum quod talis est vel in se, vel respectu alicujus personæ. Absolute gravis dicitur in jure *cadens in constantem virum.* Ad relative gravem reduci potest (licet per se levis reputetur) metus *reverentialis,* quo sc. subditus superioris offensionem timet.

2° Ex parte causæ distinguitur :

- *ab intrinseco*, v. g. si timeatur mors ex morbo gravi.
- *ab extrinseco*
  - *a causa necessaria,* v. g. timor naufragii.
  - *a causa libera*
    - *juste incussus,* v. g. minæ parentium contra seductorem filiæ.
    - *injuste incussus*, v. g. minæ latronis.

1. *In* 3 *Ethic.*, l. 14.

3° ex parte influxusin actionem : *antecedens* vel *concomitans*. *Antecedens,* qui movet ad agendum, unde tunc actio dicitur fieri *ex* metu. *Concomitans,* qui non movet ad actionem, sed solum comitatur eam et tunc actio dicitur fieri *cum* metu. Sic navigator navim conscendit cum metu, sed non ex metu; orta autem tempestate, projicit merces in mare ex metu.

*Conclusio* 1ª. **Quæ fiunt ex metu sunt mixta ex voluntario et involuntario.** Intellige de metu qui sit causa totalis actus.

*Probatur*, ex vulgari exemplo mercatoris projicientis merces in mare. Projectio mercium ex se est mala, et ideo contraria voluntati; considerata vero ut medium ad salvandam vitam est bona et ideo voluntaria.

*Conclusio* 2ª. **Quæ fiunt ex metu sunt voluntaria simpliciter, involuntaria secundum quid.**

*Probatur.* Illud simpliciter esse dicitur quod est in actu; et quod est in sola apprehensione non est simpliciter sed secundum quid. *Atqui.* Quod fit ex metu est voluntarium secundum quod est actu et involuntarium secundum quod est in apprehensione. *Ergo.* Quod fit ex metu est simpliciter voluntarium et involuntarium secundum quid.

*Probatur minor.* Actus sunt in singularibus. *Atqui.* Singulare, in quantum hujusmodi, est hic et nunc, id est vestitum omnibus conditionibus individuantibus. *Ergo.* Id quod fit est actu secundum quod est hic et nunc. *Subsumo*, *Atqui.* Quæ fiunt ex metu sic sunt voluntaria, in quantum scilicet sunt hic et nunc, *quod declaratur exemplo mercatoris projicientis merces in mare. Ergo.*

*Nec objiciatur :* Lege civili annullari contractus ex metu peractos. — Recte sic decretum est a lege civili, et ut servetur pax societatis et in pœnam eorum qui injustum incutiunt timorem.

*Corollarium.* Errat igitur *Puffendorfius*[1] qui æque involuntariam contendit actionem ex vi vel ex metu peractam.

### III. De concupiscentia (1ª 2æ, q. 6, a. 7).

93. **Definitur** : Motus appetitus sensitivi prosequentis bonum sensibile. Unde opponitur timori qui est motus appetitus refugientis malum.

**Distinguitur** : *Antecedens* vel *consequens. Antecedens* præcedit

1. *De jur. nat. et gent.*, l. 1, c. 5.

consensum voluntatis qui ex illa sequitur, v. g. homo ex ira prorumpit in rixam; *consequens* oritur ex actu voluntatis, sic, dum quis appetit vindictam, excitat in se iram.

*Conclusio* 1ª. **Concupiscentia antecedens auget voluntarium, — sed minuit liberum.**

*Probatur* 1ª *pars.* Ex concupiscentia enim augetur interior inclinatio ad actum.

*Probatur* 2ª *pars*, quia minuitur indifferentia libertatis. Libertas enim, cum sequatur deliberatum rationis judicium, eo perfectior est quanto magis expeditæ ab impulsu passionis agunt ratio et voluntas. Et hoc, quia passio turbat judicium rationis et facit ut intellectus proponat voluntati rationes boni concupiscibilis et minus attendat ad rationes boni honesti, quibus ab illo objecto removeri deberet voluntas.

*Conclusio* 2ª. **Concupiscentia consequens nec minuit nec auget voluntarium, — sed est signum intensitatis ejus.**

*Probatur* 1ª *pars.* Minuitur vel augetur voluntarium a causa ipsius voluntarii. *Atqui.* Concupiscentia consequens est effectus voluntarii. *Ergo.* Non potest esse causa cur minuatur vel augeatur.

*Probatur* 2ª *pars.* Ex effectibus innotescit causa, tum quoad suam existentiam, tum aliqualiter secundum suam naturam vel proprietates. *Atqui.* Concupiscentia consequens est effectus voluntarii. *Ergo.* Ex intensitate concupiscentiæ manifestatur intensitas voluntarii.

### IV. De ignorantia (1ª 2æ, q. 6, a. 8).

94. **Notiones.** Ignorantia est carentia scientiæ. Carentia scientiæ non debitæ, ut jurisprudentiæ in rustico, dici potest *nescientia;* carentia scientiæ debitæ, v. g. Decalogi in Christiano est proprie ignorantia.

Huc reducuntur : 1° *error,* qui involvit judicium veritati contrarium; 2° *inadvertentia*, quæ est carentia actualis attentionis.

**Divisiones.** 1° Ratione *objecti*, distinguitur ignorantia *juris* vel *facti*, secundum quod ignoratur vel ipsa lex, v. g. si ignoretur lex de jejunio Quatuor Temporum; vel aliquod factum, v. g. si ignoretur hodie esse Quatuor Tempora.

2° Ratione *influxus in actionem,* distinguitur : *antecedens, concomitans, consequens.* — *Antecedens* præcedit omnem actum voluntatis, ita ut nullimodo sit voluntaria; et est causa volendi id quod non fieret si scientia adesset : ex. gr. venator qui, adhibita sufficienti diligentia, putans invincibiliter occidere cervum, occidit amicum, quem non

occidisset si scivisset esse amicum. — *Concomitans* nullimode est voluntaria et non est causa volendi quod tamen vellet si scientia adesset, ex. gr. venator qui putans invincibiliter occidere cervum, occidit inimicum, quem tamen occidisset si scivisset esse inimicum. — *Consequens* est volita vel directe vel indirecte estque causa cur aliquid fiat quod non fieret si abesset. Directe volita dicitur *affectata,* cum aliquis vult ignorare ad liberius peccandum. Indirecte volita, quando procedit ex negligentia gravi dicitur *crassa* vel *supina;* secus erit *levis.*

3° Ratione *subjecti,* distinguitur *invincibilis* vel *vincibilis. Invincibilis,* quæ adhibita morali diligentia deponi non potest; quasi coincidit cum *antecedente.* Datur in homine quando vel plane non dubitat de re ad quam obligatur, vel saltem non advertit obligationem inquirendi, vel demum, adhibita morali diligentia, in rei notitiam venire non potest. — *Vincibilis,* quæ morali diligentia vinci potest et debet. Ad hanc requiruntur tres conditiones : 1° ut in mentem venerit dubitatio, 2° ut advertatur inquirendi obligatio, 3° ut inquisitio negligatur[1]. Coincidit cum *consequente.*

95. *Conclusio* 1ª. **Ignorantia antecedens causat involuntarium.**

*Probatur* quia nihil volitum nisi præcognitum.

*Conclusio* 2ª. **Ignorantia concomitans nec facit voluntarium — nec involuntarium, — sed non voluntarium.**

*Declaratur* exemplo supra allato.

*Probatur* 1ª *pars,* quia opus ex illa procedens fit sine cognitione.

*Probatur* 2ª *pars,* quia istud opus non est contra inclinationem agentis.

*Probatur* 3ª *pars,* quia est sine cognitione ad voluntarium requisita.

*Conclusio* 3ª. **Ignorantia consequens non tollit voluntarium, — minuit tamen, — nisi sit affectata.**

*Probatur* 1ª *pars,* quia ignorantia consequens est simpliciter voluntaria; ergo, opus ab ea procedens est voluntarium simpliciter : qui enim vult causam, vult et effectum.

*Probatur* 2ª *pars,* quia opus ex ea sequens est aliqualiter contra inclinationem agentis ; si enim adesset scientia, non fieret, ut supponitur.

*Probatur* 3ª *pars,* quia demonstrat inclinationem agentis ad malum.

1. Ærtnys, *Theol. mor.,* l. 1, n. 25.

§ 3. — **De circumstantiis actuum humanorum** (1ª 2æ, q. 7).

96. Post considerationem voluntarii quod in omni actu humano se habet ut elementum substantiale, agendum de circumstantiis quæ sunt tanquam accidentia actus humani.

**Quid sit circumstantia.** « Nomen *circumstantiæ* ab his quæ in loco sunt derivatur ad actus humanos. Dicitur autem in localibus aliquid circumstare quod est quidem extrinsecum a re, tamen attingit ipsam vel appropinquat ei secundum locum. Et ideo quæcumque conditiones sunt extra substantiam actus, et tamen attingunt aliquo modo actum humanum, circumstantiæ dicuntur[1]. »

97. *Conclusio* 1ª. **Circumstantiæ actuum humanorum accidentia eorum dicendæ sunt** (a. 1).

*Probatur.* « Quæcumque conditiones sunt extra substantiam actus et tamen attingunt aliquo modo actum humanum circumstantiæ dicuntur. *Atqui.* Quod est extra substantiam rei ad rem ipsam pertinens, accidens ejus dicitur. *Ergo.* Circumstantiæ actuum humanorum accidentia eorum dicendæ sunt. »

*Objicies.* Accidentis proprium est inesse. *Atqui.* Quod circumstat non inest, sed magis est extra. *Ergo.* Circumstantiæ non sunt accidentia humanorum actuum.

*Respondeo.* « Aliquid dicitur accidens alicujus dupliciter. Uno modo quia inest ei : sicut album dicitur accidens Socratis. Alio modo, quia est simul cum eo in eodem subjecto : sicut dicitur quod album accidit musico, in quantum conveniunt et quodam modo se contingunt in uno subjecto. Et per hunc modum dicuntur circumstantiæ accidentia actuum[2]. »

98. *Conclusio* 2ª. **In Ethica considerandæ sunt circumstantiæ actuum humanorum** (a. 2).

*Probatur.* Ethica considerat actus humanos sub respectu moralitatis, id est quatenus sunt boni vel mali. *Atqui.* Ex circumstantiis diversificantur actus humani secundum bonum et malum, ut dicemus infra. *Ergo.* Circumstantiæ pertinent ad considerationem Ethicæ.

*Objicies.* Circumstantiæ sunt accidentia actuum. *Atqui.* Nulla scientia est circa ens per accidens. *Ergo.* Ethica non habet considerare circumstantias actuum humanorum.

*Respondeo.* « Accidentia quæ omnino per accidens se habent, relinquuntur ab omni arte propter eorum incertitudinem et infinitatem. Sed talia accidentia non habent rationem circumstantiæ, quia sic cir-

1. Ærtnys, *Théol. mor.*, a. 1.
2. *Ibid.*, ad 2.

cumstantiæ sunt extra actum, quod actum tamen aliquo modo contingunt ordinatæ ad ipsum. Accidentia autem per se cadunt sub arte[1]. »

99. *Conclusio* 3ª. **Convenienter enumerantur septem circumstantiæ**, quæ hoc versu continentur : *Quis*, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*. Ita Tullius in sua Rhetorica. Aristoteles in 3 *Ethic.*[2] addit aliam, scilicet *circa quid*, quæ a Tullio comprehenditur sub *quid* (a. 3).

*Declaratur* exemplis quæ in promptu omnium sunt.

100. *Conclusio* 4ª. **Principaliores circumstantiæ sunt propter quid et ea in quibus est operatio** (a. 4).

*Probatur.* « Actus proprie dicuntur humani prout sunt voluntarii. Voluntatis autem motivum et objectum est finis. Et ideo principalissima est omnium circumstantiarum illa quæ attingit actum ex parte finis, scilicet cujus gratia; secundaria vero quæ attingit ipsam substantiam actus, id est quid fecit. Aliæ vero circumstantiæ sunt magis vel minus principales, secundum quod magis vel minus ad illas appropinquant. »

## ARTICULUS II

### *De actibus elicitis a voluntate* (1ª 2æ, q. 8-16).

101. *Conclusio.* **Sex sunt actus eliciti a voluntate : tres circa finem, tres circa media** (in Prol. ante q. 8).

*Declaratur enumeratio :*

I. *Circa finem*, quatenus voluntas :

| | |
|---|---|
| 1° fertur in finem *absolute*, | **simplex volitio.** |
| 2° *quiescit* in fine, | **fruitio.** |
| 3° fertur in finem *ut per media assequendum*, | **intentio.** |

II. *Circa media*, quatenus voluntas :

| | |
|---|---|
| 1° vult *unum* medium *præ aliis*, | **electio.** |
| 2° vult media *absolute*, | **consensus.** |
| 3° media *applicat* ad finem. | **usus.** |

Quia vero appetitus naturaliter subordinatur cognitioni, quemlibet actum voluntatis præcedit actus intellectus qui voluntatem dirigat et moveat objective. Ideo *duodecim* numerantur motus partiales sive intellectus sive voluntatis qui ad integritatem actus humani moraliter perfecti concurrunt, prout ex schemate hic annexo manifestatur. Semper quidem concurrunt, plus minusve explicite, sed cum subito fiant et sibi succedant, sæpius vix ab ipso operante discernuntur.

1. Ærtnys, *Théol. mor.*, ad. 2.
2. 3 *Ethic.*, c. 1.

## 102. SCHEMATICUS CONSPECTUS

EXHIBENS 12 ACTUS PARTIALES, SIVE INTELLECTUS, SIVE VOLUNTATIS, QUI CONCURRUNT AD INTEGRITATEM ACTUS HUMANI.

| *Ex parte intellectus.* | *Ex parte voluntatis.* |
|---|---|
| I. CIRCA FINEM. | |
| **1. Simplex apprehensio** boni. | **2. Simplex volitio** boni. |
| **3. Judicium** proponens finem. | **4. Intentio** finis. |
| II. CIRCA MEDIA. | |
| **5.** Consilii 1ª pars *ad inquirendum* de mediis aptis ad finem, quæ terminatur in **judicio proponente** media reputata convenientia. | **6. Consensus.** |
| **7.** Consilii 2ª pars *ad deliberandum* de mediis eligendis, quæ terminatur in **judicio discretivo et practico.** | **8. Electio.** |
| III. CIRCA EXECUTIONEM. | |
| **9. Imperium.** | **10. Usus activus.** |
| **11. Usus passivus**, qui est potentiarum executivarum, usque ad adeptionem finis et istius adèptionis cognitionem inclusive. | **12. Fruitio.** |

Ordo intentionis terminatur in *electione;* cum *imperio* incipit ordo executionis.

103. De singulis pauca dicemus.

### I. CIRCA FINEM.

**1. Simplex apprehensio.** De simplici apprehensione agebatur in Logica, quæ dicta sufficiunt[1].

1. Cf. ZIGLIARA, *Summa Philos.* Dialectica, l. I. HUGON, *Cursus*, t. I, p. 30.

**2. Simplex volitio** (1ª 2æ, q. 8-10). In ordine appetitivo respondet simplici apprehensioni in ordine intellectivo : Quamlibet enim formam sequitur inclinatio proportionata, ideo statim ac per simplicem apprehensionem præsens est in mente forma aliqua, statim sequitur aliquis motus in parte appetitiva; et sicut simplex apprehensio est cognitio imperfecta, ita simplex volitio est inclinatio imperfecta seu inefficax.

*Definitur.* Simplex voluntatis complacentia in bono per intellectum præsentato.

Est duplex : *prima* et *secunda.* Secunda volitio ex alia priore procedit : sic in variis operationibus mentis quæ integrant consilium, de quibus modo, quælibet superveniens apprehensio nata est generare simplicem volitionem, sed secundam. Prima vero ex alia non pullulat, sed ex ipsa cæteræ oriuntur. Iterum distinguitur *prima simpliciter,* id est in tota vita, et *prima in aliqua serie,* v. g. quam evigilantes primo efformamus, vel circa novum negotium sine ulla connexione cum præcedenti.

Dicitur aliquando *voluntas,* quia sicut in ordine cognitionis actus quo intellectus intuetur verum absolute, id est sine discursu, dicitur *intellectus* per oppositionem ad rationem quæ devenit ad verum discurrendo, ita in ordine appetitivo motus simplex voluntatis in bonum absolute absque respectu ad media dicitur *voluntas.* De ea sub nomine voluntatis scribit S. Thomas (1ª 2æ, q. 8-10), ex quo plures errandi sumpserunt occasionem, applicantes voluntati quæ est potentia, id quod docet S. Thomas de voluntate quæ est simplex volitio [1].

Tandem iste simplex motus voluntatis sequitur naturam objecti quod proposuerit intellectus : si enim objectum fuerit bonum, iste motus erit per modum tendentiæ, ut amor vel desiderium; si vero fuerit malum, motus erit per modum fugæ vel repulsionis, ut timor. Unde diversificatur simplex volitio per varios affectus voluntatis de quibus agetur in tractatu de Passionibus (n. 246).

**3. Judicium proponens finem.** Sæpius simplex apprehensio et simplex volitio transeunt, quin remaneat quidquam in homine. Sæpe tamen, maxime quando simplex volitio majorem intensitatis gradum attigerit, ex ipsa excitatur intellectus ad profundius considerandum bonum illud volitum, rimatur illius excellentiam, certior fit de possibilitate adipiscendi illud. Tandem terminatur ista operatio in judicio proponente illum finem tamquam dignum ut efficaciter appetatur.

1. 1ª 2æ, q. 9, a. 2.

**4. Intentio** (1ª 2æ, q. 12). Dictum judicium statim sequitur motus voluntatis qui est *intentio*.

*Definitur*. Desiderium efficax finis per media assequendi.

Intentio est desiderium *efficax* et sic differt a simplici volitione quæ non erat nisi *velleitas*. Sed qui vult finem vult media. Ideo dicitur intentio respicere finem ut assequendum per media et consequenter in finem per respectum ad media, dum simplex volitio ferebatur in finem absolute.

Hic terminatur processus actionis humanæ circa finem in ordine intentionis; sequuntur actus circa media in eodem tamen ordine intentionis.

### II. Circa media.

**5. Consilii 1ª pars** (1ª 2æ, q. 14). Consilium definitur : Inquisitio seu deliberatio de mediis eligendis. Pertinet ad intellectum practicum. Non consistit in uno actu simplici, imo sæpius plurimos actus diversos comprehendit qui tamen reduci possunt ad duas series ex quibus integratur Consilium. Prima pars procedit ab intentione finis, investigat quænam sint media apta ad finem et terminatur in judicio proponente media reputata convenientia : hanc primam partem sequitur Consensus.

**6. Consensus** (1ª 2æ, q. 15) aliquando sumitur pro actu quo voluntas acceptat bonum sibi propositum : sic peccatum dicitur perfici consensu. Hic sumitur pro speciali actu voluntatis circa media quæ ratio proponit et judicat convenientia.

**7. Consilii 2ª pars**. Ex consensu, quo voluntas acceptavit in generali media convenientia instauratur consilii secunda pars : Ratio enim deliberat de variis mediis præsentatis, quodnam sit eligendum utpote maxime aptum ad finem assequendum; concludit in *judicio discretivo et practico :* hanc secundam partem sequitur electio.

**8. Electio** (1ª 2æ, q. 13). Ab Aristotele dicitur : appetitus præconsiliati[1]; unde definitur : Unius præ alio discretiva quædam acceptatio. Essentialiter igitur importat actum quo unum medium præfertur aliis, et sic differt a consensu : per utrumque enim actum fertur appetitus ad media ordinata ad finem, sed per consensum ad media indiscriminatim sumpta et per electionem ad unum medium quod præfertur aliis. Unde quando adsunt plura media consensus præcedit electionem, « sed si inveniatur unum solum quod placeat, non differunt

1. 3 *Ethic.*, c. 2 ; cf. l. 6, c. 2.

re consensus et electio sed ratione tantum : ut consensus dicatur secundum quod placet ad agendum, electio autem secundum quod præfertur his quæ non placent[1] ».

Hic paululum recedimus a solita nomenclatura nostrorum Thomistarum qui sic distribuunt quatuor prædictos actus.

**5. Consilium.** **6. Consensus.**
**7. Judicium discretivum.** **8. Electio.**

Sed ex isto modo loquendi, viderentur consilium et judicium discretivum esse duo actus distincti, dum econtra juxta *Cajetan.* : « Consilium significat inquisitionem completam, id est usque ad judicium inclusive[2]. » Insuper non satis expresse ponitur essentialis et immediata dependentia electionis a consilio, quæ immediata dependentia probatur ex utriusque definitione, quia electio est *appetitus præconsiliati* et consilium *inquisitio de mediis eligendis*. Ideo melius visum est in consilio duplicem distinguere seriem operationum : utraque terminatur in uno judicio et prius judicium sequitur consensus, alterum electio.

Ex supra enumeratis actibus constat duos sibi vindicare principalitatem, qui sunt *intentio* et *electio* : de his sæpius agemus in sequentibus, quia ad invicem opponuntur, quatenus intentio est actus voluntatis circa finem et electio actus voluntatis circa media.

Hic terminatur ordo intentionis.

### III. Circa executionem.

**104.** Ordo executionis contrarie procedit : omnia enim quæ percurrendo ordinem intentionis prosecuti sumus, iterum resumi debent, sed ordine contrario; nam si primum in intentione est ultimum in executione, ita primum eorum quæ sunt ad finem est ultimum eorum ad quæ devenit consilium.

**9. Imperium, 10 et 11. Usus activus et passivus.** De imperio, an sit necessarium et quid sit essentialiter, dicetur in art. seq., § 1. De usu vero activo et passivo, cum sit idem ac actus imperatus, agetur in eodem art., § 2. Attamen breviter hic exponi debet quomodo inserantur illi tres actus in catena duodecim motuum partialium quibus integratur actus moralis completus.

Juxta Thomistas incipit ordo executionis ab actu rationis cujus est ordinare, promulgare, intimare et *distribuere potentiis executivis* (*Ver.*, q. 22, a. 12, ad 4) quid singulis potentiis competat ad finem assequendum, et hic actus dicitur *Imperium*.

**Usus** (1ª 2æ, q. 15) definitur : Applicatio rei ad operationem. —

1. 1ª 2æ, q. 15, a. 3, ad 3.
2. *In* 1ªm 2æ, q. 14, a. 1.

Distinguitur duplex : Usus *activus* et usus *passivus*. Usus activus est applicatio considerata ex parte potentiæ applicantis ; usus passivus est applicatio considerata ex parte potentiæ applicatæ. — Usus passivus pertinet ad quamlibet potentiam, sed usus activus est actus voluntatis, cujus est applicare alias potentias ; in hoc differt usus activus ab electione, quod electio pertinet ad ordinem intentionis et usus ad ordinem executionis et dirigitur ab imperio. Usus passivus non est unus actus simplex, sed sæpe plurimos comprehendit actus variarum potentiarum, quæ totam seriem mediorum necessariorum exequi debent.

**12. Fruitio** (1ª 2æ, q. 11). Definitur : quies in bono possesso. Ultimus est ex 12 actibus partialibus, quia cum ea cessat operatio et quiescit appetitus.

Paulo aliter disponuntur hi quatuor ultimi actus apud *Gardeil*[1] :

9. Imperium. 10. Usus activus.
11. Usus passivus.
12. Fruitio.

Ratio istius dispositionis videtur esse *a*) quod usus passivus non est actus intellectus sed potentiarum executivarum ; *b*) quod fruitio non est proprie actus voluntatis[2]. — Ad hæc respondemus : licet fruitio non sit ejusdem rationis ac ceteri actus, quies enim non est motus, tamen expresse asserit S. Thomas fruitionem esse actum voluntatis : « Actus voluntatis in finem videntur esse tres : velle, frui et intendere[3] » et : « manifestum est quod fruitio est actus appetivæ potentiæ[4] ». Si igitur est actus voluntatis, convenientius reponitur in secunda columna schematis supra positi, n. 102. Insuper, sicut quilibet alius actus voluntatis regi debet ab aliquo actu intellectus : « in delectatione duo sunt, sc. perceptio convenientis, quæ pertinet ad apprehensivam potentiam ; et complacentia ejus quod offertur ut conveniens, et hoc pertinet ad appetitivam potentiam, in qua ratio delectationis completur » (*ibid.*, ad 3) ; ideo relinquimus usum passivum in priore columna, non quod sit actus solius intellectus, est enim actus multarum potentiarum, sed eo quod comprehendat illos omnes usque ad finis adeptionem inclusive, imo usque ad hujus adeptionis cognitionem, et hic est actus ille intellectus qui regit fruitionem.

## ARTICULUS III

### *De actibus imperatis a voluntate* (1ª 2æ, q. 17).

Agemus 1° de actu imperii (§ 1) ; 2° de actibus qui imperantur (§ 2).

1. Gardeil, *Dictionn. de Théol.*, v° *Acte* et in nota ad Tract. *de Conscientia*, P. Beaudouin, p. 6.

2. Loc. cit. ap. *Dict. de Théol.* « La délectation ou fruition, d'après l'opinion reçue, est moins un acte humain qu'un complément d'acte humain ; elle n'exige pas d'acte spécial. »

3. 1ª 2æ, in prol. ante q. 8.

4. 1ª 2æ, q. 11, a. 1.

### § 1. — De actu imperii.

105. **Quid sit imperium.** Imperare, ait S. Thomas, « nihil aliud est quam ordinare aliquem ad aliquid agendum cum quadam intimativa motione[1] ».

Imperat homo et aliis hominibus et sibiipsi ; agitur hic de imperio in secundo sensu.

Tres sunt quæstiones solvendæ : 1ª An necessarium sit admittere imperium in serie supra exposita motuum partialium qui concurrunt ad actum humanum perfectum? 2ª An imperium sit actus intellectus vel voluntatis? 3ª Quomodo se habeat imperium ad actum imperatum?

#### I. — An necessario admittendum sit imperium.

106. Negant *Suarez, Vasquez* et quidam alii, eo quod ad executionem sufficit voluntatis motio procedens ex electione, unde in serie duodecim actuum supprimunt et imperium et usum activum. — Affirmant *Thomistæ* et multi alii, ex necessitate ponendi usum activum.

*Conclusio.* **Datur in homine imperium respectu suarum potentiarum.**

*Probatur.* Quilibet actus voluntatis regitur a præcedente speciali actu intellectus. *Atqui.* Inter actus voluntatis admittendus est usus activus distinctus ab electione. *Ergo.* Admittendus est quidam specialis actus intellectus præcedens et regens usum activum, et hic est imperium.

*Minorem* aperte docet *S. Thomas* (1ª 2æ, q. 16, a. 4, in c. et ad 1) : « usus sequitur electionem..., usus medium est inter electionem et executionem ». *Probatur hæc minor.* Actus distinguuntur penes objecta formaliter distincta. *Atqui.* Formaliter distinguuntur objectum electionis et objectum usus activi : Licet enim utriusque sit idem objectum materiale, sc. medium, electio versatur circa medium in ordine intentionis seu ut est futurum et effectus finis, usus vero activus versatur circa medium in ordine executionis seu ut est præsens et causa efficiens finis. *Ergo.* Præter electionem admittendus est usus activus. — *Confirmatur eadem minor.* Ubi est nova et distincta difficultas, ibi requiritur novus et distinctus actus. *Atqui.* In executione reperitur nova, distincta et longe major difficultas quam in electione, ut patet experientia. *Ergo...*

1. 1ª 2æ, q. 17, a. 2.

## II. Utrum imperium sit actus intellectus an voluntatis (1ª 2æ, q. 17, a. 1).

107. Movetur quæstio de omni imperio, sive quo homo imperat sibi, sive quo imperat aliis hominibus. Tenet *Suarez* [1], imperium esse actum voluntatis. *S. Thomas* vero (1ª 2æ, q. 17, a. 1) docet illud esse essentialiter actum intellectus. Maximi momenti est hæc quæstio in qua stabiliuntur fundamenta illius doctrinæ capitalis in tractatu *de Legibus* : Legem scilicet essentialiter pertinere ad intellectum. Lex enim est quoddam imperium.

108. *Conclusio* 1ª. **Ad actum imperii pertinet aliquid ex parte intellectus et aliquid ex parte voluntatis.**

*Probatur*. Ad actum imperii tria concurrunt, sc. ordinatio alicujus ad aliquid, intimatio et motio. *Atqui*. Ordinatio et intimatio ad rationem spectant, motio autem ad voluntatem. *Ergo*. Actus imperii componitur ex eo quod est intellectus et ex eo quod est voluntatis.

*Probatur Major*. Cum enim præcipitur : *Dilige Deum,* 1° ordinatur aliquis ad amandum Deum, et 2° intimatur hoc ei, id est notificatur, et 3° movetur ad hoc ab imperante. Notificatio enim fieri potest dupliciter : vel absolute, et tunc exprimitur per verbum indicativi modi : *Hoc est tibi faciendum ;* vel cum motione, quod exprimitur per verbum imperativi modi : *Fac hoc*. Et ea est motio quam asserimus includi in imperio.

*Probatur minor*. Nam 1° ordinatio importat collationem unius ad alterum, quod est proprium rationis ; 2° intimatio est actus quo ratio unius dirigit se ad rationem alterius ; 3° motio vero pertinet ad voluntatem, quia in viribus animæ primum movens quoad exercitium actus est voluntas (1ª 2æ, q. 9, a. 1).

Nec cuiquam debet videri mirum, si in eodem actu aliquid reperiatur pertinere ad unam potentiam et aliquid ad alteram. Adeo intima enim compenetratione sibi invicem succedunt utriusque potentiæ actus, ut facile aliquis actus aliquid retinere potuerit ex actu præcedenti virtualiter remanens. Exemplum sit electio, quæ proprie est actus voluntatis et tamen præcedente consilio adeo imbuta est ut quasi promiscue dici possit appetitivus intellectus vel appetitus intellectivus (1ª 2æ, q. 13, a. 1).

109. *Conclusio* 2ª. **Impossibile est quod æque immediate ab utraque potentia procedat.**

*Probatur*. Impossibile est quod unus actus æque immediate procedat a duabus potentiis essentialiter subordinatis, ita sc. ut una moveri

debeat ab alia; sed procedere debet cum subordinatione unius ad alteram, et prioritate unius et posterioritate alterius : unde actus erit immediate et elicitive ab una, mediate ab altera. *Atqui.* Intellectus et voluntas sunt potentiæ essentialiter ordinatæ. *Ergo.* Actus imperii erit immediate, essentialiter et elicitive ab una, mediate ab altera.

110. *Conclusio* 3ª. **Imperium procedit elicitive et immediate a ratione et mediate a voluntate.**

*Probatur.* Actus compositus ex duobus elementis spectantibus ad diversas potentias pertinet essentialiter et elicitive ad illam potentiam cujus est materialiter, seu quantum ad substantiam actus. *Atqui.* In imperio, id quod pertinet ad rationem, id est ordinatio intimativa, se habet ut materia; id vero quod pertinet ad voluntatem, seu motio, se habet ut forma. *Ergo.* Imperium est essentialiter et elicitive actus rationis, præsupponens tamen actum voluntatis.

*Probatur Major.* Quandocumque duo concurrunt ad aliquid unum constituendum, unum eorum est ut formale respectu alterius quod se habet ut materia. *Atqui.* Actus qui est essentialiter unius potentiæ vel habitus, recipit formam et speciem a superiori potentia vel habitu : sic actus scribendi procedit et a manu et a voluntate, sed a manu materialiter, a voluntate formaliter. *Ergo.* Actus pertinet essentialiter ad illam potentiam cujus est materialiter seu quantum ad substantiam actus.

*Probatur minor.* In actu composito, quod est a superiore potentia se habet ut formale, quod vero ab inferiore ut materiale et substantia actus. *Atqui.* In imperando voluntas concurrit ut superior potentia, quia ut primum movens ad exercitium. *Ergo.* Ordinatio intimativa se habet ut materia, motio ut forma.

*Confirmatur totum argumentum.* Recte præcipere est principalis actus prudentiæ (2ª 2æ , q. 47, a. 8). *Atqui.* Prudentia, est virtus intellectualis. *Ergo.* Præcipere, seu imperare, est actus rationis.

Unde principali quæsito respondetur : Imperium est essentialiter actus intellectus, præsupponens tamen actum voluntatis. Declaratur illud *præsupponens actum voluntatis*. Ratio movet imperando, quatenus præcedens actus voluntatis, id est electio, virtute manet in sequente actu rationis et sic imperium movet ad exercitium. Non tamen imperium est motio ordinativa, id est motio subsequens ordinationem rationis, sed est essentialiter ordinatio movendi capax ex præcedente electione virtualiter remanente in dicta ordinatione (Cf. 1ª 2æ, q. 17, a. 1, cum Comment. Cajetani, et q. 13, a. 1).

111. *Objectio* 1ª. Hujus articuli titulus est : *De actibus imperatis a*

*voluntate*. Idem est titulus qu. 17 in 1ª 2æ, passimque ait S. Thomas quod voluntas imperat actus humanos.

*Respondeo*. Sensus non est quod imperium sit actus voluntatis, sed quod actus imperati procedunt a voluntate per imperium, ex quo distinguuntur ab actibus elicitis.

*Objectio* 2ª. Tres sunt operationes intellectus : apprehensio, judicium et discursus. *Atqui*. Nullum horum est imperium. *Ergo*. Imperium non est actus intellectus.

*Respondeo*. Tres dictæ operationes sunt quidem intellectus sed speculativi; imperium vero pertinet ad rationem practicam. Insuper imperium reduci potest ad judicium expressum sub forma imperativa.

### III. Quomodo se habeant inter se imperium et actus imperatus (1ª 2æ, q. 17, a. 4).

112. *Conclusio* 1ª. **Imperium et actus imperatus, licet sint quoad se duo actus distincti, — tamen non efformant nisi unum actum humanum.**

Ante probationem, notandum quod « nihil prohibet aliqua esse secundum quid multa et secundum quid unum... Est tamen differentia attendenda in hoc quod quædam sunt simpliciter multa et secundum quid unum ; quædam vero e converso ». Sic homo est multa secundum quid, quia habet plures partes et essentiales et integrales, et unum simpliciter. Ex adverso multi homines sunt multa simpliciter, et sunt unum secundum quid, quatenus sunt unus populus.

Ratio differentiæ est quia « unum hoc modo dicitur sicut et ens. Ens autem simpliciter est substantia; ens secundum quid est accidens vel etiam ens rationis. Et ideo quæcumque sunt unum secundum substantiam, sunt unum simpliciter et multa secundum quid... Quæ vero sunt diversa secundum substantiam et unum secundum accidens, sunt diversa simpliciter et unum secundum quid ».

*Probatur* 1ª *pars*. Manifestum est actus secundum se multiplicari ratione potentiarum. Unde imperium est unus actus et actus imperatus alter actus. Imo imperium supponit saltem duos actus sc. actum voluntatis et actum rationis et sæpius actus imperatus constituetur ex multis actibus distinctis.

*Probatur* 2ª *pars*. Unus et idem est actus moventis et moti ut sic. *Atqui*. In ratione actus humani imperium se habet ut movens et actus imperatus ut motum. *Ergo*. Imperium et actus imperatus sunt unus et idem actus humanus.

*Probatur major* (ex 2 *Physic.*, c. 3, text. 18, Cf. *S. Thom.*, *ibid.*, lect. 4, n. 10). « Movens enim dicitur in quantum aliquid agit, motum autem in quantum patitur. Sed idem est quod movens agendo causat et quod motum patiendo recipit. Quare oportet unum actum esse utriusque, sc. moventis et moti : idem enim est quod est a movente ut a causa agente, et quod est in moto ut in patiente et recipiente. » Et manifestatur per exempla (n. 11) : « Eadem enim est distantia unius ad duo et duorum ad unum secundum rem, sed differunt secundum rationem; quia secundum quod incipimus comparationem a duobus procedendo ad unum, dicitur duplum; e contrario vero dicitur dimidium. Et similiter idem est spatium ascendentis et descendentis ; sed secundum diversitatem principii et termini, vocatur ascensio vel descensio. Et similiter est in movente et moto. Nam motus secundum quod procedit a movente in mobile est actus moventis; secundum autem quod est in mobili a movente est actus mobilis. »

*Probatur minor.* Causa principalis et causa instrumentalis se habent ut movens et motum ut sic. *Atqui.* Actus humanus procedit a ratione et voluntate tanquam a causa principali et a potentia imperata tanquam a causa instrumentali : In actibus enim humanis, « inferior potentia agit in virtute superioris moventis ipsam ». *Ergo.*

113. *Conclusio* 2ª. **In actu humano composito, actus imperatus se habet ut materia et imperium ut forma.**

*Probatur.* In actu humano composito actus imperatus se habet ut causa instrumentalis, et imperium ut causa principalis. *Atqui.* Causa instrumentalis et causa principalis se habent ad invicem ut materia et forma. *Ergo.* In actu humano composito, actus imperatus se habet ut materia et imperium ut forma.

*Probatur minor.* Quotiescumque concurrunt duo ad unum constituendum, unum se habet ut elementum materiale seu potentiale, et alterum ut elementum formale seu actuale. *Atqui.* Instrumentum ut sic est motum, id est in potentia, et causa principalis ut sic est movens, id est in actu. *Ergo.*

*Dices.* Idem non potest esse simul causa agens et forma ejusdem, secus esset causa suiipsius. *Atqui.* Imperium est causa efficiens actus imperati. *Ergo.* Non potest simul esse forma.

*Respondeo. Distinguo majorem :* non potest esse simul causa agens et forma *simpliciter, concedo;* non potest esse simul causa agens *simpliciter* et forma *secundum quid, nego. Et concessa minore, distinguo consequens :* non potest simul esse forma *simpliciter, concedo;* forma *secundum quid, nego.* Cum *materia et forma* dicatur de duobus quatenus uniuntur ad efformandum aliquid *unum*, eo modo dicitur

*materia et forma* quo modo dicitur *unum*. Unde in eo quod est *unum simpliciter* dicitur *materia et forma simpliciter :* sic homo est unum simpliciter, corpus et anima sunt materia et forma simpliciter. In eo vero quod est *unum secundum quid* tantum, dicitur *materia et forma secundum quid :* Sic unus populus est *simpliciter* multa est *secundum quid* unum : de populo dicitur materia et forma secundum quid. Causa principalis et instrumentum sunt simpliciter duo et secundum quid unum, quatenus concurrunt ad unum effectum : causa principalis est simpliciter causa efficiens et secundum quid forma instrumenti. Similiter imperium et actus imperatus sunt simpliciter duo actus et secundum quid unum, quatenus sunt unus actus humanus, et sic potest imperium esse causa efficiens simpliciter et simul forma secundum quid actus imperati ; imo imperium in tantum est forma actus imperati in quantum causat eum efficienter.

### § 2. — De actibus qui imperantur (1ª 2æ, q. 17, a. 5-9).

**114.** Actus *intellectus* : *a*) quoad exercitium, subjacent imperio voluntatis, excepta apprehensione ; *b*) quoad specificationem, id est quoad assensum præstitum, non subjacent voluntati in his quorum evidentia est manifesta, secus imperari possunt.

Actus *voluntatis :* propriissime imperantur qui pertinent ad usum activum. Simplex volitio et fruitio non pendent ab imperio voluntatis ; intentio vero et electio possunt imperari, quando nempe voluntas vult intendere vel eligere, non tamen necessario pendent ab imperio proprie dicto.

Actus *appetitus sensitivi* et *membrorum exteriorum* imperantur, cum differentia tamen : « Unde in *Politic.* dicit Philosophus quod dominium rationis super has virtutes (irascibilem sc. et concupiscibilem) est *politicum :* quia hujusmodi vires aliquid habent de proprio motu, ubi non totaliter obediunt rationi. Dominium autem animæ ad corpus non est regale, sed *despoticum :* quia membra corporis ad nutum obediunt animæ quantum ad motum [1]. »

Actus *vitæ vegetativæ* non imperantur.

Dictarum differentiarum ratio desumenda est sive ex natura ipsorum actuum (quoad actus intellectus et voluntatis), sive ex parte systematis nervosi (quoad actus vitæ sensitivæ aut vegetativæ) : cum exerceatur imperium mediantibus centris nervosis superioribus, illæ solæ operationes imperantur quæ pendent a centris superioribus, quæ vero pendent a centris inferioribus non imperantur.

1. *Virtut.*, q. un., a. 4, ad 11.

## CAPUT III

### DE ACTIBUS HUMANIS MORALITER CONSIDERATIS

Agemus 1° de moralitate in se spectata (art. 1-4); 2° de regula moralitatis (art. 5 et 6); 3° de variis elementis actus humani per respectum ad moralitatem (art. 7-12).

De moralitate in se ipsa : Agendum 1° de notione moralitatis (art. 1); 2° de formali constitutivo moralitatis (art. 2); 3° de essentiali discrimine inter bonum et malum morale (art. 3); 4° de facultate cognoscitiva moralitatis (art. 4).

#### ARTICULUS I

#### *Notio moralitatis.*

1° Dicemus quid sit moralitas (§ 1); 2° agemus de conditionibus actus moralis (§ 2).

##### § 1. — Definitio moralitatis.

Moralitas, ut jam diximus (n. 7), est illa actuum humanorum proprietas, ratione cujus dicuntur boni vel mali. Quam notionem nunc exponere debemus.

115. *Conclusio* 1ª. **Speciali modo attenditur bonum et malum in actibus humanis** (2, d. 27, a. 2, ad 2).

*Probatur*. Cum bonum et malum dicantur per comparationem ad finem[1], ubi specialiter est ratio finis, ibi specialiter erit ratio boni. *Atqui*. Speciali modo competit homini agere propter finem (n. 43), in quantum ipse sibi libere determinat finem. *Ergo*. In actu humano præter bonitatem transcendentalem actus quæ omnibus entibus naturalibus communis est in quantum sunt, datur altera bonitas, quæ consistit in hoc quod homo recte determinat sibi finem. Et hæc est bonitas moralis, cui opponitur malum morale.

1. *Pot.*, q. 3, a. 6, ad 12 : « Bonum et malum dicuntur per comparationem ad finem. »

*Scholion.* Utrumque bonum dicitur per respectum ad quamdam regulam : « In omnibus regulatis et mensuratis (id est in omnibus creatis) bonum consideratur per hoc quod aliquid propriam regulam attingit, sicut dicimus vestem esse bonam quæ nec excedit nec deficit a debita mensura[1]. » Bonum physicum attenditur per respectum ad regulam boni physici, quæ est ipsa natura : « unicuique enim rei est bonum quod convenit ei secundum suam formam, et malum quod est ei præter ordinem suæ formæ[2] ». Bonum morale attenditur per respectum ad regulam boni moralis, seu ad regulam morum. In quo vero consistat regula morum, determinabitur art. 5.

116. *Conclusio* 2ª. **Ex actibus humanis quidam sunt moraliter boni et quidam moraliter mali.**

Adeo manifesta est hæc conclusio ut probatione non indigeat. Licet enim errent multi in determinando quid sit bonum et quid malum, ab omnibus tamen, uno Spinoza excepto, admittitur ipsa distinctio boni et mali. Unde Aristoteles : « Non oportet autem nos omne problema nec omnem thesim in quæstionem vocare, sed de qua quærat aliquis eorum qui rationem desiderent, nec pœnam aut sensum. Nam dubitantes num dii sint colendi et parentes diligendi, pœna indigent; dubitantes vero utrum sit nix alba necne, sensu. Neque igitur de his disceptare oportet quorum in promptu est demonstratio, nec de his quorum est nimis remota. Illa enim dubitationi non obnoxia sunt, hæc majori quam ut eam ferre possit mera exercitatio[3]. »

*Quæres.* Quid intelligatur per actum moraliter bonum et actum moraliter malum?

*Respondeo.* Actus bonus moraliter ille est qui habet debitam plenitudinem essendi secundum regulam morum, actus malus moraliter ille cui deficit aliquid de plenitudine essendi quæ debetur actioni humanæ (1ª 2æ, q. 18, a. 1).

*Probatur.* De bono et malo in actionibus oportet loqui sicut de bono et malo in rebus. *Atqui.* Res quantum habet de esse, tantum habet de bonitate; in quantum vero aliquid ei deficit de debita plenitudine essendi, dicitur mala. *Ergo.* Omnis actio humana in quantum habet aliquid de esse, in tantum habet de bonitate; in quantum vero deficit ei aliquid de plenitudine essendi quæ debetur actioni humanæ, in tantum deficit a bonitate et sic dicitur mala. *Subsumo, Atqui.* Actioni humanæ debetur quædam determinata plenitudo essendi non solum

1. 2ª 2æ, q. 17, a. 1.
2. 1ª 2æ, q. 18, a. 5.
3. *Topic.*, c. 9, al. 11.

per respectum ad regulam boni physici, sed etiam per respectum ad regulam morum. *Ergo.*

117. *Conclusio* 3ª. **Actus humani, et quidem soli, specifice dividuntur per bonos et malos** (1ª 2æ, q. 18, a. 5).

*Declaratur.* Manifestum est bonum et malum in ordine physico non constituere differentias specificas, sic pomum bonum et pomum malum non sunt duæ species pomi, vestimentum bonum et vestimentum malum non sunt duæ species vestimenti, et sic de aliis. Excipe, nisi agatur de malo quod privet bono speciei : « Corpus enim mortuum et corpus vivum non sunt ejusdem speciei[1]. »

*Probatur conclusio.* Diversificantur species ex differentiis per se, non ex differentiis per accidens. *Atqui.* Bonum et malum sunt differentiæ per se actus humani, in aliis vero sunt differentiæ per accidens. *Ergo.* Solum actus humani specifice dividuntur per bonos et malos.

*Minoris* 1ª *pars probatur.* Dicuntur actus humani secundum quod sunt a ratione. *Atqui.* Bonum et malum morale dicitur per respectum ad rationem : bonum enim honestum dicitur quod est conveniens rationi (n. 38). *Ergo.* Bonum et malum per se dividunt actum humanum.

2ª *pars manifesta est ex exemplis supra allatis.*

118. *Corollarium* 1m. Actus *bonus* et actus *malus* sunt duæ species actus humani et illæ duæ species conveniunt in uno genere, quod dicitur *actus moralis.* Utrum vero adæquate dividatur genus actus moralis per duas species boni et mali, vel addi debeat tertia species, videlicet actus indifferens, dicetur infra, ubi agetur de actibus indifferentibus (n. 180).

*Corollarium* 2m. Actus *humanus,* actus *liber,* actus *moralis* sunt idem realiter, sed differunt ratione. Idem enim actus dicitur *humanus,* quatenus procedit ab homine formaliter ut est homo, id est ab intellectu et voluntate[2]; *liber,* quatenus immunis est a necessitate vel coactione; *moralis,* quatenus habet rationem boni vel mali per respectum ad regulam morum.

*Corollarium* 3m. *Moralitas* dicitur in abstracto et est forma generica sub se continens duas differentias specificas, quæ sunt bonitas et malitia moralis.

*Corollarium* 4m. Moralitas recte definitur : Proprietas actionum humanarum secundum quam bonæ vel malæ dicuntur.

1. 1ª 2æ, q. 18, a. 5, ad 1.
2. Cf. sup., n. 5 et n. 119.

*Nota.* In terminologia modernorum sæpius accipitur *actus moralis* vel *moralitas* in sensu satis diverso. Opponitur actus moralis actui immorali, et tunc idem est ac actus bonus seu honestus : sic Kantius distinguit actus morales, vel immorales, vel amorales. Apud S. Thomam nunquam dicitur in hoc sensu actus moralis, nec unquam usurpatur verbum *immoralis,* sed actui morali in sensu quem exposuimus, semper opponitur actus non moralis. Similiter moralitas apud modernos sæpius accipitur pro honestate et opponitur immoralitati. Præterea, moralitas aliquando sumitur etiam pro ordine morali (n° 14), vel pro proprietate ratione cujus aliquid pertinet ad ordinem moralem. Igitur, si quando legantur apud modernos ista vocabula *moralis* vel *moralitas,* sedulo attendendum est ad sensum intentum ab auctore.

### § 2. — De conditionibus actus moralis.

119. Ex dictis in § præcedenti superfluum videri posset quæstionem hanc movere : nos tamen cogit recentiorum multorum error qui moralitatem profluere asserunt ex socialitate[1].

Jam diximus (n° 32) dari actus morales quin sint sociales, itemque actus qui simul sunt morales et sociales non inde moralitatis prærogativam haurire quod sint sociales; sed nunc verum moralitatis fundamentum constituere debemus.

*Conclusio.* **Moralitatis fondamentum proximum est libertas, — remotum, ratio.**

*Probatur* 1ª *pars.* In eo consistit moralitatis fundamentum, unde promanat specialis ratio boni vel mali moralis. *Atqui.* Inde in actu humano promanat specialis ratio boni vel mali moralis, quia homo in agendo specialiter se habet ad finem, quatenus scilicet per liberam voluntatis electionem determinat seipsum ad finem (n. 115). *Ergo.* Moralitatis fundamentum proprium est libertas.

*Probatur* 2ª *pars.* Libertatis enim radix, ut docetur in Psychologia, est ratio, quæ non apprehendit solum singularia ut contingit in cognitione brutorum, sed apprehendit universale sub ratione entis et veri.

Unde S. Thomas rationem moralitatis derivat *a*) aliquando a voluntate : « Nullus motus ponitur in genere moris nisi habita comparatione ad voluntatem quæ est principium moralium (6 *Met.*) et ideo

1. Vidari, *Elementi di Etica.* Introd., n. 3 : « Siccome la moralità si svolge unicamente come attesta l'esperienza, nella società... »

ibi incipit genus moris, ubi primo dominium voluntatis invenitur[1]. » « Moralia a voluntate dependent. Secundum hoc enim aliquid ad genus moris pertinet quod est voluntarium[2]. » « Dicuntur illi proprie actus humani quorum homo est dominus. Est autem homo dominus suorum actuum per voluntatem seu per liberum arbitrium[3]. » « Cum ex hoc actus moralis dicatur quia est voluntarius[4]... » « Moralia recipiunt species ex fine qui est objectum voluntatis a qua moralia dependent[5]. » — *b*) aliquando a ratione : « Dicuntur aliqui actus humani vel morales secundum quod sunt a ratione[6]... » « Ratio enim principium est humanorum et moralium actuum[7]. » « Quia a ratione deliberata habet speciem moralis actus[8]. » « Ratio est per se causa actuum moralium[9]. » « In tantum sunt actus humani in quantum sunt actus rationis[10]. »

*Corollarium.* Ergo, sublata libertate, simul extinguitur moralitas. Moralitas tamen, sicut et libertas, diversos gradus admittit : unde quando minuitur libertas, eatenus minuitur moralitas.

Addit *Frins* non tamen quamcumque libertatem sufficere ad actum perfecte moralem, sed requiri libertatem « quæ stricte moralis vocatur quæque includit vel potius supponit deliberationem rationis de objecto actus perfectam[11] »; eam libertatem « quam dicunt moralem et quæ semper in rerum natura in omni actu deliberato adest[12] », nam de libertate physica « negatur talem libertatem in rerum natura unquam usuvenire[13] ». Ideo : « Dico igitur : Moralitas proprie dicta in actibus nostris sine eorum morali libertate concipi nequit[14]. » — *Sed contra,* immerito recedit Auctor a terminologia hodie communiter recepta : nunc enim tenent omnes libertatem moralem, eam scilicet quæ opponitur libertati naturali, consistere in immunitate a lege vel obligatione, prout declaratur in Encycl. *Libertas.* Unde dicendum est moralitatis fundamentum esse libertatem physicam.

1. 2, d. 24, q. 3, a. 2.
2. *Cont. Gent.*, l. 3, c. 9. Cf. *Malo*, q. 2, a. 4, ad 10.
3. *Verit.*, q. 5, a. 10. Cf. *Malo*, q. 2, a. 5 : « Dico actum humanum qui est a voluntate deliberata. » 2, d. 41, q. 2, a. 1 : « Potentia secundum quam nostrorum actuum domini sumus est voluntas. » *Cont. Gent.*, l. 2, c. 23 : « Non est aliquis dominus sui actus nisi per voluntatem. »
4. *Cont. Gent.*, l. 3, c. 10. Cf. *Malo*, q. 7, a. 3 : « Est aliquis actus moralis ex hoc quod est voluntarius. » 1ª 2æ, q. 18, a. 6 : « Aliqui actus dicuntur humani in quantum sunt voluntarii. »
5. 1, q. 48, a. 1, ad 2.
6. 1ª 2æ, q. 18, a. 5.
7. 1ª 2æ, q. 19, a. 1, ad 3.
8. 1ª 2æ, q. 88, a. 6.
9. *Malo*, q. 7, a. 3.
10. *Malo*, q. 2, a. 4.
11. Frins, *De Actibus humanis*, t. II, n. 6.
12. *Ibid.*, n. 34.
13. *Ibid.*, n. 35.
14. *Ibid.*, n. 40.

## ARTICULUS II

### *De formali constitutivo moralitatis.*

Agemus 1° de constitutivo moralitatis quoad rationem suam generícam (§ 1) et 2° de constitutivo utriusque speciei, sc. de ratione boni moralis (§ 2) et de ratione mali moralis (§ 3).

#### § 1. — De constitutivo moralitatis quoad rationem suam genericam.

120. **Opiniones.** Quidam tenent moralitatem consistere in denominatione extrinseca (*Suarez*); quidam in ipsa libertate (*Scotus*); alii in imputabilitate (*Puffendorf*); alii in relatione rationis, alii in relatione prædicamentali.

Sententiam suam sic exponunt *Frins*[1] et *Cathrein*[2] : « Thesis X : *Id quod actum constituit in esse morali generice spectato est ejus dependentia a voluntate libere operante et ratione advertente ad honestatem vel turpitudinem objecti...* Conceptus moralitatis dicit tria : 1° denominationem intrinsecam voluntarii; 2° denominationem extrinsecam duplicem: *a*) relationem dependentiæ actus a voluntate libere operante; *b*) relationem dependentiæ a ratione advertente ad honestatem vel turpitudinem objecti... Notandum tamen est illas denominationes esse quidem extrinsecas ipsi actui, non autem homini operanti[3]... Nobiscum sentire videntur illi qui moralitatem in libertate consistere ponunt[4]. » Eadem habet *Frins*, qui etiam concludit : « Moralitas proprie dicta actus libertatem non solum præsuppositive dicit et ut meram conditionem, sed constitutive et formaliter[5]. » — *Meyer* in nota ad calcem paginæ, uno verbo remittit ad *Frins*, exemplo suo comprobans de moralitate scribi posse 80 paginas, quin sciatur in quo consistat moralitas. Idem postea differentiam ponet inter moralitatem et obligationem, sed quærere in quo consistat essentia moralitatis non curat : hanc enim quæstionem inter scholasticos olim agitatam reputavit Auctor « difficiliorem ac subtiliorem[6] ».

121. *Conclusio.* **Moralitas consistit formaliter in relatione reali transcendentali actus ad regulam morum.**

*Probatur.* Moralitas est forma illa generica communis bono et malo morali. *Atqui.* Bonum morale est id quod habet relationem convenientiæ et malum morale est id quod habet relationem repugnantiæ cum regula morum. *Ergo.* Moralitas est relatio ad regulam morum.

*Major probata remanet ex* n. 118.

1. *De actibus humanis*, t. II, n. 10.
2. *Philosophia moralis*, n. 55.
3. Cathrein, *loc. cit.*
4. *Ibid.*, n. 58.
5. T. II, n. 52.
6. Meyer, *Institutiones juris naturalis*, t. 1, n. 141, *in nota.*

122. *Minorem aperte docet S. Thomas*, loquens *a*) de bono et malo simul :

1ª 2æ, q. 18, a. 5, ad 1 : « Bonum, in quantum est *secundum* rationem et malum in quantum est *præter* rationem, diversificant speciem moris. » Dicitur *secundum rationem*, quia regula morum est ratio ut exponetur n. 146 et ss.

1ª 2æ, q. 18, a. 8 : « Unde si objectum actus includat aliquid quod *conveniat* ordini rationis, erit actus bonus secundum suam speciem, sicut dare eleemosynam indigenti. Si autem includat aliquid quod *repugnet* ordini rationis, erit malus actus secundum speciem, sicut furari, quod est tollere aliena. »

1ª 2æ, q. 18, a. 9 : « Actus a ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso *repugnat* rationi et habet rationem mali; si vero ordinetur ad debitum finem, *convenit* cum ordine rationis, unde habet rationem boni. »

1ª 2æ, q. 21, a. 1 : « Manifestum est autem ex præmissis quod omnis actus voluntarius est malus per hoc quod *recedit ab ordine* rationis et legis æternæ; et omnis actus bonus *concordat* rationi et legi æternæ. »

1ª 2æ, q. 71, a. 1 : « Peccatum proprie nominat actum *inordinatum*, sicut actus virtutis est actus *ordinatus* et debitus. » Peccatum est actus inordinatus, id est carens debita ordinatione seu relatione; actus virtutis est actus ordinatus, id est præditus debita ordinatione.

1ª 2æ, q. 64, a. 1, ad 1 : « Virtus moralis bonitatem habet ex regula rationis... Si ergo comparetur virtus moralis ad rationem, sic secundum id quod rationis est, habet rationem extremi unius, quod est *conformitas*; excessus vero et defectus habet rationem alterius extremi, quod est *difformitas*. »

123. *b*) specialiter de bono :

1ª 2æ, q. 19, a. 9 : « Unumquodque rectum et bonum est in quantum *attingit* ad propriam mensuram. »

1ª 2æ, q. 64, a. 1 : « Bonum virtutis moralis consistit in *adæquatione* ad mensuram rationis. » a. 2 : « Virtus moralis dicitur consistere in medio per *conformitatem* ad rationem rectam. » a. 3 : « Bonum alicujus rei consistit in medio secundum quod *conformatur* regulæ vel mensuræ, quam contingit transcendere vel ab ea deficere. » a. 4 : « Medium virtutis accipitur per *conformitatem* ad suam regulam vel mensuram, secundum quod contingit ipsam transcendere vel ab ea deficere. » Eodem a. 4, ad 1 : « Bonum virtutum intellectualium et moralium consistit in medio per *conformitatem* ad regulam vel mensuram. »

1ª 2æ, q. 73, a. 3 : « Bonum virtutis consistit in quadam *commensu-*

*ratione* humani actus secundum *convenientiam* ad regulam rationis. »

2ª 2æ, q. 23, a. 3 : « Humani actus bonitatem habent *secundum quod regulantur* debita regula et mensura; et ideo humana virtus quæ est principium omnium bonorum actuum hominis consistit *in attingendo* regulam humanorum actuum. »

2ª 2æ, q. 23, a. 6 : « Cum bonum in humanis actibus attendatur *secundum quod regulantur* debita regula, necesse est quod virtus humana quæ est principium bonorum actuum *consistat in attingendo* humanorum actuum regulam. »

124. *c*) Specialiter de malo.

1ª 2æ, q. 18, a. 9, ad 2 : « Nos autem hic dicimus malum communiter, omne quod est rationi rectæ *repugnans*. »

1ª 2æ, q. 21, a. 1, ad 3 : « Ratio peccati quæ *consistit in deviatione ab ordine* ad finem, proprie consistit in actu. »

1ª 2æ, q. 71, a. 6 : « Habet autem actus humanus quod sit malus *ex eo quod caret debita commensuratione*. Omnis autem commensuratio cujuscumque rei attenditur per *comparationem* ad aliquam regulam, *a qua si divertat*, incommensurata erit. »

2ª 2æ, q. 125, a. 1 : « Aliquid dicitur esse peccatum in actibus humanis propter *inordinationem* : nam bonum actus humani in *ordine* quodam consistit. »

2ª 2æ, q. 131, a. 1, ad 1 : « Appetitus boni debet regulari *secundum* rationem, cujus regulam si *transcendat* erit vitiosus. »

2ª 2æ, q. 135, a. 1 : « *Defectus ab eo quod est secundum* rationem causat rationem vitii. »

2ª 2æ, q. 148, a. 1 : « Dicitur appetitus inordinatus, ex eo quod *recedit ab ordine rationis*, in quo bonum virtutis moralis consistit. »

2ª 2æ, q. 153, a. 1 : « Peccatum in humanis actibus est quod est *contra* ordinem rationis. »

1, q. 49, a. 1, ad 4 : « In rebus voluntariis defectus actionis a voluntate actu deficiente procedit, in quantum *non subjicit se* actu suæ regulæ. »

Quæ omnia ex sola *Summa* deprompta sufficienter ostendunt mentem S. Thomæ. Longe plura afferri possent.

125. *Probatur eadem minor*. « Unumquodque rectum et bonum est in quantum attingit ad propriam mensuram[1]. » *Atqui*. Propria mensura actus humani est regula morum. *Ergo*. Bonum morale est id

1. 1ª 2æ, q. 19, a. 9. Cf. *Malo*, q. 1, a. 3 : « Bonum in regulato et in mensurato (id est in omni ente creato) est ex hoc quod regulatur et conformatur regulæ et mensuræ; malum vero ex hoc quod est non regulari vel mensurari. »

quod habet relationem convenientiæ et malum morale est id quod habet relationem repugnantiæ cum regula morum.

*Probatur* 2ª *major*. Bonum enim, si quoad rationem suam fundamentalem spectetur (n. 37), est perfectio quidem : non tamen perfectio quælibet, sic v. g. esse pennatum est perfectio avibus et non piscibus; sed perfectio *debita* naturæ : « unicuique rei est bonum quod convenit ei secundum suam formam » ; similiter malum est privatio boni *debiti*: « et malum quod est ei præter ordinem suæ formæ[1] ». *Atqui*. Hoc vocabulo *debita* designatur relatio transcendentalis convenientiæ vel disconvenientiæ quam res habet ad propriam suam mensuram, id est ad naturam. *Ergo*. Bonitas cujuslibet regulati consistit in relatione conformitatis cum sua regula, et malitia in relatione difformitatis ab eadem regula[2].

*Probatur* 2ª *minor*. Omne bonum dicit essentialiter ordinem ad suam regulam. *Atqui*. In actu humano duplex attenditur bonum, bonum physicum et bonum morale. *Ergo*. Actus humanus, ex eo quod est ens, dicit essentialiter ordinem ad regulam boni physici; ita pariter, ex eo quod est liber, dicit essentialiter ordinem ad regulam morum (n. 37).

*Majorem* negat *Frins* : « Quando opponens ait communem et propric dictam rationem moralitatis componere cum differentiis boni et mali species proprie dictæ moralitatis, id minus diligenter ab ipso dici opinor. Nam non ipsa communis et proprie dicta ratio moralitatis, si adæquate sumitur, rationem generis habet relate ad istas differentias præsertim boni in actibus humanis, sed una ratio voluntarii, qua formalis et proprie dicta moralitas tantum inadæquate constituitur, est vera ratio generica in ordine ad differentias illas. Id patet ex iis quæ supra circa locum S. Thomæ, 2, d. 40, q. 1, a. 1 disputavimus[3]. »

*Respondeo. Majorem* admittunt omnes, et recte. Cum actus humanus et actus liber et actus moralis sint idem re, sequitur quod et actus humanus et actus liber et actus moralis per se dividuntur in bonos et malos, ut diximus nº 117[4]. Attamen quando actus liber dividitur in bonum et malum, ratio formalis secundum quam fit

1. 1ª 2æ, q. 18, a. 5.

2. Cf. *Malo*, q. 2, a. 4 : « Considerandum est quod bonum importat quamdam perfectionem, cujus perfectionis privatio malum est, ut utamur large nomine perfectionis, secundum quod in se comprehendit convenientem mensuram et formam et ordinem ; unde Augustinus constituit rationem boni *in modo, specie et ordine* (*de Natura boni*, c. 26 et 27. Cf. *S. Thom.*, 1, q. 5, a. 5), et in horum privatione rationem mali. Manifestum est autem quod non est eadem perfectio propria omnium sed diversa diversorum ; sive accipiatur diversitas quæ est inter diversas species, ut inter equum et bovem, quorum est diversa perfectio ; sive inter genus et speciem, ut inter animal et hominem ; aliquid enim pertinet ad perfectionem hominis quod non pertinet ad perfectionem animalis; manifestum est enim quod non habere manus in homine est malum, non autem in equo aut bove aut etiam in animali in quantum est animal. Et similiter dicendum est in actibus de bono et malo. »

3. *De actibus humanis*, t. II, n. 30.

4. Cf. *Malo*, q. 2, a. 6 : « Ad actum moralem aliquid *per se* pertinet secundum quod comparatur ad rationem ut conveniens vel repugnans. »

divisio non est libertas, sed moralitas. Libertas est ratio fundamentalis cur actus sunt boni vel mali, non ratio formalis, et in hoc sensu intelligitur laudatus textus S. Thomæ, ut dicemus n. 204.

126. *Corollarium* 1^m. — **Non est relatio rationis.** *Probatur* 1° quia independenter ab omni fictione intellectus actus humanus a parte rei est bonus vel malus; 2° quia moralitas est fundamentum præmii vel punitionis, quod non competit enti rationis.

*Corollarium* 2^m. — **Non est relatio prædicamentalis.** *Probatur.* Relatio prædicamentalis est ad terminum ut purum terminum. *Atqui.* Actus non se habet ad regulam morum ut ad purum terminum, sed ut perfectibile ad suum perfectivum. *Ergo.* Non est relatio prædicamentalis, sed transcendentalis.

Unde nunquam docuerunt Thomistæ id quod ipsis adscribitur a *Frins* quasi dixerint « moralitatem constitutam esse quadam *accidentali et transcendentali* habitudine[1] », norunt enim Thomistæ accidentale et transcendentale non esse synonyma. — Nec verior est illa relationis transcendentalis descriptio quam tradit idem *Frins :* « Nam tales relationes transcendentales fatentibus omnibus sunt : potentiæ animæ, habitus operativi actusque omnes intentionales nostri[2]. » Econtra, fatentibus omnibus, potentiæ, habitus et actus non sunt relationes.

*Corollarium* 3^m. — **Non consistit in denominatione extrinseca.** *Probatur.* Denominatio extrinseca non inhæret subjecto, nec intrinsece illud afficit, sed solum extrinsece denominat. *Atqui.* Moralitas « inhæret actioni[3] ». Sicut enim bonitas pomi, equi, vini est aliquid intrinsecum pomo, equo, vino, ita bonitas actus est aliquid intrinsecum actui. *Ergo.*

*Nota.* Occasione istius vocabuli *denominatio extrinseca* plurimæ subintraverunt æquivocationes de quibus agemus infra, de moralitate actus externi (n. 192).

Dicit *Frins* moralitatem non significare aliquid mere extrinsecum, sed partim intrinsecum et partim extrinsecum; intrinsecum quidem non sufficit, unde requiritur extrinsecum; sed istud extrinsecum, licet sit extrinsecum actui, est tamen intrinsecum homini agenti[4]. — *Respondeo.* 1° Ex tanta multiplicitate elementorum constitutivorum non facile intelligitur quænam sit ratio formaliter constituens moralitatem, de qua agimus. 2° Quod vero additur : extrinsecum actui esse intrinsecum agenti, est extra quæstionem : actus enim bonus non significat *directe* hominem esse bonum, sed actum esse bonum.

1. *De actibus humanis*, t. II, n. 8.
2. *Ibid.*, n. 180.
3. 1ª 2æ, q. 18, a. 4, ad 2.
4. *De actibus humanis*, t. II n. 62. Quæ vero ex S. Thoma adduxerat in n. 61, non sunt ad rem.

*Corollarium* 4^m^. — **Non consistit in libertate.** *Probatur* 1° quia libertas pertinet ad ordinem physicum : rationalia enim libertate physice distinguuntur ab irrationalibus, unde libertatis doctrina traditur in Psychologia nec de ea tractatur in Ethica, nisi quatenus est fundamentum moralitatis, ut sæpe diximus; — 2° quia aliquando unius actus potest esse duplex moralitas, sed non potest esse duplex libertas; — 3° quia actus liber et actus moralis differunt ratione, ergo rationes formales utriusque non sunt unum et idem. Ens enim, unum, verum et bonum, licet sint idem re, differunt ratione; unde entitas, unitas, veritas, bonitas sunt rationes formaliter diversæ. Ita libertas et moralitas non sunt formaliter unum et idem.

*Ad* 1^ma^ *rationem* dicit *Frins :* moralitatem in libertate consistere non adæquate, sed inadæquate[1]. — *Respondeo :* rationes formales esse sicut numeros in quibus uno addito vel subtracto mutatur species : unde libertas et moralitas non sunt unum et idem. Sed nec potest dici quod libertas sit pars moralitatis : forma enim essentialiter physica non potest esse pars formæ essentialiter moralis, nisi admissa confusione ordinis physici et ordinis moralis quam tuetur *Frins* et quam impugnabimus in § sequenti.

*Ad* 2^am^ *rationem, Frins*[2] negat antecedens « in sensu opponentis », vel melius — juxta scholasticam terminologiam — distinguit : duplex moralitas intrinseca et immediata, *negat;* duplex, ita ut una sit intrinseca et immediata et altera superveniens et extrinseca, *concedit.* — *Respondeo.* Quidquid sit de illa distinctione quam suo loco demonstrabimus esse ablegandam, ab omnibus admittitur quod si quis jejunet ex motivo caritatis, actus habebit duplicem bonitatem *proprie dictam* et si quis furetur rem sacram ad se inebriandum, actus habebit triplicem malitiam *proprie dictam*, et tamen non habebit idem actus duplicem vel triplicem libertatem *proprie dictam.*

De sententia *Puffendorfii,* qui tenet moralitatem consistere in imputabilitate, agemus quando tractabimus de imputabilitate (n. 226).

127. **Solvuntur difficultates.** *Objectio* 1^a^. « Actus moralis proprie non habet relationem ad regulam morum, sed ad objectum. » Ita *Cathrein*[3].

*Respondeo.* Actus moralis habet relationem et ad objectum et ad regulam morum, sed non eodem modo. Habet relationem ad objectum moraliter sumptum. Nam de actu in esse moris determinandum est proportionaliter sicut de actu in esse physico. Sed actus in esse physico constituitur formaliter per relationem realem transcendentalem ad objectum in esse physico consideratum (n. 45). Ergo actus in esse morali constituitur formaliter per relationem realem transcendentalem

1. *De actibus humanis*, t. II, n. 31.
2. *Ibid.*, n. 29.
3. *Philos. mor.*, n. 56.

ad objectum in esse moris consideratum. Sed quid sit objectum in esse moris consideratum? Est objectum quatenus habet relationem realem transcendentalem ad regulam morum. Ideo si quis velit adæquate rem exprimere, dicet : Actus bonus est ille qui habet relationem realem transcendentalem convenientiæ ad objectum quod habet relationem realem transcendentalem convenientiæ ad regulam morum. Unde S. Thomas : « Actus omnis habet speciem ab objecto, et actus humanus qui dicitur moralis habet speciem ab *objecto relato ad principium* (seu regulam) actuum humanorum, quod est ratio[1]. » Cum vero omnibus actibus, tum in esse physico tum in esse morali, communis sit relatio transcendentalis ad objectum, recte potuimus eam omittere, sicut sæpius eam omisit S. Thomas, locis supra citatis, moralitatem definire ex relatione ad regulam morum et dicere quod actus bonus est ille qui habet conformitatem cum regula morum.

*Objectio* 2ª. Moralitas desumitur a regula morum; *sed* regula morum est extrinseca actui. *Ergo.* Moralitas est denominatio extrinseca.

*Respondeo.* Moralitas desumitur a regula morum *distinguo majorem,* a regula tanquam a termino relationis, a quo denominatur, *concedo,* tanquam a propria forma in qua consistit, *nego.* — *Distinguo minorem :* regula, id est, terminus relationis, *concedo;* sed ipsa relatio transcendentalis est intrinseca actui, sicut supra diximus (n. 45) actum specificari a fine, id est a relatione transcendentali ad finem.

*Objectio* 3ª. Idem non potest esse proprietas et essentia. *Atqui.* Moralitas est proprietas (n. 118). *Ergo.* Non potest esse essentia, nec relatio transcendentalis, cum relatio transcendentalis non differat realiter ab essentia.

*Respondeo. Distinguo majorem :* non potest esse proprietas physica et realis, *concedo;* proprietas logica et attributalis, *nego. Contradistinguo minorem in eodem sensu et nego consequens.* De hac duplici proprietate hæc habet *Goudin :* « Prior est accidens reale consequens essentiam. Altera est quædam notio per rationem solum distincta ab essentia et ipsam ex solo modo intelligendi consequens : sic infinitas dicitur proprietas divinæ essentiæ, mortalitas dicitur proprietas viventis corporei, non quod ista sint aliquid distinctum a rebus quarum dicuntur proprietates, sed quia sunt quædam notiones secundariæ quas intellectus noster distinguit ab essentia et ipsi attribuit

1. 1ª 2ᵉ, q. 18, a. 8. Nota, objectum *relatum ad principium* (seu regulam) *actuum humanorum.* Hoc est quod dicitur objectum *in esse morali* seu *in esse moris.* Cf. *Malo,* q. 2, a. 6, ad 2 : « Sicut actus in communi (*id est actus physicus*) recipit speciem ab objecto (*physico*), ita actus moralis recipit speciem ab objecto morali. »

veluti appendices ejus[1]. » In hoc secundo sensu dicitur moralitas proprietas actus humani. Cum enim sit relatio transcendentalis non distinguitur realiter ab essentia actus humani, sed est ipsemet actus prout ordinem dicens ad regulam morum.

*Objicit* 4° *Cathrein :* « Non sufficit dicere moralitatem consistere in relatione actus liberi ad regulam morum : hoc enim rem non sufficienter explicat. Quæritur enim qualis sit ista relatio? Si libere cogito de regula morum, intellectus habet relationem ad regulam morum tanquam suum objectum, neque tamen hæc relatio constituit moralitatem hujus actus[2]. »

*Respondeo.* Si libere cogito de regula morum, intellectus habet relationem ad regulam morum materialiter sumptam, sc. quatenus est objectum cognitum, *concedo;* ad regulam morum formaliter sumptam, sc. quatenus est regula formaliter regulans actum voluntatis, *nego;* et ea est relatio transcendentalis in qua dicimus consistere moralitatem.

*Instat Cathrein :* « S. Thomas dicens : Est actus aliquis moralis per hoc quod est a ratione et voluntate ordinatus et imperatus (*De malo*, q. 7, a. 6), vel etiam : actus sunt humani seu morales in quantum procedunt a voluntate deliberata (1ª 2æ, q. 1, a. 1) vel : secundum quod aliquatenus ratione deducuntur (in 2, d. 40, q. 1, a. 5), re a nobis non differt. Nam satis innuit moralitatem consistere in modo quodam quo actus a ratione dirigente et voluntate eligente emanat[3]. » — *Respondeo*. Expressiones *in quantum, ex eo quod*, et alia hujusmodi non necessario important rationem formalem, sed sæpe designant quamlibet concomitantiam vel dependentiam[4]. Sic quando dico : Omne ens, in quantum ens, est bonum, ly *in quantum ens* non significat rationem formalem boni, sed fundamentalem tantum. Ita, dependentia a ratione et voluntate est fundamentum moralitatis, non formale constitutivum, nam : « Ad actum moralem aliquid per se pertinet secundum quod comparatur ad rationem ut conveniens vel repugnans[5]. »

### § 2. — De ratione formali boni moralis.

128. Ex dictis in § præcedenti facilis est responsio : Ratio formalis boni moralis consistit in relatione convenientiæ quam habet actus humanus cum regula morum.

Juvat iterum referre verba S. Thomæ jam citata n. 122.

1. Logica Maj., 1ª p., Disp. 1, q. 2, a. 7. Concl. 1ª.
2. *Philosophia moralis*, n. 56.
3. *Philos. mor.*, n. 58.
4. *Malo*, q. 1, a. 2, ad 2.
5. *Malo*, q. 2, a. 6. Unde quando scribit S. Thomas : « Dicuntur aliqui actus humani vel morales, secundum quod sicut a ratione » (1ª 2æ, q. 18, a. 5), ly *secundum quod sunt a ratione* indicat rationem formalem actus humani et rationem fundamentalem actus moralis (*Recole dicta* n. 118, coroll. 2).

1ª 2æ, q. 73, a. 3 : « Bonum virtutis consistit in quadam *commensuratione* humani actus secundum *convenientiam* ad regulam rationis. »

2ª 2æ, q. 23, a. 3 : « Humani actus bonitatem habent *secundum quod regulantur* debita regula et mensura; et ideo humana virtus quæ est principium omnium bonorum actuum hominis constitit in *attingendo* regulam humanorum actuum. »

2ª 2æ, q. 23, a. 6 : « Cum bonum in humanis actibus attendatur *secundum quod regulantur* debita regula, necesse est quod virtus humana quæ est principium bonorum actuum consistat in *attingendo* humanorum actuum regulam. »

Ita *Thomistæ*. Extra scholam vero S. Thomæ diversi diversas ineunt vias, consequenter ad theoriam quam elegerunt de natura moralitatis.

Tenuit *Scotus* rationem boni consistere in complexu omnium conditionum quæ ad bonum requiruntur, huicque sententiæ favere S. Thomam[1] quidam arbitrati sunt ex eo quod dixerit : « de ratione boni est ipsa plenitudo essendi ». Sed respondetur his verbis designari conditionem prærequisitam ad bonum, non vero ipsam rationem formalem boni.

*Frins* et *Cathrein* asserunt bonitatem moralem actus interioris consistere in ipsa actus physica essentia. Ita *Frins :* « Cum bonitas formalis actus formaliter boni sit idem cum ipsa actus physica essentia[2] ». « Ergo actus formaliter bonus voluntatis ipsa sua physica essentia talis est[3]. » « Demonstratum est bonos formaliter actus et malos formaliter actus interiores[4] per suas entitativas rationes et physicas constitutiones ad unam aut alteram classem pertinere[5]. » « Unde consequitur in actu formaliter bono speciem moralem actus nihil ab ejus specie physica differre[6]. » Indeque Thomistas reprehendit idem *Frins* quod nolint confusionem ordinis physici et ordinis moralis admittere : « In bonis formaliter actibus esse specificum physicum ipsorum ab esse specifico eorum morali nihil dirimi sed cum eo confundi[7]. »

### 129. *Conclusio*. **Bonitas moralis non est idem ac physica entitas actus.**

*Probatur*. 1° Bonitas moralis est essentialiter illa perfectio qua formaliter privat malum morale. *Atqui*. Malum morale non privat formaliter actum entitate sua physica. *Ergo*. Bonitas moralis non est

1. 1ª 2æ, q. 18, a. 1.
2. *De Actibus humanis*, t. II, n. 196.
3. *Ibid.*, n. 405.
4. Et tamen passim asserit suam doctrinam intelligendam esse solum de actu bono, non de actu malo.
5. *Ibid.*, n. 407.
6. *Ibid.*, n. 29.
7. *Ibid.*, n. 32. Cf. ea quæ diximus supra, n. 15.

essentialiter ipsa physica entitas actus, et hoc verum est universaliter de omni actu humano sive elicito sive imperato.

2° Ex distinctione inter Psychologiam et Ethicam. Psychologia et Ethica, licet versari possint circa idem objectum materiale, id est actus humanos, differunt tamen ex diverso objecto formali, quatenus Psychologia considerat actus humanos quoad esse physicum et Ethica quoad esse morale. *Atqui.* Posito quod bonitas moralis idem est ac entitas physica actus, idem est objectum formale utriusque scientiæ. *Ergo.* Psychologia et Ethica non forent duæ scientia, sed una scientia.

3° *Falso fundamento nititur adversariorum sententia.* Suam sententiam profluere asserunt ex verbis *S. Thomæ*[1] : « ideo ipsi actus voluntatis, qui per se et immediate ad voluntatem pertinent, per se in genere moris sunt » ex quibus concludit *Frins :* « Non est dubium quin hoc loco illud *per se in genere moris esse* saltem hoc significet : interiores voluntatis actus et elicitos per suam entitativam rationem et indolem, quia immediate a voluntate proficiscuntur, in genere moris versari[2]. » Et iterum : « Actus eliciti secundum substantiam actus specie boni et mali distinguuntur. Quid potest desiderari luculentius? Hæc nisi evidentia sunt, vix jam scio quid sit evidentia[3]. » — Genuinum sensum textus S. Thomæ exponemus n. 204; hic tamen statim potest breviter demonstrari illationem positam peccare contra Logicam formalem : In textu citato, *S. Thomas* prorsus eodem modo loquitur de bono et malo morali, ut legenti patet. *Atqui.* Ex textu citato non sequitur malitiam moralem esse entitatem physicam actus, ut omnes concedunt. *Ergo.* Ex textu citato non sequitur bonitatem moralem esse entitatem physicam actus.

Arguit *Frins* contra Thomistas : « 4° Argumentor argumento facili simul et valde efficaci. Conformitas actus, quæ secundum hos auctores est ejus quædam relatio, est ratione et ordine posterior quam ipse actus : nam prius est esse quam conformem esse. Jamvero bonitas formalis actus necessario est actui omni ex parte simultanea. *Ergo*[4]. » — *Respondeo :* Concessa Majore, *distinguo minorem :* simultanea simultaneitate temporis, *concedo :* simul tempore actus est, et est bonus; simultaneitate rationis, *nego :* nam secundum nostrum concipiendi modum prius concipimus actum esse quam esse bonum.

Aliquando tamen idem *Frins* vix non consentit cum Thomistis, quando concludit : « Quare necesse est ut dicamus indolem actus virtutis actusque moralis boni sitam esse in hac re, ut sit affectiva tendentia et relatio transcendentalis humani actus in objectum cognitum ut homini simpliciter bonum et conveniens secundum regulam morum[5]. » Quæ vero, quomodo cohæreant cum præcedentibus, non video.

1. 2, d. 40, q. 1, a. 1.
2. T. II, n. 14.
3. T. II, n. 189, p. 186.
4. *Ibid.*, n. 177.
5. *Ibid.*, n. 182.

## Dubium. Utrum moralitas addat aliquid distinctum supra entitatem physicam actus liberi?

130. Movetur hoc dubium ad plenius elucidandam naturam moralitatis, manifestando quomodo in actu humano esse morale distinguatur ab esse physico. — *Thomistæ* tenent in omni actu humano distingui moralitatem ab entitate physica actus accidentaliterque ipsi superaddi. — Ex extraneis, plures ut *Suarez, Becanus,* quibus adhæserunt *Frins* et *Cathrein* tenent distingui quidem in actibus malis et in actibus exterioribus, non vero in actibus elicitis voluntatis moraliter bonis. De hoc agebatur in conclusione præcedente.

Solent Thomistæ in favorem suæ sententiæ afferre hunc textum S. Thomæ; « Bonum moris est quodammodo majus bonum quam bonum naturæ, in quantum scilicet est actus et perfectio naturalis boni; licet aliquo modo bonum naturæ sit melius, sicut substantia accidente[1]. » Ad hoc dicit *Frins :* « Qui hunc locum afferunt, ii sensum ipsi subjiciunt atque sententiam quæ ab ipso longissime abest. Eo enim loco traditur nihil aliud quam hoc : bonum naturæ esse quodammodo minus bonum quam bonum moris; in quantum nimirum hoc moris bonum boni illius naturæ actus et perfectio est; bonum tamen naturæ esse bono moris melius simpliciter sicut substantia melior est accidente. Manifestum est comparari hic nequaquam actum humanum secundum entitatem physicam (in esse naturæ) consideratum secum ipso secundum esse morale, sed comparatur esse substantiale quod natura habemus et quo homines sumus, cum ea accidentali perfectione, quam operatione nostra humana et morali tandem assequimur[2]. » — In ista Thomistarum reprehensione duo nobis videntur correctione indigere : 1° Verbis S. Thomæ aliquid de suo (et quidem minus feliciter) addit *Frins,* cum dicit : bonum naturæ esse bono moris melius *simpliciter.* Non dixit S. Thomas *simpliciter,* sed *aliquo modo;* immeritoque concludit *Frins simpliciter* ex verbis *sicut substantia accidente :* substantia enim est melior accidente quoad modum essendi, id est aliquo modo; accidens vero potest esse simpliciter melius et nobilius substantia, sicut « gratia (habitualis) imperfectiori modo habet esse in anima quam anima in seipsa subsistat; est tamen nobilior quam natura animæ[3] ». Ita tenent Thomistæ bonum morale esse simpliciter melius quam bonum physicum, licet bonum physicum aliquo modo melius sit, sc. quantum ad modum essendi. 2° Subjungit *Frins :* « Manifestum est hic non comparari actum humanum in esse naturæ secum ipso secundum esse morale. » Objicienti forse manifestum est, non tamen omnibus, ideo debuisset interpretationem sua demonstrare. Sic autem interpretantur Thomistæ verba S. Thomæ : Bonum morale se habet ad bonum physicum sicut se habet accidens ad suam substantiam. Certe entitas physica actus non est substantia, sed sicut substantia est subjectum proprium accidentis, ita bonum physicum seu entitas physica actus est subjectum proprium bo-

1. *Malo,* q. 2, a. 5, ad 4.
2. *De Actibus humanis,* t. I, n. 13, p. 12, in nota.
3. 1ª 2æ, q. 110, a. 2, ad 2.

nitatis moralis, quæ consequenter aliquo modo se habet ad entitatem physicam sicut se habet accidens ad suam substantiam.

Similia habet *S. Thomas: de Malo, qu. eadem* 2, a. 6, ad 3 : « Species peccati non est species actus secundum suam naturam, sed secundum esse morale quod comparatur ad naturam actus sicut quale ad substantiam, vel potius sicut deformitas qualis ad subjectum. » — Dicit *Frins* hunc textum intelligendum esse de malo. — Certe loquitur hic S. Thomas de peccato, sed loquendo de peccato profert propositionem uniuersaliter veram de bono et de malo : *esse morale comparatur ad naturam actus sicut quale ad substantiam*, intellige *quale* in sensu quo diximus moralitatem esse proprietatem (n. 127, obj. 3ª).

131. Alii eamdem quæstionem hoc modo proponunt : Utrum objectum moraliter bonum tribuat actui humano speciem non solum in esse morali, sed etiam in genere naturæ seu in esse physico. — Dicunt Thomistæ actum in esse physico specificari ab objecto formali in esse physico tantum et non ab objecto moraliter sumpto; et econverso actum in esse morali specificari ab objecto formali in esse moris tantum et non ab objecto physico. — Alii supraindicati, præmissa eadem distinctione, remotisque actibus malis et exterioribus, asserunt « honestatem actus interioris ex objecto esse differentiam essentialem ipsius actus etiam quoad suam physicam et intrinsecam entitatem ». Ita *Cathrein*[1].

132. Tandem eadem difficultas adhuc sub alia forma potest proponi : Quænam intercedat differentia inter objectum formale actus physice sumptum et objectum moraliter sumptum. — Dicunt Thomistæ objectum physicum et objectum morale per accidens se habere ad invicem : « Fines morales accidunt rei naturali, et e converso ratio naturalis finis accidit morali[2]. » Unde moralitas objecti quæ est relatio transcendentalis objecti ad regulam morum, consideratur tanquam proprietas objecto physico superveniens per accidens. — Alii iidem, præmissa eadem distinctione, remotisque actibus malis et exterioribus, tenent in actu interiori bono omnino idem esse objectum physicum et objectum morale.

133. *Conclusio.* **Actus physicus specificatur ab objecto in esse physico et non ab objecto in esse morali; et econverso, actus moralis specificatur ab objecto in esse morali et non ab objecto in esse physico.**

*Probatur.* 1° *Universaliter, de omni actu humano.* Expressa est S. Thomæ doctrina, 1ª 2æ, q. 1, a. 3, ad 3 : « Non enim motus recipit speciem ab eo quod est terminus per accidens, sed solum ab eo quod

1. *Philosophia moralis*, n. 100.
2. 1ª 2æ, q. 1, a. 3, ad 3.

est terminus per se. *Atqui.* Fines morales accidunt rei naturali, et econverso ratio naturalis finis accidit morali. *Ergo.* Nihil prohibet actus qui sunt iidem secundum speciem naturæ esse diversos secundum speciem moris et econverso. »

Ad hoc scribit *Frins :* « Potest hic locus primo aspectu admodum luculentus videri ad quæstionem propositam ex mente S. Thomæ negandam..... *Respondetur* tamen : concessa antecedente, (**sic**) negatur prima consequentia (**sed quænam sit prima consequentia ?**). Potest tantum inferri, *speciem moris posse in aliquo actu diversam esse a specie naturæ*[1] ». — *Sed contra*, legenti textum S. Thomæ manifesto falsa est ista interpretatio. *Major* est propositio universalis : Motus non recipit speciem ab eo quod est terminus per accidens, sed solum ab eo quod est terminus per se. *Minor* est propositio universalis : Atqui. Finis moralis est terminus per accidens actus physici et econverso finis physicus est terminus per accidens actus moralis. *Consequens* igitur erit etiam propositio universalis : Ergo. Actus physicus non recipit speciem a fine morali et econverso actus moralis non recipit speciem a fine physico. « Et ideo nihil prohibet actus qui sunt iidem secundum speciem naturæ esse diversos secundum speciem moris et econverso. »

134. Eamdem rationem sub forma parum diversa proponit S. Thomas ($1^a\ 2^{æ}$, q. 18, a. 5 et *Malo*, q. 2, a. 4[2]). « Actus cujuslibet potentiæ specificatur secundum id quod per se pertinet ad illam potentiam, non autem secundum id quod pertinet ad eam per accidens. » *Atqui.* Objectum in esse physico pertinet per se ad potentiam quæ principium est actus physici et per accidens ad potentiam quæ principium est actus moralis ; et econverso, objectum in esse morali pertinet per se ad potentiam quæ est principium actus moralis et per accidens ad potentiam quæ est principium actus physici. *Ergo.* Actus physicus specificatur ab objecto in esse physico et non ab objecto in esse morali ; econverso, actus moralis specificatur ab objecto in esse morali et non ab objecto in esse physico.

*Major declaratur exemplo.* « Cognoscere colorem et cognoscere sonum sunt diversi actus secundum speciem, si ad sensum referantur, quia hæc secundum se sensibilia sunt ; non autem si referantur ad intellectum, quia ab intellectu comprehenduntur sub una communi ratione objecti, scilicet entis aut veri. Et similiter sentire album et nigrum differt specie, si referatur ad visum, non si referatur ad gustum. »

*Minor etiam declaratur exemplo.* Adulterium et actus conjugii in hoc conveniunt quod sunt actus potentiæ generativæ : cognoscere mulierem, et in hoc differunt quod adulterium est cognoscere mu-

1. T. II, n. 13, pag. 10.
2. Quæ hic referuntur desumuntur ex loco cit. *de Malo.*

lierem non suam et actus conjugii cognoscere suam. Ideo objectum in esse physico, id est cognoscere mulierem, pertinet per se ad potentiam generativam et per accidens ad rationem ; objectum vero in esse morali, id est quod mulier sit sua vel non sua, per se pertinet ad rationem et per accidens ad potentiam generativam. Nam « cum actus recipiat speciem ab objecto, secundum aliquam rationem objecti specificabitur actus comparatus ad unum activum principium, secundum quam rationem non specificabitur comparatus ad aliud ».

Unde concludit S. Thomas : « Si ergo objecta humanorum actuum considerentur quæ habeant differentias secundum aliquid per se ad rationem pertinens, erunt actus specie differentes secundum quod sunt actus rationis (*id est, in esse moris*), licet non sunt specie differentes secundum quod sunt actus alicujus alterius potentiæ (*id est, in esse physico*) : sicut cognoscere mulierem suam et cognoscere mulierem non suam, sunt actus habentes objecta differentia secundum aliquid ad rationem pertinens, nam suum et non suum determinantur secundum regulam rationis (*objectum in esse moris*), quæ tamen differentiæ per accidens se habent si comparentur ad vim generativam vel etiam ad vim concupiscibilem (*objectum in esse physico*). Et ideo cognoscere suam et cognoscere non suam specie differunt secundum quod sunt actus rationis (*seu actus morales*), non autem secundum quod sunt actus generativæ aut concupiscibilis (*seu actus physici*). »

Ad hæc dicit *Frins* « locis his et similibus agi aut de actibus moraliter malis aut de actibus externis et mere imperatis ; nunquam vero ab Aquinate asseritur essentiam physicam et entitativam actus interioris formaliter boni ab ejusdem actus essentia et bonitate in genere moris ulla reali ratione vel ullatenus entitative distingui [1] ». — *Respondeo.* Propositiones S. Thomæ in utroque syllogismo sunt propositiones universales, quæ dicuntur de omnibus actibus moralibus sive bonis sive malis, sive interioribus sive exterioribus. Verum est exempla sæpius adduci desumpta ex actibus malis vel exterioribus : ratio est quod S. Doctor elegerit exempla aptiora ad illustrandam suam doctrinam, sed immerito dicunt propositiones has universales restringendas esse ad exempla citata. Tandem ex eo quod S. Thomas loquens de moralitate in genere, promiscue adhibeat exempla de actibus sive malis sive exterioribus, recte concludimus S. Doctorem nullimode favere illi violentæ dismembrationi actus humani quam induxerunt *Frins* et *Cathrein* et quam iterum rejiciemus n. 165. Ne quis tamen dicat nos velle proprium difficultatis punctum præterfugere, ostendimus in ratione sequenti quomodo principia hucusque universaliter tradita applicentur actui elicito voluntatis.

135. 2° *Probatur specialiter de actu elicito voluntatis.* Specificantur actus humani ex differentiis per se objecti formalis. *Atqui.*

1. *De actib. hum.*, t. II, n. 189, p. 181.

Actus eliciti *a*) *quoad esse physicum* specificantur divisione tradita n. 101 : Sex sunt actus eliciti, tres circa finem, sc. volitio, intentio et fruitio, et tres circa media, sc. consensus, electio et usus, qui specifice differunt juxta modum ibidem explicatum. Insuper simplex volitio dividitur specifice per varios affectus voluntatis, secundum varias rationes boni, ut dicemus n. 246 : sic amor versatur circa bonum absolute, desiderium circa bonum absens, odium circa malum absolute, tristitia circa malum præsens, timor circa malum imminens et vitabile, etc... et omnes isti motus sunt species actus eliciti in esse physico; *b*) *quoad esse morale*, iidem actus eliciti specifice dividuntur et subdividuntur per actus variarum virtutum aut vitiorum de quibus fuse tractat S. Thomas per totam 2^am 2^æ. *Ergo*. Etiam in actibus elicitis, objectum physicum per accidens se habet ad actum in esse moris et objectum morale per accidens se habet ad actum in esse physico.

*Declaratur consequens,* exemplo : Sint duo actus eliciti : amare Deum et amare vinum; quoad esse physicum non sunt actus diversæ speciei, sicut nec intelligere sonum et intelligere colorem ; quoad esse vero morale, differunt specifice. Iterum, amare virtutem et desiderare virtutem, in esse physico sunt duo actus specifice diversi : specie enim diversus est motus appetitus in bonum absolute (amor) et in bonum absens (desiderium) ; et tamen iidem actus specifice diversi quoad esse naturæ, aliquando quoad esse morale, ne numerice quidem differunt, quia ut vidimus n. 102, ex duodecim motibus partialibus integratur unus actus moralis.

*Negat Frins* sufficere ad specificationem actuum voluntatis in esse physico, declaratam differentiam in motibus vitalibus facultatis, eo quod amor, v. g. recipit specificum complementum a suo objecto. — *Respondeo :* amor recipit a suo objecto complementum specificum, *distinguo :* in esse intentionali et objectivo, *concedo ;* in esse reali et physico, *subdistinguo :* ita ut diversum objectum formale inducat diversam speciem physicam actus, *concedo;* ita ut diversum objectum materiale inducat diversam speciem physicam actus, *nego.* Certe actus specificatur ex objecto, ideo intelligere sonum et intelligere colorem specifice differunt in esse objectivo; in esse tamen reali sunt actus ejusdem speciei. Item amare Deum et amare vinum specie differunt quoad esse intentionale, sed quoad esse physicum sunt actus ejusdem speciei, quia sunt idem motus appetitus ad idem objectum formale.

136. *Confirmatur* præcedens doctrina ex verbis S. Thomæ, 1, q. 48, a. 1, ad 2 : « Bonum et malum non sunt differentiæ constitutivæ nisi in moralibus. » Idipsum docuimus n. 117 : « Concl. 3^a : Actus humani, et quidem soli, specifice dividuntur per bonos et malos. » Hæc autem proprietas actibus humanis competit non ex esse physico, secus

competeret omnibus entibus physicis, sed ex esse morali. Unde sicut pomum bonum et pomum malum non sunt duæ species pomi, ita actus humanus physice bonus et actus physice malus non sunt duæ species actus physici, dum econtra actus moraliter bonus et actus moraliter malus constituunt duas species actus moralis. Ideo concludimus : bonum et malum non sunt differentiæ constitutivæ nisi in ordine moris seu quoad esse morale; unde quoad esse physicum non sunt differentiæ constitutivæ.

Acriter nos reprehendit *Frins* asserens « hanc interpretationem et violentam esse et convinci apertæ falsitatis[1] ». Et fusiores congerit considerationes, quas dimittimus, utpote omnino vagantes extra quæstionem. Unum tantum ab ipso quærimus: sicut quidam demonstrabat motum esse, movendo seipsum, ita nobis afferat objiciens unicum casum in quo duo actus physici, unus physice bonus et alter physice malus, ex hoc solo constituantur in duas species physicas diversas et statim ipsi consentiemus citata verba S. Thomæ significare : « Bonum et malum sunt differentiæ constitutivæ etiam in actu physico voluntatis. »

*Scholion.* Ex dictis manifestatur quomodo differant objectum physicum et objectum morale in actu humano. Objectum in esse physico est objectum prout est in se ; objectum in esse morali est idem objectum prout relationem habet ad regulam morum, id est ad rationem. « Bonum, *in quantum cadit sub ordine rationis,* pertinet ad genus moris, et causat bonitatem moralem in actu voluntatis[2]. » Unde verba jam citata : « Fines morales accidunt rei naturali et e converso ratio naturalis finis accidit morali[3]. » Finis autem et objectum, ut dicemus (n. 166), non differunt.

### § 3. — De formali ratione mali moralis.

Cum malum sit privatio boni debiti, manifestum est in ratione mali moralis includi aliquam privationem. Sed circa hoc duo moventur dubia : 1° Quodnam sit subjectum proprium hujus privationis? 2° Utrum ratio constitutiva mali moralis consistat in hac privatione, vel in aliquo positivo.

1. *De actib. hum.*, t. II, n. 189, p. 182.

2. 1ª 2æ, q. 16, a. 1, ad 1. Cf. 1ª 2æ, q. 18, a. 8 : « Actus humanus qui dicitur moralis habet speciem ab *objecto relato ad principium actuum humanorum,* quod est ratio. »

3. 1ª 2æ, q. 1, a. 3, ad 3.

## Dubium 1^m. Quodnam sit subjectum immediatum illius privationis quæ reperitur in malo morali.

137. Sensus quæsiti est : utrum privatio necessario se teneat ex parte ipsius actus, necne? Tenent quidam cum *Suarez :* ad rationem mali moralis sufficere, si privatio boni se habeat ex parte potentiæ, solaque ponatur negatio ex parte actus. Præcipue moveri videntur hac ratione :. Odium Dei est actus malus. Sed odium Dei non caret perfectione sibi debita : actus enim ex sua specie malus non exigit rectitudinem moralem. Ergo, non ideo est actus malus quia caret perfectione debita ipsi actui, sed quia caret perfectione debita potentiæ. Asserunt *Thomistæ* omnino requiri privationem ex parte ipsius actus.

138. *Conclusio.* **Ad rationem mali moralis requiritur privatio rectitudinis, non solum ex parte potentiæ, sed ex parte ipsius actus.**

*Probatur.* Idem est subjectum privationis et formæ cujus est privatio. *Atqui.* Subjectum immediatum formæ cujus privatio includitur in malo morali, id est bonitatis moralis, non est potentia sed ipse actus. *Ergo.* Mali moralis subjectum immediatum non est potentia, sed ipse actus.

*Ad objectionem propositam* respondetur *distinguendo minorem ;* Odio Dei non debetur rectitudo moralis : si consideretur ratio specifica actus, *concedo,* cum sit species actus mala; si vero consideretur secundum rationem genericam, id est quatenus est actus humanus, *nego :* est enim carentia perfectionis debitæ omni actui humano. Hoc modo dicit S. Thomas : « Sicut dicitur in 5 *Metaphys.* (c. 27), privatio tribus modis dicitur. Uno modo proprie, quando removetur ab aliquo quod natum est habere, sicut carere visu est privatio in homine. Alio modo communiter, quando removetur ab aliquo quod ipsum quidem non est natum habere, sed genus ejus : sicut si non habere visum dicatur esse privatio visus in talpa. Tertio modo, communissime, etc.[1]... »

1. *Pot.*, q. 9, a. 7, ad 11. Cf. *In* 5 *Metaphys.*, l. 20 : « Hic distinguit modos quibus dicitur privatio. Et ponit quatuor modos..... Secundus modus attenditur secundum aptitudinem subjecti. Hoc enim modo dicitur *privari* hoc solum quod natum est illud habere, aut secundum se, aut secundum genus suum. Secundum se, sicut homo cæcus dicitur privari visu, quem natus est habere secundum se. Talpa autem dicitur privari visu, non quia ipsa secundum se sit nata habere visum, sed quia genus ejus, scilicet animal, natum est habere visum. Multa enim sunt a quibus aliquid non impeditur ratione generis, sed ratione differentiæ. »

## Dubium 2m. Utrum ratio formaliter constitutiva mali moralis consistat in privatione, an in aliquo positivo?

139. Cum in actu malo tria distingui possint : entitas physica, relatio ad objectum malum et privatio rectitudinis, quæri potest in quo consistat ratio formaliter constitutiva mali moralis. Certe non consistit in entitate physica, sed utrum in relatione quæ est aliquod positivum, vel in ipsa privatione. De hoc copiosissime disputarunt Scholastici : dissentiunt auctores etiam inter Thomistas et ex utraque parte plurima afferuntur S. Thomæ testimonia. Celebriores tamen ex nostris, *Capreolus, Cajetanus, Ferrariensis, Joannes a S. Thoma, Salmanticenses, Massoulié, Goudin, Billuart* stant pro positivo.

*Conclusio.* **In actu positivo, ratio formaliter constitutiva mali moralis non consistit in sola privatione, sed in aliquo positivo** (*Cont. Gent.*, l. 3, c. 9).

Dicitur *in actu positivo* ad excludendum peccatum omissionis, nam « in peccato omissionis verum est per se loquendo quod est sola privatio[1] ».

*Probatur.* 1° Moralitas dividitur per bonum et malum sicut genus per species. *Atqui.* Utriusque speciei differentia specifica debet esse ejusdem generis. *Ergo.* Sicut contrahitur ratio generica moralitatis ad bonum per aliquid positivum, ita etiam contrahitur ad malum per aliquid positivum.

*Dicunt.* Animal dividitur per rationale et irrationale. *Atqui.* Irrationale constituitur ex negativo. *Ergo.* Non repugnat differentiam specificam constitui ex negativo. — *Respondeo. Nego minorem.* Irrationalitas enim, ut differentia specifica, est aliquid positivum connotans negativum. « Irrationale est differentia animalis, non propter privationem rationis, sed ratione talis naturæ ad quam sequitur remotio rationis[2]. »

2° Idem est constitutivum et distinctivum, aliis verbis, idem est quo formaliter constituitur species et quo formaliter distinguitur species ab aliis speciebus ejusdem generis. *Atqui.* Variæ species mali moralis specifice distinguuntur per ordinem ad objecta specie diversa, non vero ex sola privatione. *Ergo.* Differentia constitutiva mali moralis non est privatio, sed positivus ordo ad objectum.

3° Bonum et malum morale opponuntur contrarie et non solum

1. *Malo*, q. 2, a. 1, ad 4.
2. *Cont. Gent.*, l. 3, c. 9.

privative : « In moralibus magis quam in naturalibus malum contrarium bono dicitur, quia moralia ex voluntate dependent ; voluntatis autem objectum est bonum et malum ; omnis autem actus denominatur et recipit speciem ab objecto. Sic ergo actus voluntatis in quantum fertur in malum recipit rationem et nomen mali, et hoc malum contrariatur proprie bono[1]. » *Atqui.* Forma et privatio non opponuntur contrarie sed privative. *Ergo.* Bonum et malum non opponuntur solum ut forma et privatio.

Dicit *Cathrein :* « Malum bono contrarie opponitur præcise ratione ipsius malitiæ, *nego* » ; et iterum : « Actus malus ab actu bono specie differt ratione præcisæ malitiæ, *nego*[2]. » — *Sed contra.* Bonum et malum opponuntur per hoc quod bonum habet bonitatem et malum malitiam ; ergo, et bonitas et malitia erunt aliquid positivum. Item honestas et malitia sunt duæ species moralitatis, ergo utraque species constituitur formaliter per aliquid positivum.

4° In actu malo distinguitur relatio ad objectum malum et privatio rectitudinis. *Atqui.* Privatio rectitudinis sequitur tendentiam quæ jam ex se est mala moraliter. *Ergo.* Ratio formalis mali moralis consistit in positiva tendentia, et non in sola privatione.

*Corollarium.* Cum ratio formalis mali moralis consistat in positivo quod connotet privationem, dicimus eam consistere in relatione transcendentali disconvenientiæ actus ad regulam morum[3].

## ARTICULUS III

### *De essentiali discrimine inter bonum et malum* (*Cont. Gent.*, l. 3, c. 129).

140. **Positivismus moralis.** Agitur in hoc articulo de ratione discriminis inter bonum et malum, et quæritur utrum actus humani sint boni vel mali essentialiter, vi essentiæ suæ, vel econtra tales sint ex aliqua determinatione extrinseca et arbitraria. Certum est multa esse quorum bonitas vel malitia pendet ex sola lege positiva, v. g. esus carnium in diebus vetitis. Sed quærimus utrum admittendum sit omnes actus humanos ita discriminari per bonum et malum ex sola determinatione positiva.

1. *Malo*, q. 1, a. 1, ad 4.

2. *Philos. mor.*, n. 112.

3. « Mala actio specificatur *ex ordine ad finem indebitum*, cui admiscetur privatio finis debiti, ex quo ratio mali accidit. Unde patet quod non sola privatio specificat malum habitum et actionem, sed positio ordinis ad finem quemdam cum privatione finis debiti. » 2, d. 34, q. 1, a. 2, ad 3.

Circa hoc plurimi sunt errores qui comprehenduntur sub communi nomine *Positivismi moralis*. Nullus actus, aiunt, est ex se et essentialiter bonus, nullus essentialiter malus, sed bonum et malum dicitur solummodo per respectum ad quamdam determinationem positivam. (Inde nomen Positivismi, vel potius quia profitentur se uti methodo Positivistarum).

Positivismi moralis duplex classis distingui potest, secundum quod prædicta determinatio positiva procedit vel ab hominibus vel a Deo.

Ad 1$^{am}$ classem reduci possunt : ex antiquis, *Carneades;* ex recentioribus, *Hobbes* (oritur distinctio a lege humana; Hobbesio debetur theoria *despotismi :* « Ante imperia justum et injustum non extitere, actioque omnis sua natura adiaphora est; quod justa vel injusta sit a jure imperantis provenit. Reges igitur legitimi quæ imperant justa faciunt imperando; quæ vetant, vetando injusta...[1]), *Saint-Lambert* (a consuetudine et opinione publica), *Mandeville* (ab inventione virorum sapientium et potentium). Item *Positivistæ, Evolutionistæ* et est doctrina communis hodiernorum Philosophorum, qui frequentius appellant ad conscientiam collectivam.

2$^{a}$ Classis derivat discrimen a libera Dei voluntate, ita *Nominales, Cartesius, Puffendorf :* « Qui extra impositionem divinam moralitatis actionum humanarum æternam aliquam statuunt regulam, nihil aliud mihi videntur agere quam ut Deo adjungant principium aliquod coæternum extrinsecum quod ipse in assignandis rerum formis sequi necessum habuerit[2]. »

Contra quos statuimus : non omnes, sed quasdam hominis actiones esse essentialiter bonas et quasdam essentialiter malas, et hoc est unum inter fundamentalia capita totius Ethicæ.

141. *Conclusio.* **Sunt quædam actiones humanæ essentialiter bonæ et quædam essentialiter malæ.**

*Probatur.* 1° Argumento S. Thomæ (*Cont. Gent.*, l. 3, c. 129). « Quorumcumque natura est determinata, oportet esse operationes determinatas quæ illi naturæ conveniant » vel disconveniant : « propria enim operatio uniuscujusque naturam ejus sequitur. *Atqui.* Constat hominum naturam esse determinatam. *Ergo.* Oportet operationes esse aliquas secundum se homini convenientes » vel disconvenientes.

*Et sequitur inductiva declaratio ejusdem conclusionis.* Materiæ circa quas versantur actiones humanæ, ad quatuor principaliores reduci possunt. Actiones enim nostræ versantur *a*) vel circa relatio-

1. *Elementa philosophica de Cive*, c. 12, § 1.
2. *De jure naturæ et gentium*, l. 1, c. 2, § 6.

nes sociales cum aliis hominibus, *b*) vel circa usum rerum exteriorum, *c*) vel circa gubernationem corporis et virium inferiorum, *d*) vel circa relationes cum Deo. *Atqui*. Ex parte uniuscujusque dictarum materiarum sunt aliquæ actiones naturaliter homini convenientes vel disconvenientes, *et probatur :*

*a*) *Circa relationes sociales cum aliis hominibus*. « Cuicumque est aliquid naturale oportet etiam esse naturale id sine quo illud haberi non potest : natura enim non deficit in necessariis. *Atqui*. Est homini naturale quod sit sociale : quod ex hoc ostenditur quod unus homo solus non sufficit ad omnia quæ sunt humanæ vitæ necessaria. *Ergo*. Ea sine quibus societas humana conservari non potest, sunt homini naturaliter convenientia. *Subsumo, Atqui*. Hujusmodi sunt : unicuique quod suum est conservare et ab injuriis abstinere. *Ergo*. Sunt aliqua in humanis actibus naturaliter recta. »

*b*) *Circa usum rerum exteriorum*. « Homo naturaliter hoc habet quod utatur rebus inferioribus ad suæ vitæ necessitatem. *Atqui*. Est aliqua mensura determinata (naturaliter) secundum quam usus prædictarum rerum humanæ vitæ est conveniens ; quæ quidem mensura, si prætermittatur, fit homini nocivum, sicut apparet in sumptione inordinata ciborum. *Ergo*. Sunt aliqui actus homini naturaliter convenientes. »

*c*) *Circa gubernationem corporis et virium inferiorum*. Secundum naturalem ordinem corpus hominis est propter animam et inferiores virtutes animæ propter rationem : sicut et in aliis rebus materia est propter formam et instrumenta propter principalem agentem. *Atqui*. Ex eo quod est ad aliud ordinatum debet ei auxilium provenire, non autem aliquod impedimentum. *Ergo*. Est naturaliter rectum quod sic procuretur ab homine corpus et inferiores vires animæ, ut ex hoc et actus rationis et bonum ipsius minime impediatur, magis autem juvetur. Si autem secus accideret, erit naturaliter peccatum. Vinolentiæ igitur et comessationes et inordinatus venereorum usus, per quæ actus rationis impeditur, et subdi passionibus, quæ liberum judicium rationis esse non sinunt, sunt naturaliter mala. »

*d*) *Circa relationes cum Deo*. « Unicuique naturaliter conveniunt ea quibus tendit in finem suum naturalem ; quæ autem e contrario se habent sunt ei naturaliter inconvenientia. *Atqui*. Homo naturaliter ordinatur in Deum sicut in finem. *Ergo*. Ea quibus homo inducitur in cognitionem et amorem Dei sunt naturaliter recta ; quæcumque vero econtrario se habent sunt naturaliter homini mala. »

Et concludit S. Thomas : « Patet igitur quod bonum et malum in humanis actibus non solum sunt secundum legis positionem, sed etiam secundum naturalem ordinem. »

2° *Ex communi et perpetua hominum persuasione,* quæ probatur tum experientia psychologica, tum omnium populorum historia Quis enim non consentit bonum esse, et quidem essentialiter, honorare parentes, servare pacta, juvare indigentes; malum vero lædere proximum, promissa frangere, etc.?... Item nullus asseret bonam esse Reguli fidelitatem eo quod laudetur, malam esse Neronis crudelitatem eo quod vituperetur, sed econverso. *Atqui.* Hujusmodi communis et perpetua persuasio non potest fundari nisi in ipsa rationali natura, proindeque errori non est obnoxia. *Ergo.*

*Objectiones* positivistarum profluunt ex theoria evolutionis, et in confirmationem adducunt quædam exempla, v. g. de polygamia, de sacrificiis humanis, de genitorum occisione ad senectutis incommoda vitanda, quæ aliquando reputabantur justa. Unde concluditur : non ideo lædi conscientiam publicam delicto quia actus malus est, sed ideo actum esse malum quia lædit conscientiam publicam.

*Respondeo.* 1° Recentiorum difficultates non adeo differe ab antiquorum objectionibus quas sic proponit S. Thomas : « Quædam, quæ a quibusdam reputantur justa et honesta, a quibusdam injusta et inhonesta secundum differentiam temporum et locorum et personarum. Aliquid enim reputatur vitiosum uno tempore aut in una regione, quod in alio tempore aut in alia regione non reputatur vitiosum. Et ex ista differentia contingit quosdam opinari quod nihil est naturaliter justum vel honestum, sed solum secundum legis positionem[1]. » — 2° Nec obstant facta in contrarium adducta : sicut enim natura in ordine physico aliquando deficere potest propter impedimenta, haud secus in ordine morali « propter hoc quod aliqui habent depravatam rationem ex passione, seu ex mala consuetudine, seu ex mala habitudine naturæ; sicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum, cum tamen sit contra legem naturæ, ut refert Julius Cæsar[2] ».

142. *Corollarium* 1^m^. **Ergo moralitas non pendet a lege civili.** *Probatur.* 1° Ista sententia nititur falso supposito. Supponit homines vixisse in statu silvestri et ferino, boni et mali inscios, quousque necessitate coacti in societatem coaluerint, eo ipso societati potestatem et jus concedentes : quæ omnia falsa esse demonstrabimus in philosophia sociali. — 2° Ex omnium consensu, leges civiles possunt esse et sunt aliquando bonæ vel malæ. *Ergo.* Non possunt esse supremum criterium moralitatis.

1. *In* 1 *Ethic.*, l. 3.
2. 1ª 2æ, q. 94, a. 4.

*Corollarium* 2^m. **Ergo non pendet ab opinione.** *Probatur.* 1° Opinio est mutabilis. *Atqui.* Judicium de moralitate saltem quarumdam actionum non est mutabile. *Ergo...* — 2° Opinio debet judicari et de facto judicatur bona vel mala per moralitatem. *Atqui.* Criterium alicujus rei non potest esse id quo illa indiget tanquam criterio. *Ergo.*

*Corollarium* 3^m. **Ergo non pendet a libera Dei voluntate.** *Probatur.* 1° Nititur sententia ista falso supposito : Supponit essentias rerum pendere a libera Dei voluntate. *Atqui.* Hoc falsum est, ut demonstratum est in Ontologia. *Ergo...* — 2° Plurium actionum moralitas immutabilis est, v. g. eleemosyna est bona, blasphemia mala. *Atqui.* Quod est immutabile a libera Dei voluntate non pendet, quia libera Dei voluntas aliter facere potuisset. *Ergo.* — 3° Istius sententiæ fundamentum est : præcipienti Deo obedire bonum est et resistere malum. *Ergo.* Saltem aliquid admittendum est tanquam bonum vel malum ante Dei præceptum. Unde S. Thomas : « Dicere quod ex simplici voluntate (Dei) dependeat justitia, est dicere quod divina voluntas non procedat secundum ordinem sapientiæ, quod est blasphemum[1]. »

## ARTICULUS IV

### *De facultate cognoscitiva moralitatis.*

**143. Errores.** I. Alii dicunt cognosci moralitatem a sensu corporali. Ita 1° *Sensistæ,* qui non admittunt nisi cognitionem sensitivam; 2° *Robinet* tenet eam cognosci ab organo corporali cujus sedes ignoratur : hic sensus sextus similis est gustui dulcis et amari, ejus vox prompta, facilis, infallibilis omnem actum rationis præcedit ; 3° *Phenologistæ,* inter suas localisationes, plures asserebant pertinere ad ordinem moralem.

II. Alii dicunt cognosci a quodam sensu spirituali. Sic 1° Schola Scotica, *Hutcheson, Thomas Reid* tenent illum sensum quo cognoscitur bonum et malum, facultatem esse diversam a ratione qua cognoscitur verum et falsum ; 2° *Jacobi,* Sentimentalismi parens, illum sensum consistere tenet in affectione intensa, quæ vel nos inducit ad aliqua prosequenda et alia vitanda, vel experitur satisfactionem in benefactis et remorsum in malefactis ; 3° *Smith,* in sympathia vel antipathia, quam experimur erga nonnullas actiones eorumque auctores.

De his jam agebatur in *Critica*[2], ideo pauca sunt adjungenda.

1. *Verit.,* q. 23, a. 6.
2. Card. Zigliara, Log. 63 ; Hugon, *Logica,* p. 359.

144. *Conclusio.* **Judicium de rebus moralibus pertinet ad intellectum, — et principaliter ad intellectum practicum.**

1ª *pars,* sc. pertinet ad intellectum, *probatur.* Judicium de rebus moralibus est quædam veritas, sc. veritas moralis. *Atqui.* Veritas est objectum proprium intellectus. *Ergo.*

2ª *pars,* sc. principaliter ad intellectum practicum, *probatur.* Licet enim in Ethica contineantur quædam propositiones speculativæ, v. g. furtum est malum, attamen, cum Ethica sit scientia practica, principaliter pertinet ad intellectum practicum.

Aliunde intellectus practicus non est quid diversum a speculativo : Non enim diversificatur potentia per differentiam accidentalem objecti. *Atqui.* Objectum intellectus speculativi et objectum practici non differunt nisi accidentaliter : accidit enim alicui apprehenso per intellectum quod ordinetur ad opus vel non ordinetur. *Ergo.* Intellectus practicus non differt realiter a speculativo.

*Corollarium* 1m. **Non pertinet ad sensum corporalem.** *Probatur.* 1° Universale et abstractum cognoscitur solum ab intellectu et non a sensu. *Atqui.* Sunt veritates morales universales et abstractæ. *Ergo...* 2° Ordinare non pertinet ad sensum, sed solum ad intellectum. *Atqui.* Judicium de moralitate includit comparationem : fertur enim circa relationem convenientiae. *Ergo.*

*Corollarium* 2m. **Non pertinet ad sensum spiritualem.** Præfata enim systemata exclusa sunt in Critica[1] et exaggerato subjectivismo laborant.

*Scholion.* **Schema eorum quæ ad cognitionem moralitatis concurrunt.** In omni cognitione, tria considerari debent : *facultas, habitus* et *actus.*

In cognitione moralitatis :

I. *Facultas* est *ratio practica.*

II. *Habitus* sunt tres : 1° *synderesis,* seu habitus primorum principiorum ordinis practici, qui est naturalis ; 2° *scientia moralis,* seu Ethica, quæ versatur circa conclusiones generales et est acquisita ; 3° *prudentia,* quæ versatur circa operationes hic et nunc operabiles.

III. *Actus* sunt tres etiam, sc. 1° *judicium speculativum :* Furtum est malum ; 2° *judicium speculativo-practicum,* quod est practicum quidem, sed in universali : Furtum est vitandum ; 3° *judicium practico-practicum,* seu in individuo : hic actus est vitandus ; vocatur conscientia et est actus prudentiæ.

1. Cf. Zigliara, *Summa Philos.*, t. I, l. 63 ; Hugon, *loc. cit.*

## ARTICULUS V

### *Vera regula moralitatis.*

145. Agitur hic de moralitate, non de obligatione. Quæritur enim undenam actus humani dignoscantur boni vel mali, non unde sint obligatorii vel non obligatorii. Equidem utraque quæstio intime connectitur et ex utraque simul resultat id quod dicunt moderni *Problema Morale* (*il problema morale*) seu quæstio quæ est fundamentum totius Ethicæ; sedulo tamen distinguenda est utraque difficultas et ex propriis principiis solvenda. Quæstionis de moralitate proprius est hic locus; quæstio de obligatione tractabitur in capite VII, de Legibus.

Modernorum errores, qui sunt plurimi, exponentur in art. seq.; hic agitur de vera norma moralitatis. Quoad rem concordant omnes Catholici, docentes duplicem esse regulam moralitatis : unam immanentem, in ipso homine; alteram transcendentem, ex parte Dei. Quoad modum tamen loquendi non parum discrepant. S. Thomas pluries sic exprimit suam doctrinam : « Regula voluntatis humanæ est duplex : una propinqua et homogenea, sc. ipsa humana ratio; alia vero est prima regula, sc. lex æterna, quæ est quasi ratio Dei. » 1ª 2æ, q. 71, a. 6. Cf. q. 19, a. 3 et 4; q. 21, a. 1; q. 63, a. 2; q. 72, a. 4 et 8; q. 74, a. 7; q. 86, a. 1 et 2 et *passim*. Quod vero dicitur a S. Thoma : Regula proxima est *ratio hominis* seu ut sæpius ait, *ratio recta,* alii dicunt : est *conscientia* (S. Alphonsus et multi casuistæ); alii, est *natura humana* (multi apud recentiores); alii, *finis ultimus;* alii, *ordo essentialis rerum* (Liberatore); alii, *voluntas divina*. Augeturque periculum confusionis pro tyronibus ex eo quod nulla ex citatis formulis est simpliciter falsa, sed unaquæque opinio, dum insistit in partiali veritate quam continet, non satis attendit ad id quod est essentiale in hac materia. Ideo, ut in tanta obscuritate caute procedamus, primo per duas propositiones exponemus doctrinam S. Thomæ; deinde per plura quæsita investigabimus quid veri contineatur in aliis formulis. De divina voluntate agetur n. 188.

*Conclusio* 1ª. **Regula proxima moralitatis est ratio humana,** id est dictamen rationis rectæ.

146. *Probatur.* 1° *Ex eo quod ratio est primum principium actuum humanorum* (1ª 2æ, q. 90, a. 1). In unoquoque genere id quod est principium, est mensura et regula illius generis : sicut unitas in genere numeri et motus primus in genere motuum. *Atqui.* Ratio est principium primum actuum humanorum : rationis enim est ordinare ad

finem, qui est primum principium in agendis. *Ergo.* Regula et mensura humanorum actuum est ratio.

2° *Ex eo quod actus humani a ratione accipiunt suam formam* (1ª 2æ, q. 18, a. 5). « Unicuique rei est bonum quod convenit ei secundum suam formam, et malum quod est ei præter ordinem suæ formæ. » *Atqui.* Forma actus humani est quod sit a ratione : « Dicuntur aliqui actus humani vel morales secundum quod sunt a ratione. » *Ergo.* « In actibus humanis bonum et malum dicitur per comparationem ad rationem, quia, ut Dionysius dicit[1], bonum hominis est secundum rationem esse, malum autem quod est præter rationem. »

*Probatur minor.* Actus humanus procedit immediate a voluntate et mediate a ratione (n. 119). *Atqui.* Actus procedit *materialiter* ab illa potentia a qua est elicitive et immediate, et *formaliter* a potentia superiori (n. 110). *Ergo.* In actu humano, quod se tenet ex parte voluntatis est materia, et quod se tenet ex parte rationis est forma actus. Et quia unumquodque ponitur in specie per suam formam, actus humanus habet speciem a ratione tanquam a propria forma[2]. Unde species in actibus moralibus desumitur per respectum ad rationem. « Dicitur malus actus, quia habet objectum *non conveniens rationi* », et « actus conjugalis et adulterium, *secundum quod comparantur ad rationem,* differunt specie[3] ».

Eamdem rationem sub forma parum diversa tradit etiam S. Thomas (*Malo*, q. 2, a. 4) : Bonum et malum in actibus humanis est accipiendum secundum id quod est proprium hominis agentis in quantum est homo. *Atqui.* Hoc est ratio. *Ergo.* Bonum et malum in actibus humanis consideratur secundum quo actus concordat rationi. Unde Dionysius[4] ait quod animæ malum est præter rationem esse, corpori præter naturam.

147. 3° *Ex eo quod objectum voluntatis regulatur per regulam rationis* (1ª 2æ, q. 19, a. 3). Actus voluntatis est bonus vel malus secundum quod habet objectum bonum vel malum. *Atqui.* Objectum voluntatis proponitur ei per rationem. *Ergo.* Bonitas actus voluntatis dependet a ratione, eo modo quo dependet ab objecto.

*Probatur major.* Specificantur actus ex objecto. *Atqui.* Bonum et malum sunt differentiæ specificæ actus humani. *Ergo.* Actus humanus est bonus vel malus ex objecto.

*Probatur minor,* nam bonum intellectum est objectum voluntatis

1. *De div. Nom.*, c. 4.
2. Cf. 1ª 2æ, q. 88, a. 6 : « Quia a ratione deliberata habet speciem moralis actus. »
3. 1ª 2æ, q. 18, a. 5, ad 2 et 3.
4. *Loc. cit.*

proportionatum ei, bonum autem sensibile vel imaginarium non est proportionatum voluntati sed appetitui sensitivo : quia voluntas potest tendere in bonum universale quod ratio apprehendit, appetitus autem sensitivus non tendit nisi in bonum particulare quod apprehendit vis sensitiva.

*Contra minorem ejusque probationem dices :* Ex hoc sequitur requiri quidem rationem tanquam conditionem sine qua non, scilicet ut proponatur bonum voluntati; non tamen sequitur requiri rationem ut regulam boni moralis.

*Respondeo.* Ratio non solum præsentat objectum voluntati, sed præsentat objectum regulatum, seu objectum morale. Sicut enim actus liber necessario dicit ordinem transcendentalem ad regulam morum (n. 115), ita objectum actus liberi necessario dicit eumdem ordinem transcendentalem, in quo consistit moralitas. Ideo ratio voluntati præsentat non solum objectum physicum, sed necessario præsentat objectum moraliter sumptum, et sub hoc respectu ratio dicitur regula moralitatis.

Duplex igitur distinguenda est moralitas : moralitas *actus,* quæ est proprietas actus humani, et de qua hucusque fere exclusive tractavimus; et moralitas *objecti,* quæ est proprietas objecti moraliter considerati. Moralitas non dicitur univoce de actu et de objecto; sed de actu dicitur *formaliter,* de objecto *analogice,* sicut sanum dicitur formaliter de animali sano et analogice de medicina sana, quatenus sc. causat sanitatem.

*Instabis, Atqui.* Impossibile videtur quod ratio sit regula boni moralis, — sive *a*) bonum morale intelligatur de bonitate objecti : nam bonum ut bonum, id est ut appetibile, est objectum voluntatis et non rationis. *Ergo,* non pendet a ratione tanquam a propria regula; — sive *b*) intelligatur de bonitate actus : nam cum bonum in regulato et mensurato sit ex hoc quod conformatur regulæ et mensuræ[1], quæri potest quomodo actus voluntatis conformitatem habeat cum actu rationis : utriusque enim actus longe diversus est processus, « mensura autem proxima est homogenea mensurato[2] ».

*Respondeo. Ad primum, distinguo antecedens :* Bonum, ut appetibile, est objectum voluntatis, *concedo;* voluntatis solius et independenter a quocumque alio, *nego.* Nam voluntas non potest appetere bonum nisi præsentatum a ratione, quæ apprehendit illud ut verum; unde bonum a ratione apprehensum sub ratione veri est objectum rationis.

1. *Malo,* q. 1, a. 3.
2. 1ª 2æ, q. 19, a. 4, ad 2.

« Bonum sub ratione boni, id est appetibilis, per prius pertinet ad voluntatem quam ad rationem. Sed tamen per prius pertinet ad rationem sub ratione veri, quam ad voluntatem sub ratione appetibilis : quia appetitus voluntatis non potest esse de bono nisi prius a ratione apprehendatur[1]. » Quatenus igitur ratio sub ratione veri apprehendit bonum quod præsentat voluntati, eo ipso regulat bonitatem objecti. Illud igitur objectum est bonum quod se conformat rationi rectæ, illud est malum quod habet repugnantiam cum ratione recta ; ideo ratio recta est regula proxima moralitatis. — *Ad secundum,* conformitatem unius actus ad alterum attendi ex parte objecti, quatenus voluntas eo modo se habet ad objectum, quomodo idem objectum apprehenditur a ratione. Porro « intellectus in judicando habet duos actus, scilicet affirmationem qua assentit vero et negationem qua dissentit a falso. Quibus duobus respondent duo proportionaliter in vi appetitiva, scilicet prosecutio, qua appetitus tendit in bonum et inhæret ei, et fuga, qua recedit a malo et dissentit ei. Et secundum hoc intellectus et appetitus possunt conformari, in quantum id quod intellectus affirmat bonum, appetitus prosequitur, et id quod intellectus negat esse bonum, appetitus fugit[2] ». « Et ideo omnis motus appetitionis conformiter se habens intellectui vero est secundum se bonus ; omnis autem motus appetitionis conformiter se habens intellectui falso est secundum se malus et peccatum[3]. » Cf. dicenda n. 167.

148. 4° *Ex differentia inter naturam rationalem et naturam irrationalem* (1ª 2æ, q. 91, a. 2). Participat rationalis creatura divinam Providentiam, non solum secundum gubernari, sed etiam secundum gubernare. *Atqui.* Gubernare est ordinare secundum regulam in gubernante præexistentem. *Ergo.* Homini debuit inseri regula qua actus suos ordinare posset. *Subsumo, Atqui.* Hæc regula est ratio, quæ derivatur a lege æterna tanquam propria ejus imago. *Ergo.* Humana ratio est regula actuum humanorum.

*Probatur minor subsumpta.* Ratio enim gubernationis in Deo est lex æterna vel Providentia, quæ est actus intellectus : unde Providentiæ participatio in homine habetur per rationem.

149. *Conclusio* 2ª. **Regula suprema moralitatis est lex æterna, quæ est quasi ratio Dei.**

Cum ratio sit regula proxima moralitatis, dicunt quidam Deum esse regulam remotam. Melius a S. Thoma dicitur prima vel suprema : influxus enim Dei non potest dici remotus, licet sit ordinis superioris.

1. 1ª 2æ, q. 19, a. 3, ad 1.
2. *In* 6 *Ethic.*, l. 2.
3. 2ª 2æ, q. 20, a. 1.

Quid sit lex æterna, exponetur in tractatu *de Legibus*. Interim, hic per legem æternam intenditur ratio gubernationis universi in mente divina præexistens, præcipue circa ordinem essentialem rerum, id est circa ordinem quem variæ essentiæ habent inter se.

*Probatur*. 1° In omnibus causis ordinatis plus dependet effectus a causa prima quam a causa secunda, quia causa secunda non agit nisi in virtute primæ. *Atqui*. Quod ratio humana sit regula moralitatis, hoc habet tanquam causa secunda a lege æterna. *Ergo*. Magis dependet moralitas a lege æterna quam a ratione humana.

*Probatur minor*. Ratio humana est vera vel falsa secundum quod veritati conformis est vel non, quia ratio nostra est quidem cognoscitiva sed non factiva veritatis. *Atqui*. Omnis veritatis mensura est ratio Dei, quia ratio divina est factiva veritatis. *Ergo*. (1ª 2æ, q. 19, a. 4.)

2° Actio humana dicitur bona vel mala secundum quod convenit vel disconvenit in ordine ad finem ultimum. *Atqui*. Uniuscujusque rei finis ultimus est qui intenditur ab Auctore naturæ, sc. a Deo (n. 54, *coroll.* 1). *Ergo*. Ordinatio suprema actionum humanarum ad bonum est a Deo. *Subsumo, Atqui*. Ordinare est actus intellectus. *Ergo*. Ordinatio suprema actionum humanarum procedit ab intellectu Dei.

*Major* resultat ex dictis n. 10, ubi asserebatur Ethicæ scopum esse dirigere activitatem humanam in finem ultimum, et insuper demonstrabitur infra *quær.* 4 (n. 158).

3° *Ex doctrina S. Thomæ circa universalem extensionem divinæ Providentiæ* (1, q. 22, a. 2). Tantum se extendit ordinatio effectuum in finem, quantum se extendit causalitas agentis : quia omne agens agit propter finem. *Atqui*. Causalitas primi agentis, scilicet Dei, se extendit ad omnia entia. *Ergo*. Omnia quæ quocumque modo habent esse, necesse est ordinata esse a Deo ad finem, unde etiam ordinatio secundum quam attenditur moralitas, est a Deo.

*Confirmatur*. Ex prop. 3 damnata in *Syllabo :* « Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter[1]. »

*Corollarium*. Duplex igitur est regula moralitatis, sed cum subordinatione[2] : ratio humana est regula quidem, sed regula regulata, lex æterna est regula semper regulans.

1. Denzinger, n. 1703.
2. 1ª 2æ, q. 19, a. 4, ad 1.

### Quæres 1°. An per rationem quæ est regula proxima, intelligi debeat conscientia.

150. *Respondeo.* Conscientia est regula moralitatis, ut dicemus n° 339, sed regula moralitatis *subjectivæ;* hic vero agimus de regula moralitatis *objectivæ.*

**Moralitas objectiva et moralitas subjectiva.** Moralitas *objectiva* attenditur quoad se, per respectum ad rectam rationem et legem æternam, independenter a judicio practico uniuscujusque agentis. Moralitas *subjectiva* attenditur per respectum ad judicium practicum in concreto et determinat id quod agenti bonum est in hoc casu, licet forte non sit vere in se bonum. Sic furtum est malum objective, quia repugnat rationi rectæ et legi æternæ; apud Germanos vero de quibus loquitur Julius Cæsar, qui reputabant illud licitum, furtum non erat malum subjective.

**Moralitas materialis et moralitas formalis.** Præcedenti affinis est hæc distinctio. Moralitas *materialis* est involuntaria ac consequenter non imputabilis: moralitas *formalis* est voluntaria et imputabilis. Sic blasphemans in ebrietate per se non committit peccatum formale, sed solum peccatum materiale. Item si quis ex ignorantia invincibili existimet se teneri ad mentiendum ut salvetur vita proximi, illud mendacium erit formaliter et subjective bonum, licet materialiter et objective malum.

151. **Quid sit ratio recta.** Ex dictis manifestatur amplius quid sit *ratio recta.* Nam « corrupta ratio non est ratio, sicut falsus syllogismus proprie non est syllogismus; et ideo regula humanorum actuum non est ratio quælibet, sed ratio recta[1] ». Conscientia potest esse erronea, recta ratio non potest, et dicitur recta quia habet conformitatem ad legem æternam a qua profluit tanquam a fonte et regula omnis boni, sicut metrum quo utuntur mercatores est mensura vera propter conformitatem quam habet ad prototypum metri.

*Dices.* Metrum mercatorum rectum dignoscitur ex applicatione ad prototypum metri, nos vero non cognoscimus legem Dei æternam et quomodo possumus illi comparare rationem nostram? — *Respondeo :* « Licet lex æterna sit nobis ignota secundum quod est in mente divina, innotescit tamen nobis aliqualiter vel per rationem naturalem, quæ ab ea derivatur ut propria ejus imago, vel per aliqualem revelationem superadditam[2]. »

1. 2, d. 24, q. 3, a. 3, ad 3.
2. 1ª 2æ, q. 19, a. 4, ad 3.

Ut intelligatur quomodo dictamen rationis regulans appetitum sit rectum per derivationem a lege æterna, notandum quod duplex est appetitus : appetitus *finis* et appetitus *eorum quæ sunt ad finem :* « Ad hoc quod electio sit bona, duo requiruntur. Primo, ut sit debita intentio finis... Secundo, ut homo recte accipiat ea quæ sunt ad finem[1]. »

Uterque appetitus regulatur a dictamine rationis rectæ, sed diversimode.

Appetitus *finis* rectificatur per virtutem moralem; nam « debita intentio finis fit per virtutem moralem quæ vim appetitivam inclinat ad bonum conveniens rationi, quod est finis debitus[2] ». Sed hoc præsupponit dictamen rationis a quo dependet; nam « ratio secundum quod est apprehensiva finis præcedit appetitum finis[3] », unde « necesse est quod fines moralium virtutum præexistant in ratione[4] ». Et quidem in ratione recta, nam « nullo modo potest dici ratio recta, si sit defectus cujuscumque principii. Sicut si quis erraret circa hoc principium, *Omne totum est majus sua parte,* non posset habere scientiam geometricam, quia oporteret multum recedere a veritate in sequentibus[5] ». — Porro dictamen rationis practicæ circa principia est rectum *naturaliter.* « Per intellectum cognoscuntur principia naturaliter nota, tam in speculativis, quam in operativis[6]. » « Circa principia universalia agibilium homo recte se habet per naturalem intellectum principiorum, per quem homo cognoscit quod nullum malum est agendum[7]. » Et sicut in ordine speculativo principia per se nota, v. g. *totum est majus sua parte,* naturaliter cognoscuntur, apprehensis terminis; ita in ordine practico sunt etiam quædam principia naturaliter cognita, v. g. *bonum est faciendum.* Sed ratio practica pro principiis habet fines (n. 34). Ideo sicut intellectus principiorum speculativorum est naturaliter rectus, ita intellectus principiorum practicorum, id est finium : « Hic finis præstitutus est homini secundum naturalem rationem : naturalis enim ratio dictat unicuique ut secundum rationem operetur[8]. » Unde dictamen istud practicum, cum sit naturaliter rectum, est rectum sicut et natura, id est tanquam immediata participatio legis æternæ.

Appetitus vero *eorum quæ sunt ad finem* rectificatur per pruden-

1. 1ª 2æ, q. 58, a. 4.
2. *Ibid.*
3. 1ª 2æ, q. 58, a. 5, ad 1.
4. 2ª 2æ, q. 47, a. 6.
5. 1ª 2æ, q. 65, a. 1, ad 4.
6. 1ª 2æ, q. 58, a. 4.
7. 1ª 2æ, q. 58, a. 5.
8. 2ª 2æ, q. 47, a. 7.

tiam. « Prudentia est recta ratio agibilium, quæ sicut ex principiis procedit ex finibus agibilium, ad quos aliquis recte se habet per virtutes morales[1]. » Nam « appetitus finis præcedit rationem ratiocinantem ad eligendum ea quæ sunt ad finem,... sicut etiam in speculativis intellectus principiorum est principium rationis syllogizantis[2] ». — Et sicut in ordine speculativo ratio procedens ex principiis veris per discursum rectum devenit infallibiliter et necessario ad veritatem objectivam universalem, v. g. anima humana est immortalis; ita in ordine practico ratio recte syllogizans ex fine recto, infallibiliter et necessario devenit ad veritatem moralem objectivam et universalem, v. g. furtum est malum. Et sic declaratur quomodo, licet dictamen conscientiæ, quæ fallibilis est, non sit nisi regula moralitatis subjectivæ, dictamen rationis rectæ est regula infallibilis moralitatis objectivæ et universalis. Nam, sicut in ordine speculativo, ratio concludens *Anima humana est immortalis,* est recta per conformitatem ad rationem divinam, exemplar omnis veri; ita in ordine practico, ratio concludens *Furtum est malum,* est recta per continuationem ad legem æternam, quæ est suprema regula moralitatis.

Quæ omnia compendiose exprimit S. Thomas : « In his quæ sunt ad finem, rectitudo rationis consistit in conformitate ad appetitum finis debiti. Sed tamen ipse appetitus finis debiti præsupponit rectam apprehensionem de fine, quæ est per rationem[3]. »

Et sic satisfit difficultatibus modernorum asseclarum Positivismi moralis, qui variabile conscientiæ dictamen solummodo considerantes, renuunt admittere ullam moralitatem absolutam, tenentque moralitatem esse variabilem pro variis locis et temporibus.

152. **Corollarium.** Simpliciter falsum est quod asserit *Frins*[4] : « Bonum igitur et malum morale, secundum S. Thomam, invenitur in rebus — objective sc. et primordialiter — ante dictamen rationis et independenter ab eo. » Et citat *Malo*, q. 2, a. 3, ubi tamen nihil tale invenitur, sed solummodo quod actus exterior, si consideratur ut objectum voluntatis, habet moralitatem *primordialiter* ad actum voluntatis, quia actus voluntatis accipit suam bonitatem vel malitiam ab objecto. Econtrario semper asserit S. Thomas bonum morale esse bonum rationis.

Sed, ut cesset omnis dubitatio, sit sequens conclusio.

*Conclusio.* **Apud S. Thomam, bonum morale essentialiter importat respectum ad rationem, tanquam ad suam propriam regulam.**

1. 1ª 2æ, q. 58, a. 4.

2. 1ª 2æ, q. 58, a. 5, ad 1.

3. 1ª 2æ, q. 19, a. 3. Ea est præclara illa doctrina de habitudine prudentiæ ad virtutes morales, quam fuse exponit S. Thomas, locis hic citatis.

4. *De actib. hum.*, t. II, n. 74.

*Declaratur*. Vera est conclusio etiam de bono morali actus humani ut constat ex dictis n. 146 et ss.; sed præcipue intenditur hic de bono morali objective, in sensu arguentis.

*Probatur* ex terminologia S. Thomæ, apud quem bonum morale constanter dicitur *bonum rationis,* vel *ordo rationis,* vel *quod est secundum rationem,* vel *quod convenit, quod concordat rationi;* malum morale est *quod repugnat rationi* vel *ordini rationis*. Quibus adde omnia loca ubi expresse loquitur de *regula rationis*. Ex infinitis testimoniis quæ citari possent, quædam referemus desumpta ex variis tractatibus moralibus in *Prima Secundæ :*

Ex tractatu de Moralitate. 1ª 2æ, q. 18, a. 5, ad 1 : « Bonum *in quantum est secundum rationem,* et malum *in quantum est præter rationem* diversificant speciem moris » ; ad 2 : « Dicitur malus actus, quia habet *objectum non conveniens rationi* » (objectum malum); ad 3 : « actus conjugalis et adulterium, *secundum quod comparantur ad rationem,* differunt specie » ; ad 4 : « Circumstantia, quandoque sumitur *secundum quod ad rationem comparatur,* et tunc potest dare speciem actui morali. » — Art. 8 : « Actus omnis habet speciem ab objecto, et actus humanus qui dicitur moralis habet speciem ab objecto relato ad principium actuum humanorum, quod est ratio. Unde, *si objectum actus includat aliquid quod conveniat ordini rationis,* erit actus bonus secundum suam speciem : sicut dare eleemosynam indigenti. Si autem includat aliquid *quod repugnet ordini rationis,* erit malus actus secundum speciem : sicut furari, quod est tollere aliena. Contingit autem quod *objectum actus non includit aliquid pertinens ad ordinem rationis,* sicut levare festucam de terra, ire ad campum et hujusmodi; et tales actus secundum speciem sunt indifferentes. » Ad 2 : « Omne objectum vel finis habet aliquam bonitatem vel malitiam, saltem naturalem (*bonum physicum*). Non tamen semper importat bonitatem vel malitiam moralem, quæ consideratur *per comparationem ad rationem.* » — Art. 10 : « Quandocumque aliqua circumstantia respicit *specialem ordinem rationis* vel pro, vel contra, oportet quod circumstantia det speciem actui morali vel bono, vel malo. » Ad 3 : « Non omnis circumstantia constituit actum moralem in aliqua specie boni vel mali, cum non quælibet circumstantia importet *aliquam consonantiam vel dissonantiam ad rationem.* » — Art. 11 : « Circumstantia dat speciem boni vel mali actui morali, *in quantum respicit specialem ordinem rationis.* » — Qu. 19, a. 1, ad 3 : « Bonum per rationem repræsentatur voluntati ut objectum, et, *in quantum cadit sub ordine rationis,* pertinet ad genus moris et causat bonitatem moralem in actu voluntatis. »

Ex tractatu de Virtutibus. 1ª 2æ, q. 55, a. 4, ad 2 : « Bonum quod ponitur in definitione virtutis, non est bonum commune quod convertitur cum ente (*bonum physicum*), sed est bonum rationis (*bonum morale*). » Qu. 58, a. 4 : Virtus moralis « vim appetitivam inclinat ad bonum conveniens rationi (*ad bonum morale*) ». — Qu. 59, a. 4 : « Virtus moralis perficit appetitivam partem animæ ordinando ipsam in bonum rationis (*in bonum morale*). Est autem rationis bonum id quod est secundum rationem moderatum seu ordinatum. Unde circa omne id quod contingit ratione ordinari et moderari contingit esse virtutem moralem. » — Qu. 61, a. 1 : « Principium formale virtutis, de qua nunc loquimur, est rationis bonum (*bonum morale*). » — Qu. 63, a. 2 : « Oportet quod bonum hominis (*bonum morale*) secundum aliquam regulam consideretur. Quæ quidem est duplex, sc. *ratio humana* et lex divina. Virtus igitur hominis ordinata ad bonum quod modificatur *secundum regulam rationis humanæ,* potest ex actibus humanis causari, in quantum hujusmodi actus procedunt a ratione, sub cujus potestate et *regula* tale bonum consistit. » Art. 4 : « Cujus quidem objecti (*agitur de bono morali*) formalis ratio est *a ratione*. Manifestum est autem quod alterius rationis est modus qui imponitur *secundum regulam rationis humanæ* et secundum regulam divinam. » — Qu. 64, a. 1 : « Mensura et regula appetitivi motus circa appetibilia est *ipsa ratio*. Bonum autem cujuslibet mensurati et regulati consistit in hoc quod conformetur suæ regulæ; malum autem per consequens in hujusmodi est per hoc quod aliquid discordat a sua regula vel mensura. Et ideo patet quod bonum virtutis (*bonum morale*) consistit in adæquatione *ad mensuram rationis*. » Ad 1 : « Virtus moralis bonitatem habet *ex regula rationis*. » Ad 2 : « In hoc maximum tendunt hujusmodi virtutes *secundum regulam rationis*. » — Qu. 67, a. 1 : « Formale in omnibus virtutibus est *ipse ordo rationis*. »

Ex tractatu de Peccatis. 1ª 2æ, q. 72, a. 4 : « Triplex autem ordo in homine debet esse. Unus quidem secundum comparationem *ad regulam rationis,* prout sc. omnes actiones et passiones nostræ debent *secundum regulam rationis* commensurari. » Art. 8 : « Cum in peccato sint duo, sc. ipse actus et inordinatio ejus, *prout receditur ab ordine rationis* et legis divinæ... » — Qu. 73, a. 1 : « Cujuslibet agentis secundum virtutem est ut *ipsius rationis regulam* sequatur. » Art. 2 : « Similiter dicendum est de peccatis. Sic in eis privatur *debita commensuratio rationis* ut, non totaliter *ordo rationis* tollatur. » Art. 3 : « Sicut bonum sanitatis consistit in quadam commensuratione humorum per convenientiam ad naturam animalis, ita bonum virtutis

(*bonum morale*) consistit in quadam commensuratione actus *ad regulam rationis*. » Art. 7, ad 3 : « Ratio debet ordinare actum non solum quantum ad objectum, sed etiam quantum ad omnes circumstantias. Et ideo aversio quædam *a regula rationis* attenditur secundum corruptionem cujuslibet circumstantiæ. » — Qu. 74, a. 7 : « Manifestum est quod actus humani regulari possunt *ex regula rationis humanæ*, quæ sumitur ex rebus creatis quas naturaliter homo cognoscit; et ulterius, ex regula legis divinæ. » — Qu. 75, a. 1 : « Voluntas carens directione *regulæ rationis* et legis divinæ, intendens aliquod bonum commutabile, causat actum quidem peccati per se, sed inordinationem actus per accidens »; et ad 1 : « Voluntas sine adhibitione *regulæ rationis* vel legis divinæ, est causa peccati. » Art. 2 : « Quia causa peccati est aliquod bonum apparens motivum cum defectu debiti motivi, *sc. regulæ rationis* vel legis divinæ, ipsa absentia debitæ regulæ pertinet ad rationem, quæ nata est hujusmodi regulam considerare... »

Ex tractatu de Legibus. 1ª 2æ, q. 91, a. 3, ad 2 : « Ratio humana secundum se non est regula rerum. Sed principia ei naturaliter indita sunt regulæ quædam generales et mensuræ omnium quæ sunt per hominem agenda, *quorum ratio naturalis est regula et mensura*, licet non sit mensura eorum quæ sunt a natura. » Ratio enim humana non est mensura boni physici. — Qu. 94, a. 4, ad 3 : « Sicut ratio in homine dominatur et imperat aliis potentiis, ita oportet quod omnes inclinationes naturales ad alias potentias pertinentes ordinentur *secundum rationem*. » — Qu. 95, a. 2 : « In rebus humanis dicitur esse aliquid justum ex eo quod est rectum *secundum regulam rationis*. »

Similia habentur in *Secunda Secundæ* et in reliquis operibus moralibus S. Thomæ.

Ea tamen omnia non advertebat *Frins*, qui audet asserere : « Bonum et malum morale, secundum S. Thomam, invenitur in rebus — objective sc. et primordialiter — ante dictamen rationis et independenter ab eo. » Nescivit distinguere inter dictamen rationis rectæ et dictamen conscientiæ.

153. Eorum quæ hucusque de duplici regula moralitatis declarata sunt, syntheticam expositionem tradit S. Thomas, *Malo*, q. 16, a. 2 : « Sciendum est ergo quod appetitus nihil est aliud quam inclinatio quædam in appetibile. Et sicut appetitus naturalis consequitur formam naturalem, ita et appetitus sensitivus, vel rationalis sive intellectivus sequitur formam apprehensam : non enim est nisi boni apprehensi per sensum vel intellectum. Non ergo potest malum in appetitu accidere ex hoc quod discordet ab apprehensione quam sequitur, sed ex eo quod discordat ab aliqua regula.

» Et ideo considerandum est utrum illa apprehensio quam sequitur inclinatio hujus appetitus, sit dirigibilis aliqua superiori regula.

» I. Si non habeat superiorem regulam qua dirigi debeat, tunc impossibile est quod sit malum in tali appetitu. Et hoc quidem contingit in duobus :

» *a*) Apprehensio enim bruti animalis non habet superiorem regulam qua dirigi debeat. Et ideo in ejus appetitu non potest esse malum : bonum enim est quod moveatur hujusmodi animal ad concupiscentiam vel iram secundum formam sensibilem apprehensam. Unde Dionysius dicit quod bonum canis est esse furibundum.

» *b*) Similiter etiam intellectus divinus non habet superiorem regulam qua dirigi possit. Ideo in appetitu ejus seu voluntate non potest esse malum.

» II. In homine autem est duplex apprehensio a superiori regula dirigenda : nam cognitio sensitiva debet dirigi per rationem, et cognitio rationis per sapientiam seu legem divinam. Dupliciter ergo potest esse malum in appetitu hominis. Uno modo, quia apprehensio sensitiva non regulatur secundum rationem : et secundum hoc Dionysius dicit quod malum hominis est præter rationem esse. Alio modo, quia ratio humana est dirigenda secundum sapientiam et legem divinam : et secundum hoc Ambrosius dicit quod peccatum est transgressio legis divinæ.

» III. In substantiis autem a corpore separatis est una cognitio, scilicet intellectualis, dirigenda secundum regulam sapientiæ divinæ. Et ideo in voluntate earum potest esse malum ex hoc quod non sequitur ordinem superioris regulæ, scilicet sapientiæ divinæ. Et per hunc modum dæmones facti sunt voluntate mali. »

*Nota* symetriam a S. Thoma positam : Regula proxima est ratio hominis, regula suprema est ratio Dei, et sic intelligitur quomodo ratio hominis regulat ex eo quod est propria participatio rationis divinæ.

### Quæres 2°. An dicendum sit regulam moralitatis esse naturam humanam?

154. Formulæ Thomisticæ : regula proxima est *ratio humana,* existimaverunt plures substituendam esse formulam : *natura humana*. Ita ex recentioribus *Schiffini, Cathrein* et multi alii. Aliquando dicitur *natura rationalis ut talis,* aliquando *natura humana complete spectata*[1]. Quæritur an formula S. Thomæ cedere debeat istis recentioribus formulis?

1. Id doceri debet in Scholis S. J. ex ordinatione R. P. Petri Beckx, Præp. Gen., 11 mai 1858, *De triennali philosophiæ studio.*

*Respondeo.* Aliud est mensura, aliud mensuræ fundamentum. Sic v. g., liquida mensurantur litro et gravia chilogrammate, et non metro, et tamen metrum est principium ex quo desumitur litrum, imo fundamentum totius systematis metrici. Ideo juxta hunc duplicem sensum quærere debemus : 1° Utrum natura humana sit regula proxima et formalis? 2° Utrum sit regula fundamentalis et remota?

155. I. De regula proxima et formali. *Conclusio.* **Natura humana non est regula proxima boni moralis.**

Ita *S. Thomas,* qui non solum docet veram regulam moralitatis esse rationem, ut exposuimus n° 146 et ss., sed expresse asserit naturam non esse regulam morum. Imo S. Thomas in hoc constituit differentiam inter operationes naturæ et operationes voluntatis (*inter bonum physicum et bonum morale*) quod natura regulatur a seipsa et voluntas ab alia regula. 1ª 2æ, q. 21, a. 1 : « Debita regula in his quæ secundum naturam agunt est ipsa virtus naturæ, quæ inclinat in talem finem... In his vero quæ aguntur per voluntatem, regula proxima est ratio humana... » *Malo,* q. 2, a. 4 : « In rebus naturalibus actus bonus est qui est secundum convenientiam naturæ agentis... Loquimur autem nunc de actibus humanis... bonum et malum in actibus humanis consideratur secundum quod actus concordat rationi informatæ lege divina. Unde Dionysius ait quod animæ malum est præter rationem esse, corpori præter naturam. » 1ª 2æ, q. 77, a. 3 : « Sicut partes corporis dicuntur esse inordinatæ quando non sequuntur ordinem naturæ, ita et partes animæ dicuntur esse inordinatæ quando non subduntur ordini rationis. » Unde *Ver.,* q. 22, a. 1, ad 9 : « Natura non dirigit in finem, sed dirigitur. » — Eadem habet S. Thomas de operibus artis. *Malo,* q. 2, a. 1 : « Mensura vel regula debita operationibus, in naturalibus quidem est ipsa naturæ inclinatio sequens aliquam formam, in artificialibus vero est ipsa regula artis. »

Ex quibus concludimus : *Omne bonum dicitur secundum aliquam regulam :* « Unumquodque rectum et bonum est, in quantum attingit ad propriam regulam[1]. » *Sed* : 1° *Bonum physicum est secundum regulam naturæ :* « Bonum in unoquoque consideratur secundum conditionem suæ naturæ[2]. » 2° *Bonum morale est secundum regulam rationis :* « Bonum enim vel malum hominis est secundum rationem[3]. » 3° *Bonum artis est secundum regulam artis :* « Bonum in artificiatis est ut sequantur regulam artis[4]. »

1. 1ª 2æ, q. 19, a. 9.
2. 1ª 2æ, q. 59, a. 5, ad 3.
3. 1ª 2æ, q. 59, a. 1.
4. 1ª 2æ, q. 64, a. 1.

*Probatur conclusio* exponendo rationem a S. Thoma indicatam, locis modo citatis : Natura est regula proxima boni physici. *Atqui*. Impossibile est quod una et eadem sit regula proxima boni physici et boni moralis. *Ergo*. Impossibile est quod natura sit regula proxima boni moralis.

*Majorem* admittunt omnes.

*Probatur minor*. « Mensura proxima est homogenea mensurato[1]. » *Atqui*. Quæ sunt homogenea uni tertio, sunt homogenea inter se. *Ergo*. Quando duo mensurantur ab una mensura, sunt homogenea inter se ; quæ vero sunt heterogenea, mensurantur a diversis mensuris. Sic in dolio vini multiplex distingui potest quantitas mensuranda, v. g. quantitas *materialis,* quæ mensuratur litro ; quantitas *quoad vim alcoolicam,* quæ mensuratur alcoolimetro ; quantitas *valoris,* quæ mensuratur pecunia. Cum hæ diversæ quantitates sint heterogeneæ, non possunt unica mensura mensurari. Ita in actu humano duplex est bonitas regulanda : bonitas physica, quæ regulatur per regulam naturæ, et bonitas moralis, quæ regulari debet per aliam regulam. — Unde, ponere quod una et eadem sit regula proxima boni physici et boni moralis, est ponere boni physici et boni moralis homogeneitatem, id est identitatem, id est confusionem. Hoc est destruere universum ordinem moralem.

Istam quidem identitatem et confusionem admittunt *Frins* et *Cathrein,* sed solum quoad actus elicitos voluntatis bonos (de quo recole dicta n. 129 et 133), non vero quoad actus malos vel imperatos ; et fortasse ex hac exceptione existimant salvari existentiam ordinis moralis. — Sed contra. 1° *Quoad actus malos.* Si bonum morale et entitas physica (id est bonum physicum) actus sint una et eadem perfectio, non video quomodo privatio illius unicæ perfectionis non sit simul malum physicum et malum morale. Ergo eadem sequitur confusio inter malum physicum et malum morale. 2° *Quoad actus imperatos.* Quod est tale per se, est maxime tale. *Atqui.* Actus eliciti sunt morales per se et actus imperati sunt morales per accidens (n. 204). *Ergo.* Actus eliciti sunt morales maxime. Sed non video quare moralitas *per accidens* actus imperati debeat distingui ab entitate physica actus, quando ad istam distictionem non sufficit moralitas *per se* actus eliciti. Remanet igitur quod talis opinio sit totaliter destructiva ordinis moralis.

*Arguit Cathrein* 1° « ..... Ergo bonum morale est quodlibet bonum quod per se et ratione sui homini est appetibile. Porro quid homini hoc modo sit appetibile ex natura rationali qua tali dijudicandum est. Ergo hæc est norma proxima honestatis[2]. »

1. 1ª 2æ, q. 19, a. 4, ad 2. Cf. *in* 10 *Metaph.*, l. 2 : « Metrum, id est mensura, semper debet esse cognatum, scilicet ejusdem naturæ vel mensuræ cum mensurato : sicut mensura magnitudinum debet esse magnitudo ; et non sufficit quod conveniat in natura communi sicut omnes magnitudines conveniunt, sed oportet esse convenientiam mensuræ ad mensuratum in natura speciali secundum unumquodque, sic quod longitudinis sit longitudo mensura, latitudinis latitudo, vox vocis, et gravitas gravitatis, et unitatum unitas. »

2. *Philos. mor.*, n. 70.

*Respondeo.* Incompleta est notio boni moralis tradita in *majore*. Adæquatam rationem habet S. Thomas : « Honestum dicitur quod propter se appetitur appetitu rationali, qui tendit in id quod est conveniens rationi[1]. » *Ergo* ratio est norma proxima honestatis.

*Arguit Cathrein* 2° « Bonum in unoquoque consideratur secundum condicionem suæ naturæ. » 1ª 2æ, q. 59, a. 5, ad 3; aliis verbis, pro omnibus creaturis ex earum natura dignoscitur, quænam sit operatio iis conveniens et bona. Ergo idem de homine dicendum. »

*Respondeo. Distinguo.* Ex natura dignoscitur quænam sit operatio bona, bonitate *physica*, concedo; *morali*, nego.

*Arguit Cathrein* 3°. Soli naturæ humanæ conveniunt proprietates requisitæ ad veram normam moralitatis. Et probatur citando quatuor argumenta desumpta ex *Summa Cont. Gent.* l. 3, c. 129.

*Respondeo.* 1° Quomodo rationi rectæ conveniant omnia requisita ad veram regulam moralitatis exposuimus, n. 151. — 2° Ex citato textu *Cont. Gent.* non sequitur naturam esse regulam moralitatis. Concludit S. Thomas : « Sunt igitur aliqua in humanis actibus *naturaliter* recta... Sunt igitur aliqui actus humani *naturaliter* convenientes... Vinolentiæ igitur, etc. sunt *naturaliter* mala. » *Distinguo* : *naturaliter* seu ex natura sua; id est ex natura ipsius actus, *concedo;* ex natura hominis, *nego.*

*Instat Cathrein :* « S. Thomas sæpe solam rationem ut normam honestatis commemorat ex duplici ratione : 1° quia ratio est regula proxima subjectiva proponens voluntati honestatem... 2° Ubicumque S. Thomas ultimam rationem indicat cur aliquæ actiones sint intrinsece bonæ vel malæ, recurrit ad naturam humanam[2]. »

*Ad* 1ᵃᵐ *responsionem dico : negatur* rationem esse solum regulam subjectivam, nam ratio recta est regula moralitatis objectivæ, ut diximus n. 151; *ad* 2ᵃᵐ *responsionem dico :* si natura humana est ultima ratio, ergo non est proxima ratio; hic autem quærimus de proxima regula moralitatis.

156. **Ratio non supponit pro natura.** Existimant *Frins* et *Cathrein* in omnibus illis frequentissimis quibus S. Doctor enuntiat rationem esse regulam actuum humanorum, rationem supponere non pro judicio rationis, sed pro natura humana vel forma substantiali hominis, idque evinci putant ex 1ª 2æ, q. 18, a. 5 et q. 71, a. 2, quibus in locis « si in conclusione ratio significaret dictamen rationis, haberemus apertum sophisma[3] ».

*Respondeo.* 1° Qui tenent rationem supponere pro natura, nobis explicare debent quare S. Thomas, cujus « doctrina præ cæteris, excepta Canonica, habet proprietatem verborum[4] », semper scripserit *bonum rationis* vel *regulam rationis,* et nunquam *bonum naturæ* vel *regulam naturæ.*

2° Si *ratio* supponat pro forma substantiali hominis vel pro natura humana, indifferenter ponere possumus unum vel alterum. Videamus igitur. Quando dixit S. Thomas : « regula humanorum actuum non est ratio quælibet, sed ratio recta[5] », sensus erit forte : « non est natura humana quælibet, sed natura

1. 2ª 2æ, q. 145, a. 3, ad 1.
2. *Philos. mor.*, n. 74.
3. *Ibid.*
4. Clemens VI, *Sermo de S. Thoma Aquin.*
5. 2, d. 24, q. 3, a. 3, ad 3. Cf. *Virt.*, q. 5, a. 2; In 2 *Ethic.*, l. 7 : « quia contingit rationem esse et rectam et erroneam, oportet virtutem secundum rationem rectam operari », *et passim.*

humana recta; non est forma substantialis hominis quælibet, sed forma substantialis hominis recta ». Item, quando dicit S. Thomas : « bonum et malum in actibus humanis consideratur secundum quod actus concordat rationi informatæ lege divina[1] », sensus erit forte : « secundum quod actus concordat naturæ humanæ informatæ lege divina, vel formæ substantiali hominis informatæ lege divina ». Possent multiplicari exempla; Cf. *Malo*, q. 2, a. 4 (n. 134) ubi ponitur oppositio inter rationem et vim generativam tanquam inter duas potentias. Item *Malo*, q. 16, a. 2 (n. 153) ubi manifeste ponitur oppositio inter rationem Dei et rationem hominis.

3° Nec in locis allatis ratio supponit pro forma substantiali vel natura.

*a*) Primus locus est textus ex 1ª 2æ, q. 18, a. 5, quem citavimus n. 146, 2° (Cf. h. l.). Hæc habet *Frins :* « Doctrina tradita per se manifesta est. Ut autem magis etiam pateat, formemus syllogismum. Ratiocinatur nimirum S. Doctor hoc modo : Unicuique rei bonum est quod convenit ei secundum suam formam. Minor subintellecta et in conclusione contenta hæc est : jamvero hominis forma est ratio. Unde sequitur conclusio : Ergo ratio, siquidem est hominis forma, illud est secundum quod tandem pronuntiare oportet, quid sit vere et proprie homini bonum et quid ei non sit bonum[2]. » — *Respondeo.* Inconvenienter additur minor subintellecta, quando vera minor syllogismi continetur his verbis : « Dicuntur autem aliqui actus humani vel morales secundum quod sunt a ratione », ubi certe ratio non supponit pro forma substantiali. Syllogismum S. Thomæ exposuimus n. 146. Insuper illa minor subintellecta nullimode continetur in conclusione, ut patet legenti textum.

*b*) Secundus locus desumitur ex 1ª 2æ, q. 72, a. 2 : « sed considerandum est quod natura uniuscujusque rei potissime est forma, secundum quam res speciem sortitur, Homo autem in specie constituitur per animam rationalem. Et ideo id quod est contra ordinem rationis proprie est contra naturam hominis in quantum est homo ». Et concludit *Cathrein :* « Si hic in conclusione ratio significaret dictamen rationis, haberemus apertum sophisma. » — *Respondeo. Nego consequentiam.* Ut concludat syllogismus, non cogimur admittere identitatem inter rationem et substantiam animæ (non enim consuevit S. Thomas adeo impropria terminologia uti), sed dari potest sequela etiam absque dicta identitate, subaudiendo propositionem hanc omnium mentibus obviam : Atqui, quod est contra dictamen rationis est contra animam rationalem. Et quod verus sit hic sensus patet ex sequentibus, ubi S. Thomas subjungit : « Et ideo id quod est contra ordinem rationis proprie est contra naturam hominis in quantum est homo; quod autem est secundum rationem est secundum naturam hominis in quantum est homo. *Atqui.* Bonum hominis (id est bonum morale) est secundum rationem esse, et malum hominis est præter rationem esse, ut Dionysius dicit. *Ergo.* Virtus humana (seu bonum morale) in tantum est secundum naturam hominis, in quantum convenit rationi; vitium autem in tantum est contra naturam hominis in quantum est contra ordinem rationis. » Non concludit S. Thomas : ergo, actus est bonus quia est secundum naturam; sed concludit : ergo, actus bonus est secundum naturam quia est secundum rationem : « virtus humana in tantum est secundum naturam in quantum convenit rationi ». Ergo, etiam ex hoc textu, confirmatur quod regula actuum humanorum est non natura, nec forma substantialis, sed ratio.

1. *Malo*, q. 2, a. 4.
2. *De actib. hum.*, t. II, n. 75.

*c*) Plura alia citat *Frins*[1] quæ non magis favent suæ opinioni. 1°. 1ª 2æ, q. 94, a. 3: « Cum anima rationalis sit propria forma hominis, naturalis inclinatio inest cuilibet homini ad hoc quod agat secundum rationem. » Consentiunt Thomistæ. Inde tamen non sequitur : ratio supponit pro forma, nam subjungit S. Thomas : « Dictat enim hoc naturaliter unicuique propria ratio ut virtuose agat. » Agitur ergo de dictamine rationis. — 2°. 1ª 2æ, q. 54, a. 3 : « Actus virtutum naturæ humanæ conveniunt, eo quod sint secundum rationem. Actus vero vitiorum, cum sint contra rationem, a natura humana discordant. » Sed est ipsa doctrina Thomistarum modo exposita. Quibus addit *Frins*, 2ª 2æ, q. 23, a. 3 et *Cont. Gent.*, l. 3, c. 129 : quid vero in his locis invenerit, nescio.

Immerito igitur concludit *Frins :* « Vides quam vere asseruerint Salmanticenses S. Thomam vix unquam meminisse naturæ rationalis ut regulæ actuum humanorum. » — Ad me quod attinet millies legi apud S. Thomam *bonum rationis* et *regulam rationis,* et nunquam inveni *bonum naturæ*, et *regulam naturæ,* nisi in uno casu ubi S. Thomas loquitur non de regula naturæ rationalis, sed de regula naturæ corporalis : « Mensura autem ipsius sumptionis cibi sumitur secundum regulam naturæ corporalis[2] », de quo recte notat *Suarez :* « De temperantia tradit D. Thomas necessitatem corporis esse regulam temperantiæ ; nemo tamen dicet esse legem, sed esse fundamentum legis[3]. » Idem est dicendum de natura rationali.

**157. II. De regula fundamentali et remota.** Natura igitur humana non est regula proxima et formalis, sed an sit regula fundamentalis et remota?

*Respondeo.* Concedi potest. Nam « regula rationis humanæ sumitur ex rebus creatis quas naturaliter homo cognoscit[4] », et consequenter sumitur etiam ex cognitione naturæ humanæ. Et hoc manifestius erit ex his quæ dicenda sunt de fine ultimo, n. 159.

Fortasse nihil amplius intendunt illi contra quos agebamus modo, quando dicunt naturam humanam esse regulam non formaliter, sed fundamentaliter[5]. — Immerito tamen dicunt naturam esse regulam proximam[6]. Immerito etiam negligunt regulam rationis, de ea tacent, imo eam impugnant. Multum enim deficeret, si quis haberet mensuram fundamentalem, careret vero mensura proxima, sicut si quis non haberet nisi metrum ad mensurandum pondus bovis. Ideo maxime insistendum est in regula proxima maxime necessaria.

Insuper non recte asserit *Cathrein :* « Ubicumque S. Thomas ultimam rationem indicat cur aliquæ actiones sint intrinsece bonæ vel malæ, recurrit ad naturam humanam[7] ». — *Respondeo.* 1° Non consuevit S. Thomas concludere bonitatem vel

1. *De actib. hum.*, t. II, n. 78.
2. *Malo*, q. 14, a. 1, ad 2. Cf. 2ª 2æ, q. 141, a. 6.
3. *De Legib.*, l. 2, c. 5, § 6.
4. 1ª 2æ, q. 74, a. 7.
5. Frins, *De actib. hum.*, t. II, n. 79 et 84.
6. Cathrein, *Philos. mor.*, n. 66 et 70.
7. *Philos. mor.*, n. 74.

malitiam actuum ex eo quod sunt secundum vel contra naturam; sæpius vero, ut jam diximus, concludit bonos vel malos actus esse secundum vel contra naturam ex eo quod sunt secundum vel contra rationem : ita ut *ly* « esse secundum vel contra naturam » sit potius consectarium quam fundamentum τοῦ « esse secundum vel contra rationem ». — 2° Quædam igitur S. Thomæ testimonia referre possunt, ex quibus evincant S. Thomam non omnino adversari suæ opinioni. Ista tamen S. Thomæ loca : *a*) non sunt plurima, sed numero perpauca; *b*) non sunt capitalia, sed obiter dicta; *c*) plerumque non sunt expressa, sed ex eis erui debet intentum ope cujusdam argumentationis plus minusve necessariæ. Ideo non sufficiunt ista testimonia ut cogamur admittere istud punctum esse unum ex cardinibus systematis S. Thomæ circa regulam moralitatis.

## Quæres 3°. Utrum natura humana dici possit regula fundamentalis moralitatis.

158. In duplici sensu longe diverso accipi potest hoc quæsitum : 1° Utrum natura humana sit fundamentum regulæ proximæ, id est dictaminis rationis rectæ? In hoc facile convenient omnes. Ut enim diximus modo, ratio habet quod sit recta ex conformitate ad legem æternam. Lex autem æterna nobis innotescit ex creaturis et principaliter ex cognitione naturæ humanæ. Ideo natura se habet ut media inter legem æternam et rationem : in hoc sensu recte dicitur regula fundamentalis, id est fundamentum regulæ rationis.

2° Utrum natura humana sit etiam fundamentum regulæ supremæ, id est legis æternæ; aliis verbis, utrum natura humana considerata in momento anteriori ad legem æternam et independenter ab ea, habeat ex se aliquid ratione cujus dici possit, licet non perfecte (tenent enim omnes naturam non habere veram et perfectam rationem regulæ nisi dependenter a lege æterna), tamen in aliquo sensu, fundamentum legis æternæ. Orta est hæc difficultas a temporibus Suaresii, qui sibi recedendum putavit a traditionali conceptu legis æternæ quem in scholis tradebant ex S. Thoma. Voluit Suarez legem æternam esse actum non intellectus sed voluntatis Dei, unde quærere cœperunt : utrum natura humana considerata ante decretum divinum habeat ex se aliquid, quod sit fundamentum moralitatis. Affirmat *Vasquez*, item ex recentioribus *Frins*. Negant *Thomistæ* cum multis extraneis.

Recensens *Frins* illos auctores qui tenent naturam humanam habere rationem regulæ moralis etiam independenter a lege æterna, subjungit : « inter quos est, nisi valde erro, S. Thomas. Relegantur loci supra allati et statim apparebit ipsum in hanc oppositam sententiam ivisse. Modo liceat unum locum proferre. Sunt illa quæ extant in initio et fine c. 129, l. 3 *cont. Gent.* Auspicans S. Doctor ait : *Ex præmissis autem apparet quod ea quæ divina lege præcipiuntur, rectitudinem habent*

*non solum quia sunt lege posita, sed etiam secundum naturam.* Et in fine ejusdem capitis : *Patet igitur quod bonum et malum in humanis actibus non solum sunt secundum legis positionem sed etiam secundum naturalem ordinem. Hinc est quod dicitur quod judicia Domini sunt vera, justificata in semetipsa* (Ps. 18, 10). Nescio quid clarius, quid disertius pro hac sententia possit desiderari. Nam bonum et malum atque rectitudo in humanis actibus etiam tunc habetur, quando nulla legis positio habetur, attenditur vero unus ordo naturalis : sunt justificata in semetipsa[1] ».

*Respondeo.* Certe VALDE ERRAT *Frins*, proceditque ejus error ex nescientia terminologiæ S. Thomæ. Hic et in aliis locis, ea quæ sunt *lege posita*, vel *secundum legis positionem* significant ea quæ sunt *ex lege positiva*. Unde supra n. 141, ex citato capite Summæ contra Gentiles argumenta desumpsimus contra Positivismum moralem ad demonstrandum esse quasdam actiones essentialiter bonas et quasdam essentialiter malas. Quæ vero scripsit S. Thomas ad excludendam legem positivam intellexit *Frins* de exclusione legis æternæ (Cf. in 1 *Ethic.*, l. 3).

*Conclusio.* **Natura humana, considerata in momento anteriori ad legem æternam et independenter ab ipsa, nullimode dici potest fundamentum moralitatis.**

*Probatur.* 1° Sic se habet lex æterna ad ordinem essentialem rerum, sicut se habet idea divina ad ipsas essentias sigillatim sumptas. *Atqui.* In momento anteriori ad ideam divinam nulla potest concipi essentia creata. *Ergo.* In momento anteriori ad legem æternam nullus potest concipi ordo inter essentias et consequenter nulla moralitas.

*Ad majorem.* Sicut enim ideæ divinæ sunt exemplaria essentiarum creatarum, ita lex æterna est exemplar ordinis in rebus creatis.

*Ad minorem.* Essentia enim creata, in momento anteriori ad ideam divinam, non habet esse, neque reale, neque ideale, ut patet; ergo est nihil.

*Ad consequens :* Fusius declarabitur in quær. 5°, quomodo moralitas pendeat ab ordine essentiali rerum.

2° In regulando sic se habet Deus ad inferiores regulas, sicut in ordine causarum efficientium se habet causa prima ad causas secundas : « Sicut in moventibus invenitur primum movens quod est movens non motum...., ita etiam est in regulantibus quod est aliquid quod est regulans et nullo modo regulatum, et hæc est ratio primæ regulæ, et tale est Deus[2]. » *Atqui.* In ordine causarum efficientium non potest concipi actio causæ secundæ in momento anteriori ad causam primam et independenter ab ipsa, secus enim causa secunda jam non esset secunda. *Ergo.* In momento anteriori ad legem æternam, natura humana nullimode dici potest regula fundamentalis. Unde S. Thomas : « Si autem referatur ad jus naturale, quod continetur primo quidem in lege

1. *De actibus humanis*, t. II, n. 104.
2. 3, d. 25, q. 2, a. 1, qcl. 4, ad 2.

æterna, secundario vero in naturali judicatorio rationis humanæ, tunc omne peccatum est malum quia prohibitum : ex hoc enim ipso quod est inordinatum, juri naturali repugnat[1]. »

Ad exponendum hunc textum *Frins,* rejecta interpretatione improbabili Suaresii et *Cathrein*[2], hæc habet : « Sensus igitur loci mea sententia breviter hic est : Contra rationem et contra ordinem rerum naturalem nihil malum et inordinatum esse potest, nisi quatenus Deus voluit ordinem in rebus, specialiter in iis quæ nos contingunt, vigere, atque adeo quatenus etiam voluit eum a nobis non perturbari : et ita demum in ordine ad jus naturale nihil neque ullo modo moraliter malum est nec est inordinatum pro nobis, nisi quatenus ordini divinitus volito et in rebus instituto directe et formaliter, ipsi vero voluntati divinæ ordinem naturalem volenti et instituenti indirecte et virtualiter adversatur[3]. » Certe limpidior est ipse textus S. Thomæ quam commentatoris expositio.

## Quæres 4°. An recte dicatur moralitatem pendere a fine ultimo?

159. **Duplex sententia.** Prima negat : « Malitia vel bonitas intrinseca actus ex objecto pensanda est, non ex habitudine vel necessitate ad ultimum finem[4]. » Ita *Suarez,* quem citant et sequuntur *Frins* et *Cathrein.* Altera affirmat : ita *S. Thomas* et cum eo *Thomistæ.*

De mente S. Thomæ nulla potest esse difficultas. « In moralibus ubi attenditur ordo rationis ad finem communem humanæ vitæ, semper peccatum et malum attenditur per deviationem ab ordine rationis ad finem communem humanæ vitæ[5]. » « Per finem autem oportet quod regulentur omnes actus humani[6] », et quod loquatur de fine ultimo manifestum est ex contextu. « Finis igitur ultimus est a quo omnia rationem boni accipiunt[7] », et « rectitudo voluntatis est per debitum ordinem ad finem ultimum[8] ». Unde « tanto est unumquodque perfectius quanto est ultimo fini propinquius[9] », et « inter omnes actus humanos, illi sunt optimi quibus homo adhæret Deo, utpote fini propinquiores[10] ». « Cum peccatum dicatur propter inordinatio-

1. 2ª 2æ, q. 71, a. 6, ad 4.
2. *Philos. mor.*, n. 64.
3. *De actibus humanis,* t. II, n. 91-95.
4. Suarez, *de Legib.*, l. 2, c. 15, n. 12.
5. 1ª 2æ, q. 21, a. 2, ad 2.
6. 1ª 2æ, q. 109, a. 8.
7. *Cont. Gent.*, l. 1, c. 40.
8. 1ª 2æ, q. 4, a. 4.
9. 1ª 2æ, q. 106, a. 4.
10. *Cont. Gent.*, l. 3, c. 115.

nem a fine ad quem natura rationalis ordinata est[1]... » nam « nullus actus inordinatus est referibilis in finem ultimum[2] »; et hoc quia « lex dirigit sicut ostendens qualis debeat esse actus proportionatus fini ultimo[3] »; unde « quanto aliquis actus magis abducit a fine humanæ vitæ, tanto in se gravius peccatum est[4] ». Multa alia possent citari.

Quæ vero ad hæc respondet *Frins*[5] futilia sunt. Sic v. g. textum primo loco citatum ait non esse ad rem, ut patet ex ipso titulo q. 21 : « De his quæ consequuntur » moralitatem. In hac igitur quæstione tractat S. Thomas de consectariis moralitatis, non de ipsa moralitate. — Responsio facilis est : determinans S. Thomas de consectariis moralitatis referre debuit conditiones ipsius moralitatis, ex quibus profluunt dicta consectaria.

*Objicit Cathrein*[6] : « Moralia non habent speciem a fine ultimo, sed a finibus proximis. » (1ª 2æ q. 60, a. 1, ad 3). — *Respondeo : Distinguo :* Moralia non habent a fine ultimo rationem speciei atomæ, *Concedo,* illam enim habent a finibus proximis; sed a fine ultimo recipiunt rationem genericam, est enim finis ultimus primum specificans, ut diximus n. 57, 3°. « Ideo omnes actus humani quodammodo conveniunt in uno genere secundum quod ordinantur ad finem ultimum[7]. » Et licet bonum et malum per respectum ad genus actus moralis sint species, per respectum ad actus particularium virtutum vel vitiorum, sunt duo genera.

*Conclusio.* **Recte dicitur : Moralitatem pendere a fine ultimo.**

*Declaratur.* Quando asserimus moralitatem pendere a fine ultimo non constituimus novam regulam distinctam a præcedentibus. Imo dicimus eo modo pendere moralitatem a fine ultimo, quomodo pendet a natura humana. Etenim cum natura humana sit principium activitatis humanæ et finis ultimus terminus ejusdem activitatis, natura humana dicit essentialem ordinem ad finem ultimum hominis. « Natura nihil est aliud quam ratio cujusdam artis, sc. divinæ, indita rebus, qua ipsæ res moventur ad finem determinatum[8] ». Unde in præsenti casu, sive dicatur natura humana, sive dicatur finis ultimus, eadem adstruitur essentialis relatio quæ exprimitur sive ab uno termino sive ab altero.

*Probatur.* 1° « Bonum et malum dicuntur per comparationem ad finem[9]. » *Atqui.* Bonum morale seu bonum rationis est bonum hominis

1. 2, d. 37, q. 2, a. 1.
2. *Malo,* q. 9, a. 2.
3. 2, d. 41, q. 1, a. 1, ad 4.
4. 2, d. 42, q. 2, a. 5.
5. *De actibus humanis,* t. II, n. 117 et 118.
6. *Philosophia moralis,* n. 81.
7. 1ª 2æ, q. 73, a. 3, ad 3.
8. *In* 2 *Physic.,* l. 14.
9. *Pot.,* q. 3, a. 6, ad 12.

ut sic, et malum morale seu malum rationis est malum hominis ut sic. *Ergo.* Bonum et malum morale dicuntur per comparationem ad finem hominis ut sic, id est ad finem ultimum.

2° Attenditur vitæ humanæ bonitas per respectum ad finem ultimum[1] (n. 59). *Atqui.* Vita humana est quoddam iter ad terminum, cujus singuli passus sunt singuli actus humani. *Ergo.* Sicut singulorum passuum bonitas attenditur per respectum ad terminum itineris, ita singulorum actuum humanorum bonitas attenditur per respectum ad finem ultimum.

Ad hanc secundam rationem respondet *Cathrein* negando paritatem inter vitam humanam seu actiones humanas complexive sumptas et easdem sigillatim sumptas : nam licet omnium hominum sit idem finis ultimus, non tamen æqualiter boni sunt iidem actus apud omnes homines. — *Respondeo, distinguendo* iidem actus; iidem materialiter seu in esse physico, *concedo;* formaliter seu in esse morali, *nego.*

*Arguit Cathrein*[2]. 1° « Honestum est id quod propter se appetitur seu quod in seipso habet aliquam rationem bonitatis, etiamsi nihil aliud boni per illud nobis accideret. (S. Thomas 2, 2, q. 145, a. 1, ad 1). Atqui virtutes, v. g. justitia, temperantia, etc..., teste S. Thoma (l. c.) propter se sunt appetibiles, etiam abstrahendo ab eo quod finem ultimum promovent. Ergo bonitas virtutum non consistit primitus in eo quod ad ultimum finem conducant, sed quod per se sint homini convenientes et appetibiles. »

*Respondeo. Nego majorem et nego minorem* ex ipso laudato textu S. Thomæ. En verba S. Doctoris : « Sicut Philosophus dicit, eorum quæ propter se appetuntur, quædam appetuntur solum propter se et nunquam propter aliud : sicut felicitas quæ est ultimus finis. Quædam vero appetuntur et propter se, in quantum habent in seipsis aliquam rationem bonitatis, etiamsi nihil aliud boni per ea nobis accideret; et tamen sunt appetibilia propter aliud, in quantum scilicet perducunt nos in aliquod bonum perfectius. Et hoc modo virtutes sunt appetendæ. Unde Tullius dicit quod quiddam est quod sua vi nos allicit et sua dignitate trahit : ut virtus, veritas, scientia. Et hoc sufficit ad rationem honesti. » Ait S. Thomas : « hoc sufficit ad rationem honesti », *unde nego majorem.* Ait : « et hoc modo virtutes sunt appetendæ », unde *nego minorem.* — Radicem confusionis latentis in verbis *propter se*, aperit ipse S. Thomas : « *Propter se* dicitur dupliciter. Uno modo, secundum quod opponitur ad *propter aliud,* et hoc modo virtutes et honestum *non propter se* diliguntur, cum etiam ad aliud referantur. Alio modo dicitur propter se secundum quod opponitur ad *per accidens* et sic dicitur propter se diligi, quod habet in natura sua aliquid movens ad diligendum : et hoc modo virtutes propter se diliguntur, quia habent in se aliquid unde quærantur, etsi nihil aliud ab eis contingeret; *non tamen est inconveniens ut aliquid propter se ametur et tamen ad alterum ordinetur,* ut dicitur 1 *Ethic.*, c. 6[3]. »

*Arguit Cathrein.* 2° Sententia (quæ admittit moralitatem pendere a fine ultimo) non potest explicare bonitatem et malitiam objectivam. *Probatur.* Actus caritatis

1. Unde sæpius ait S. Thomas : « Principium totius ordinis in moralibus est finis ultimus qui ita se habet in operativis, sicut principium indemonstrabile in speculativis, ut dicitur in 7 *Ethic.* » 1ª 2æ, q. 72, a. 5; q. 87, a. 3; q. 88, a. 1, *et passim.*

2. *Philos. mor.*, n. 79.

3. 1, d. 1, q. 2, a. 1, ad 3.

perfectæ, v. g. est honestus, quia ejus objectum (infinita Dei bonitas) est honestum. *Atqui.* Infinita Dei bonitas non est objectum honestum quia confert ad ultimum finem vel eum promovet. Ipsa enim est ultimus finis et propter se homini summe conveniens et appetibilis. — Item actus spei.

*Respondeo. Nego antecedens,* ad cujus probationem *concedo majorem et minorem et nego consequentiam.* Ex præmissis sequitur : ergo bonitas objectiva Deo competit non per respectum ad finem ultimum, sed quia ipse est finis ultimus. Quod etiam concedimus. Deus enim bonus est, non *ut mensuratum,* sed *ut mensura,* et ex hac differentia inter bonitatem objectivam Dei et bonitatem objectivam rerum creatarum concludit S. Thomas virtutes theologicas per se non consistere in medio[1]. « Finis secundum seipsum habet modum : ea vero quæ sunt ad finem habent modum ex eo quod sunt fini proportionata... Finis autem omnium actionum humanarum et affectionum est Dei dilectio, per quam maxime attingimus ultimum finem. Et ideo in dilectione Dei non potest accipi *modus sicut in re mensurata,* ut sit in ea accipere plus et minus : sed sicut invenitur *modus in mensura,* in qua non potest esse excessus, sed quanto plus attingitur regula, tanto melius est. Et ita quanto plus Deus diligitur, tanto est dilectio melior[2]. »

*Arguit Cathrein.* 3° « Qui dicunt honestatem formaliter consistere in eo quod actus conferat ad ultimum finem necessario ad intolerabilem rigorismum perducuntur; ergo eorum opinio admitti non potest. *Probo anteced.* Ex doctrina S. Thomæ quilibet individualis actus, ut sit honestus, debet in finem honestum ordinari. Atqui si honestas formaliter consisteret in relatione ad ultimum finem, illi qui hanc relationem vel ignorant vel nullo modo curant (quorum numerus pro dolor propemodum infinitus est!) jam non valent elicere actum honestum; nullum enim habere possunt finem debitum seu honestum. Si v. g. homo incredulus et malus pauperi ex misericordia eleemosynam dat, vel si generose aliquid facit ad patriam salvandam, nullo modo respiciens et intendens relationem ad finem ultimum, non habet finem honestum; ergo actio non est honesta. »

*Respondeo. Nego antecedens,* ad cujus probationem *distinguo majorem :* debet ordinari actualiter aut virtualiter ex parte operantis, *nego;* virtualiter ex parte operis, *concedo. Contradistinguo minorem in eodem sensu :* si honestas formaliter consisteret in relatione ad ultimum finem : in relatione vel actuali vel virtuali ex parte operantis, *concedo,* in relatione virtuali ex parte operis, *nego. Et nego consequens.* Diximus n. 55, quid sit intendere actualiter et virtualiter. Et quando exigit S. Thomas omnes actus humanos ad finem ultimum referri : « est autem debitum ut ad finem ultimum omnes actus referantur[3] », hoc intendi debet non de relatione actuali, sed de relatione virtuali et quidem virtuali ex parte operis. Unde quotiescumque aliquis, etiam atheus, operatur propter finem immediatum honestum, eo ipso actus habet debitam relationem virtualem ex parte operis ad finem ultimum, licet agens non intendat actualiter finem ultimum, et sic evanescunt omnes difficultates[4].

1. 1ª 2æ, q. 64, a. 4.
2. 2ª 2æ, q. 27, a. 6. Cf. q. 17, a. 5, ad 2.
3. 1ª 2æ, q. 21, a. 4.
4. Unde S. Thomas ostendere volens quomodo non omnia infidelium opera sunt peccata, ait : « Fides dirigit intentionem in finem ultimum, sed ratio naturalis vel prudentia potest dirigere in aliquem finem proximum, et quia ille finis proximus ordinabilis est in finem ultimum etiamsi actu non ordinetur, ideo in infidelibus quorum actus per vim rationis in talem finem diriguntur, possunt aliqui actus esse boni, sed deficientes a perfecta bonitate secundum quam actus est meritorius » merito supernaturali. (2, d. 41, q. 1, a. 2, ad 2.)

*Instat.* Etiam actus indifferentes sunt apti qui referantur in finem ultimum. — *Respondeo.* Ex parte operantis, *concedo;* ex parte operis, *nego.*

*Arguit Cathrein.* 4° Finis ultimus aut intellegitur gloria Dei aut beatitudo hominis. *Atqui* neuter finis potest esse norma honestatis. *Ergo.*

*Respondeo.* Intelligi potest et de gloria Dei, et de beatitudine hominis, licet diversimode. De gloria Dei, quia gloria Dei est finis simpliciter ultimus Dei; cum igitur omnia creata sint propter gloriam Dei, per respectum ad gloriam Dei attenditur bonitas quælibet in creaturis. Melius tamen reducitur gloria Dei ad regulam supremam, sed cum agatur nunc de regula proxima, respondeo : In conclusione nostra finis ultimus intelligitur de beatitudine hominis. Ita S. Thomas : « in peccato voluntatis semper est defectus ab ultimo fine intento, quia nullus actus voluntatis malus est ordinabilis ad beatitudinem quæ est ultimus finis[1] ».

*Contra quoad arguit Cathrein :* Beatitudo non potest esse norma honestatis. Nam actus non propterea est honestus, quia ducit ad beatitudinem, sed viceversa propterea ducit ad beatitudinem, quia est honestus. Beatitudo enim est præmium quod per bona opera a Deo meremur.

*Respondeo.* Ex S. Thoma : « In omnibus honestis utilitas honestati coincidit, nisi in ultimo quod est finis omnium, quod propter se tantum appetendum est[2] »; unde « bona honesta tanquam fines appetuntur sui gratia, etsi in aliud ducant[3] ». Beatitudo igitur est præmium, non tamen præmium arbitrarium, sed tanquam naturalis fructus operationis humanæ bonæ, sicut pœna est naturalis fructus operationis malæ : « actus enim inordinatus non est conveniens medium quo perveniatur ad finem bonum, sicut nec propositio falsa est conveniens medium quo perveniatur ad scientiam veram[4] ».

## Quæres 5°. An dici possit moralitatem pendere ab ordine essentiali rerum.

160. *Respondeo.* Per *ordinem essentialem rerum* intelligitur ordo vel relatio resultans ex coexistentia duarum vel plurium essentiarum. Regit mundum universum ordo iste essentialis tum quoad esse physicum, tum quoad esse morale. Quoad esse physicum, v. g. si in vase simul infundatur aqua et oleum, supernatat oleum, idque exigitur ab ordine qui resultat ex coexistentia utriusque essentiæ; item, tempore verno, ad talem gradum frigoris sequitur destructio uvarum in germine, etc... Haud secus, quoad esse morale : Sint pater et filius, si conferantur duæ essentiæ, paternitatis scilicet et filiationis, statim exsurgit ordo quidam superioritatis in patre et inferioritatis in filio. Et cum omnes essentiæ plurimis vinculis inter se connectantur ad efformandum unum universum, complexus omnium istarum relationum inter varias essentias constituit ordinem universalem rerum.

1. 1ª 2æ, q. 21, a. 1, ad 2.
2. 2, d. 21, q. 1, a. 3.
3. *Ibid.*
4. *Malo*, q. 9, a. 2.

Qui dicunt moralitatem pendere ab ordine essentiali rerum non intendunt constituere aliud fundamentum diversum a natura et a fine ultimo; imo unum et idem est fundamentum quod his tribus nominibus designatur, pro diverso respectu sub quo considerari potest. Actus enim humanus est quidam motus, qui tanquam a principio remoto procedit a natura humana vel a forma substantiali hominis, et qui tendit ad finem ultimum hominis : Essentia actus, essentia naturæ humanæ, essentia finis ultimi necessaria habitudine inter se convinciuntur, quæ habitudo est ordo essentialis. Unde sive dicatur moralitatem pendere a natura, sive a fine ultimo, sive ab ordine essentiali rerum, prorsus idem asseritur. Imo aptissima est hæc ultima denominatio, utpote magis adæquata : per eam enim designatur essentialis relatio in se et non solum ex alterutro termino.

*Objicit Cathrein.* 1° « Hæc sententia non valet explicare bonitatem moralem objectivam... Jam si quæro, cur v. g. Deus sit objectum honestum pro amore hominis responderi nequit : quia est conformis objectivo ordini[1]. »

*Respondeo. Nego antecedens,* ad cujus probationem *transmitto assumptum et nego consequentiam,* nam ut diximus n. 159, obj. 2ª, quando agitur de bonitate morali, seorsum ponenda est bonitas Dei. Alia enim objecta sunt moraliter bona per respectum ad regulam morum, quia sunt bona mensurata, Deus vero non est bonum mensuratum, sed mensura omnis boni. Ideo quæsito objicientis « si quæro cur Deus sit objectum bonum », respondeo : Deus est objectum bonum, quia est plenitudo boni. Sed amare quod est in se plenitudo boni est certe actus bonus.

*Objicit Cathrein.* 2° « Bonitas dicit aliquam convenientiam ad operantem. Atqui quid sit operanti conveniens, non ex objectivo ordine sed ex natura operantis dijudicandum est. » — *Respondeo,* ex dictis in expositione modo posita, *nego minorem.*

Quæ vero subjungit *Cathrein* adversus eos qui per ordinem essentialem intelligunt « ordinem qui exsurgit ex essentialibus relationibus hominis ad cetera entia » non officiunt sententiæ nostræ. Sane paternitas vel superioritas non sunt relationes essentiales hujus vel illius personæ, sed posita essentia paternitatis et essentia filiationis, posita essentia superioritatis et essentia inferioritatis, eo ipso exsurgit quædam relatio quæ recte dicitur ordo essentialis, quia est ordo inter duas essentias.

### Quæres 6°. An sit admittenda distinctio moralitatis per objectivam et formalem?

161. Moralitas, ut diximus quæres 1° (n. 150), distinguitur : *subjectiva* et *objectiva, materialis* et *formalis;* ut perficiatur quæstio haec de divisionibus moralitatis, quæritur an sit distinguenda moralitas *objectiva* et *formalis.*

*Conclusio.* **Distinctio moralitatis per objectivam et formalem, licet sano sensu intellecta vera sit et ab om-**

1. *Philos. mor.,* n. 73.

**nibus admissa, — facile tamen pluribus confusionibus occasionem præbet.**

*Probatur* 1ª *pars.* Sicut v. g. distinguitur beatitudo objectiva et beatitudo formalis : beatitudo objectiva est objectum beatificans, beatitudo formalis est adeptio objecti; sicut etiam distinguitur proprietas objectiva et proprietas formalis : proprietas objectiva est objectum possessum, proprietas formalis est jus disponendi de objecto possesso; sicut distinguitur veritas objectiva et veritas formalis : veritas objectiva, quæ est in objecto et veritas formalis, quæ est in mente; ita distingui potest moralitas *objectiva* et moralitas *formalis :* moralitas objectiva idem est ac moralitas objecti, moralitas formalis idem est ac moralitas actus. Actus enim dicitur bonus et objectum bonum, analogice tamen dicitur bonum de utroque, quia bonitas formaliter et per prius dicitur de actu, ex consequenti vero de objecto. Ideo in hoc sensu accepta, vera est hæc distinctio.

Nec est nova, invenitur etiam apud nostros antiquos Thomistas. In hoc tamen differunt isti veteres a pluribus recentioribus quod dictam distinctionem olim adhibebant occasionaliter data opportunitate ; quidam vero ex recentioribus hac distinctione utuntur tanquam divisione fundamentali tractatus de moralitate.

*Probatur* 2ª *pars.* Nam *a*) etiam sane intellecta præbet occasionem confusionis cum jam datis distinctionibus. Diximus enim moralitatem *objectivam* opponi *subjectivæ* et *formalem materiali* (n. 150); nunc moralitas *objectiva* opponitur *formali.* Sane intelligunt professores differentiam, sed non decet difficultatem augere tyronibus.

Sed *b*) crescit confusionis periculum ex eo quod aliquando accipitur eadem distinctio in sensu longe diverso. Quidam enim incaute per moralitatem *objectivam* intendunt moralitatem quam habet actus *ex objecto,* per oppositionem ad moralitatem *ex fine :* sic orare est actus bonus ex objecto, orare propter vanam gloriam est actus malus ex fine. Ita *Cathrein :* « Bonitas objectiva actuum humanorum consistit in eo quod habeant debitam materiam et circumstantias [1]. » Sed si sumatur moralitas objectiva in hoc sensu, non opponitur moralitati formali : utraque enim moralitas sive ex objecto, sive ex fine est formalis.

Quam confusionem prosequitur *Cathrein* cum scribit : « *Obj.* 3 : Actus exteriores sunt secundum se præcepti vel prohibiti. Ergo secundum se habent bonitatem et malitiam. *Resp. Conc. antec. Dist. cons.* Bonitatem et malitiam objectivam, *conc.* formalem, *nego...* [2] » —

1. *Philos. mor.,* n. 67.
2. *Ibid.* n. 120.

Ergo, secundum *P. Cathrein*, homicidium, adulterium, furtum non habent malitiam formalem. Hic plane non intelligo. Procedit error ex indebita oppositione inter moralitatem objectivam et formalem, quæ distinguuntur, sed non necessario sibi opponuntur. Moralitas objectiva est proprietas objecti, moralitas formalis est proprietas actus. Sed aliquando actus humanus potest esse objectum alterius actus, sicut quando volo furari. Ex eo quod furari est objectum non desinit esse actus, unde quatenus objectum, habet moralitatem objectivam ; quatenus actus, habet moralitatem formalem. Ideo non licet concludere : habet moralitatem objectivam, *concedo;* formalem, *nego.* — Si vero per moralitatem objectivam intenderit moralitatem ex objecto, nedum concludat : moralitatem objectivam, *concedo;* formalem, *nego,* debebat concludere : habet moralitatem ex objecto, *ergo* formalem.

Et ideo, cum distinctionum scopus sit confusionem vitare non generare, opportunius nobis videtur distinctionem hanc moralitatis per objectivam et formalem dimittere : non est necessaria, cum idem sit ac moralitas objecti et moralitas actus et sic habebimus : 1° moralitatem *objectivam* vel *subjectivam;* 2° moralitatem *materialem* vel *formalem;* 3° moralitatem *objecti* vel *actus;* 4° moralitatem *ex objecto* vel *ex fine.*

Quibus addi potest 5° moralitas spectata *in esse essentiæ* vel *in esse existentiæ.* Moralitas *quoad esse essentiæ* est moralitas considerata universaliter et in abstracto : Adulterium est peccatum; *quoad esse existentiæ* est moralitas spectata in individuo et in concreto : Adulterium Davidis fuit peccatum. Utraque potest esse formalis.

Et hoc est etiam adversus *Cathrein* qui videtur tenere solam moralitatem realiter existentem posse esse formalem : « Bonitas objectiva, ut sit vera, nullo modo requirit rei existentiam..... Bonitas formalis solum tunc realis est, quando voluntas de facto libere agit[1]. »

## ARTICULUS VI

### *Errores circa regulam moralitatis.*

**162.** Propemodum infiniti sunt philosophorum errores circa regulam moralitatis, tum apud antiquos, tum apud modernos. Cum enim bonum morale pendeat a fine ultimo, unusquisque suo modo regulam agendi constituit conformiter ad conceptum præformatum de fine ultimo vel de summo bono. Ex modernis plures hic investigant quomodo conciliari possint in homine inclinationes *egoisticæ* et *altruisticæ,* quod aliquando dictum est *Rubicon in Ethica.* Principaliores

1. *Philos. mor.*, n. 66.

errores breviter recensebimus, qui ad duplicem classem reduci possunt.

### I. Systemata empirica.

163. 1° **Sensualismus**. Actiones humanæ sunt æstimandæ bonæ vel malæ, prout, prudenti facta æstimatione, plus voluptatis quam doloris, aut vice versa, allaturæ videntur. Ita apud antiquos : *Aristippus, Epicurus;* apud recentiores : *Encyclopedistæ.*

2° **Utilitarismus privatus,** cujus plures sunt formæ :

*a*) *Hobbes :* unicum quidem bonum est voluptas, sed distinguere oportet voluptatem præsentem vel futuram, et aliquando expedit carere præsenti ut non privemur futura : sic justitia est utilitas sane intellecta, et altruismus egoismus sane intellectus.

*b*) *Bentham* voluit meliorare systema Hobbesii, sed incassum, nisi specietenus tantum. Auctor est *arithmeticæ moralis.* Actionis bonitas dijudicatur quidem ex utilitate, sed ponderanda sunt omnia utilitatis elementa, quæ sunt *septem,* scilicet : voluptatis intensitas, duratio, fecunditas respectu voluptatum consequentium, puritas (id est exemptio a dolore), proximitas, certitudo, productivitas utilitatis pro societate. Facta computatione valoris ex his singulis septem capitibus, ut fieri solet in libro computationum mercatorum, facile discernitur actus bonus.

*c*) *Stuart Mill* perficit arithmeticam moralem ponderando potius qualitatem quam quantitatem voluptatis : « præstat esse Socrates patiens quam sus satiata ». Auctor est *Æstheticæ moralis.* Juxta ipsum, criterium utilitatis non desumitur ex maxima felicitate agentis, sed ex maxima summa felicitatis generalis.

3° **Utilitarismus socialis,** seu Altruismus. Plures etiam habet formas, quæ in hoc conveniunt quod actiones humanæ sunt bonæ vel malæ prout felicitatem communem promovent vel impediunt.

*a*) *Puffendorfius :* Creator libero suo decreto humanæ naturæ indidit *legem socialitatis,* ita ut omnes actiones legi socialitatis convenientes sint bonæ, repugnantes malæ.

*b*) *Shaftesbury :* vera moralitatis ratio sita est in servanda perfecta harmonia inter inclinationes egoisticas et altruisticas, quod dicitur *Empirismus moralis :* ita Schola Scotica, *Thomas Reid, Hume, Smyth.*

*c*) Schola positiva. *Aug. Comte* pro lege moralitatis defendit principium *Aliis vivere debes,* idque confirmare tentat *Littré* ex facultatibus vitæ vegetativæ.

St. Albert's College Library



*d*) *Systema solidaritatis :* cum omnis boni quod habemus debitores simus societati, societati debitum est omne bonum quod agimus.

4° **Evolutionismus**. *Herbertus Spencer :* Hodie propter imperfectam adhuc evolutionem generis humani, bonum privatum et bonum commune sæpe inter se pugnant, unde unum alteri postponi debet : ideo moralitas *absoluta* non est possibilis, sed solum *relativa,* quatenus varia compromissa inter altruismum et egoismum iniri debent. Procedente evolutione, homines conditionibus socialibus ita se adaptabunt ut inclinationes egoisticæ perfecte subserviant bono communi. Absoluta hac evolutione et adaptatione, quilibet sequendo inclinationes suas egoisticas eo ipso promovebit bonum commune. Tunc erit perfecta harmonia inter egoismum et altruismum, honestas erit absoluta. *Si quæratur :* quomodo fiet ista conciliatio egoismi cum altruismo? *respondet* id maxime fieri per sympathiam, ex qua actiones altruisticæ fient delectabiles.

5° **Progressismus**. *a*) Privatus, scholæ Leibnitzio-Wolfianæ : actiones sunt moraliter bonæ aut malæ prout hominis perfectionem tum in se tum in aliis, aut promovent, aut minuunt. *b*) Socialis, *Wundt :* bonum est quidquid promovet progressum culturæ, scientiarum, artium, etc. Ita etiam *de Hartmann,* secundum quem finis quidem ultimus est liberatio absoluti a miseria existentiæ per annihilationem, ut diximus n° 86, finis vero intermedius est progressus culturæ.

### II. Systemata idealistica.

164. 1° **Stoicismus.** Principium moralitatis secundum *Zenonem* est : naturæ conformiter vivere. Natura vero intelligitur non natura hominis, sed natura universalis totius mundi, quam suo modo participat homo. Ista conformitas consistit in virtute, id est in sapientia, quæ super omnes passiones per impassibilitatem dominatur.

2° **Neostoicismus Kantii**. Tenet moralitatem non pendere a natura humana, ideoque ab Ethica ablegandum esse omnem respectum ad Anthropologiam et Psychologiam. Insuper intervertit ordinem naturalem ab omnibus receptum : alii enim derivant obligationem a moralitate, ipse vero derivat moralitatem ab obligatione. In actibus humanis illud solum est morale, id est honestum, quod fit et secundum legem et ex unico motivo legis; quod secus fit, erit vel immorale vel amorale. Systema Kantii fusius exponetur ubi de obligatione, cap. VII, art. 7.

3° **Pessimismus Schopenhauer**. Cum positiva felicitas sit

impossibilis, felicitas consistere potest solum in absentia miseriæ et doloris. Hinc honestæ sunt actiones quæ ex solo affectu compassionis procedunt et sine ullo motivo egoistico serviunt bono communi vel minuunt aliorum miseriam.

4° **Antipessimismus Nietzche.** Moralis prodesse poterit bestiis de grege; *superhomini* vero bonum est quidquid conducit ad perfectam evolutionem suæ activitatis.

## ARTICULUS VII

### *De fontibus moralitatis.*

165. Hic incipit consideratio diversorum elementorum actus humani in ordine ad moralitatem.

Scribit *Cathrein* : « In hac quæstione accurate distinguendum est : 1. inter actus interiores et exteriores. Cum enim quoad bonitatem formalem actus interiores et exteriores vix quidquam commune inter se habeant, nisi separatim tractentur, facile magna confusio oritur; 2. inter bonitatem et malitiam formalem. De utraque enim omnino diversa valent[1]. »

Quæ tamen omnia non satis accurate prolata videntur.

1° Etenim, falsum est « quoad bonitatem formalem actus interiores et actus exteriores vix quidquam commune inter se habere ». — Hoc saltem habent commune quod ad invicem uniuntur, ut materia et forma, ad efformandum unum actum moralem : « Id quod est ex parte voluntatis se habet ut formale ad id quod est ex parte exterioris actus[2]. » Et sicut homo non est anima et corpus, sed compositum ex utroque, nec quis cognosceret hominem cognoscendo solum animam separatam et corpus separatum, ita actus humanus non est solum actus interior et actus exterior, sed compositum ex utroque (Cf. n. 102, Schema exhibens 12 motus partiales ex quibus integratur actus moralis); nec quis cognoscit actum humanum cognoscendo solum actum interiorem separatum et actum exteriorem separatum. Ante omnia considerari debet compositum in sua integritate, deinde quid ipsi competat ratione utriusque elementi. Ita processit S. Thomas, qui in qu. 18 per 11 articulos tractat *de bonitate et malitia humanorum actuum in generali,* deinde in qu. 19 *de bonitate et malitia actus interioris voluntatis* et in qu. 20 *de bonitate et malitia exteriorum actuum humanorum.*

1. *Philosophia moralis*, n. 96.

2. 1ª 2æ, q. 18, a. 6 ; et ad 2 : actus interior voluntatis « comparatur ad exteriorem sicut formale ad materiale ».

Rectus quidem ordo nam « necesse est quod prius cognoscamus totum quam partes; prius enim cognoscimus domum quadam confusa cognitione quam distinguamus singulas partes ejus[1] ».

2° Item falsum est « de bonitate et malitia formali omnino diversa valere ». — Differunt quidem bonitas et malitia ut duæ species moralitatis, sed præterea quod conveniant in ratione generica, utriusque speciei specificativum debet esse ejusdem generis. Utriusque speciei rationem formalem, qua maxime differunt, jam declaravimus, art. 2. Item plures adhuc aliquales differentiæ nobis remanent exponendæ, non tamen sufficientes ut dici possit : « De utraque omnino diversa valent. » Unde S. Thomas in citatis qu. 18, 19 et 20 simul tractat *de bonitate et malitia actuum humanorum*. Ad extremum, ut jam diximus, istam dismembrationem actus humani perduxit *Frins,* qui renuit considerare actuum humanorum elementa nisi separata et disjecta, quasi nihil commune haberent.

Ideo ad vitandum tale inconveniens et ut S. Thomæ vestigiis pressius insistamus, agemus 1° de moralitate actus humani in sua integritate sumpti (a. 7, 8 et 9); 2° de moralitate actus humani ex parte actuum interiorum (a. 10); 3° de moralitate actus humani ex parte actuum exteriorum (a. 11) et 4° tandem de extensione moralitatis (a. 12).

Tractantes de moralitate actus humani in sua integritate spectati, tria nobis sunt consideranda : 1° quinam sint fontes moralitatis (a. 7); 2° et cum sint plures fontes moralitatis, an idem actus possit habere plures simul species moralitatis (a. 8); et tandem 3° de indifferentia actuum humanorum (a. 9).

Porro per *fontes moralitatis* hic intelliguntur illa actus humani elementa, ex quibus ipse actus rationem obtinet convenientiæ vel disconvenientiæ cum regula morum. Quæ sunt tria : *objectum, circumstantiæ* et *finis*. Haud secus in operibus pictoriæ artis tres sunt fontes, ex quibus attenditur operis pulchritudo vel deformitas, sc. rerum depingendarum dispositio, delineatio et color[2].

*Conclusio* 1ª. **Prima moralitas actus humani attenditur ex objecto** (1ª 2æ, q. 18, a. 3).

166. *Declaratur*. Objectum aliquando intelligitur in sensu lato pro eo quod quomodocumque objicitur voluntati, sic et circumstantiæ et finis pertinent etiam ad objectum voluntatis, et in hoc sensu accepimus objectum supra (n. 127 et 132). Aliquando intelligitur objectum in

1. 1, q. 85, a. 3, ad 3. Cf. in 1 *Physic.*, l. 1, n. 9-11.
2. La composizione, il disegno, il colorito.

sensu strictiori, pro eo quod primo et per se attingitur a voluntate, et sic circumstantiæ opponuntur objecto, quia ut tales attinguntur tantum secundario.

In objecto proprie dicto duo comprehenduntur. 1° Etenim objectum idem est ac *finis operis*. Ita S. Thomas : « Objecta actuum sunt fines eorum[1]. » « Finis proximus (id est finis operis) actus est idem quod objectum[2]. » Sic amare et desiderare differunt objecto. 2° Objectum idem est ac *materia* circa quam versatur actus; sic quando amatur virtus vel studium, virtus vel studium est materia circa quam versatur amor, est objectum amoris. « Objectum non est materia ex qua, sed materia circa quam[3]. » Unde promiscue adhibentur ista verba : objectum, finis, materia :« Genus sive species actus moralis attenditur secundum materiam vel objectum[4]. » Et merito, quia de facto in idem reincidunt : « Objectum, etsi sit materia circa quam terminatur actus, habet tamen rationem finis secundum quod intentio fertur in ipsum[5]. » Et rursus : « Objecta, secundum quod comparantur ad actus exteriores, habent rationem materiæ circa quam : sed secundum quod comparantur ad actum interiorem voluntatis, habent rationem finium; et ex hoc habent quod dent speciem actui. Quamvis etiam secundum quod sunt materia circa quam, habeant rationem terminorum; a quibus motus specificantur, ut dicitur in 5 *Physic.* et in 10 *Ethic.* Sed tamen etiam termini motus dant speciem motibus, in quantum habent rationem finis[6]. »

Tandem objectum considerari potest vel in suo esse physico, quoad suam entitatem physicam; vel in suo esse morali, per respectum ad regulam morum : de qua distinctione jam diximus supra (n. 132) : « Fines morales accidunt rei morali, et econverso ratio naturalis finis accidit morali[7]. » Cf. n. 152.

Et ideo in conclusione intelligitur objectum stricte sumptum et quidem in suo esse morali spectatum, et de hoc objecto asserimus promanare in actum moralitatem primam.

167. *Probatur*. Bonum et malum actionis sicut et cæterarum rerum attenditur ex plenitudine essendi vel defectu ipsius. *Atqui*. Primum quod ad plenitudinem essendi pertinere videtur est id quod dat rei speciem. *Ergo*. Prima moralitas actionis attenditur secundum id quod dat actioni speciem. *Subsumo, Atqui*. Sicut res naturalis habet spe-

1. 1ª 2æ, q. 73, a. 3. ad 1.
2. *Malo*, q. 2, a. 4, ad 9; a. 6, ad 9; a. 7, ad 8.
3. 1ª 2æ, q. 18, a. 2, ad 2.
4. *Malo*, q. 10, a. 2.
5. 1ª 2æ, q. 73, a. 3, ad 1.
6. 1ª 2æ, q. 72, a. 3, ad 2.
7. 1ª 2æ, q. 1, a. 3, ad 3.

ciem ex sua forma, ita actio habet speciem ex objecto, sicut et motus ex termino. *Ergo*. Prima moralitas actus humani attenditur ex objecto convenienti vel non.

*Nota*. « Sicut prima bonitas rei naturalis attenditur ex sua forma quæ dat speciem ei : ita et prima bonitas actus moralis attenditur ex objecto convenienti, unde et a quibusdam vocatur bonum *ex genere*, puta uti re sua. Et sicut in rebus naturalibus primum malum est si res generata non consequitur formam specificam, puta si non generatur homo, sed aliquid loco hominis; ita primum malum in actionibus moralibus est quod est ex objecto, sicut accipere aliena. Et dicitur malum *ex genere*, genere pro specie accepto, eo modo loquendi quo dicimus humanum genus totam humanam speciem[1]. »

Unde actus bonus ex objecto, bonus ex genere, bonus ex sua specie vel secundum suam speciem, bonus secundum se, intrinsece bonus, sunt unum et idem, sicque declaratur a S. Thoma hæc bonitas : « *Ex genere* quidem dicitur esse actus bonus ex eo quod cadit supra debitam materiam; debita autem materia appetitus est bonum. Unde appetere quodcumque bonum est bonum *ex genere*[2]. » Et rursus : « Actus moralis recipit speciem ab objecto secundum quod comparatur ad rationem. Et ideo dicitur communiter quod actus quidam sunt boni vel mali ex genere, et quod actus bonus ex genere est actus cadens super debitam materiam, sicut pascere esurientem; actus autem malus ex genere est qui cadit super indebitam materiam, sicut subtrahere aliena : materia enim actus dicitur objectum ipsius[3]. »

Et cum bono debeatur prosecutio et malo fuga, prosequi bonum et fugere malum sunt actus cadentes super debitam materiam, et ideo boni; prosequi malum et fugere bonum sunt actus cadentes super indebitam materiam, et ideo mali. Et sic explicatur quomodo odium Dei sit actus malus. Materia enim propria circa quam versatur odium Dei non est malum Dei, ut existimavit *Cathrein*[4], sed Deus ut malum, et sic odium Dei est actus cadens super indebitam materiam.

Legendum est : actus bonus *ex genere*, et non actus bonus *in genere*, ut scribit *Frins*[5]. — Equidem, loco citato 2, d. 36, q. un. a. 5, ad 3, semel vel bis legitur bonum *in* genere, sed manifeste procedit ex mendo typographico, ut patet ex contextu. In hoc enim articulo, 17 vicibus scripsit S. Thomas bonus vel malus *ex* genere et lectio *bonus in genere* nullimode concordat nec cum contextu totius articuli nec maxime cum objectione quam S. Doctor solvere intendit.

1. 1ª 2æ, q. 18, a. 2.
2. *Quodlt.*, 4, a. 16.
3. *Malo*, q. 2, a. 4, ad 5.
4. *Philos. mor.*, n. 101, obj. 6.
5. *De actib. hum.*, t. II, n. 186.

*Corollarium.* Sic confutatur error *Kantii* qui renuit admittere moralitatem ex materia et omnem contendit moralitatem desumi ex forma, quatenus scilicet actus moralis procedit ex solo motivo reverentiæ ad legem universalem. — Sed contra, undenam dignoscetur actum, v. g. non licet mentiri, dignum esse ut prohibeatur a lege universali, nisi quia materia seu objectum mendacii habet in se turpitudinem.

168. *Conclusio* 2ª. **Aliquam moralitatem accipiunt actus humani ex circumstantiis** (1ª 2æ, q. 18, a. 3).

*Declaratur.* Qualem et quomodo ex circumstantiis recipiant actus moralitatem, exponetur infra n. 173; hic solum asseritur factum : accipiunt aliquam moralitatem.

*Probatur.* Bonum et malum actionis, sicut et aliarum rerum, attenditur ex plenitudine essendi vel defectu ipsius. *Atqui.* In rebus naturalibus non invenitur tota plenitudo perfectionis quæ debetur eis, ex forma substantiali quæ dat speciem, sed multum superadditur ex supervenientibus accidentibus : sicut in homine ex figura, ex colore et sic de aliis, quorum si aliquod desit ad decentem habitudinem, consequitur malum. *Ergo.* Etiam in actione, plenitudo bonitatis non tota consistit in sua specie, sed aliquid additur ex his quæ adveniunt tanquam accidentia quædam, id est ex circumstantiis debitis (n. 97). Unde si aliquid desit quod requiratur ad debitas circumstantias, erit actio mala.

169. *Conclusio* 3ª. **Actiones humanæ moralitatem accipiunt ex fine** (1ª 2æ, q. 18, a. 4).

*Declaratur.* Agitur hic de fine *operantis*, non de fine operis : « Finis proximus est idem quod objectum... Finis autem remotus ponitur ut circumstantia[1]. » Revera finis operantis est quædam circumstantia actus et ex hoc capite fini applicari possunt quæ de omnibus circumstantiis dicta sunt in conclusione præcedenti. Merito tamen specialis tribuitur consideratio huic circumstantiæ, tum propter principalitatem ejus (n. 100), tum quia moralitatis ex fine specialissimæ sunt conditiones, ut exponemus infra (n. 174).

*Probatur.* Eadem est dispositio rerum in bonitate et in esse. *Atqui.* Sunt quædam quorum esse ex alio non dependet (sic domus pendet quidem ab architecto quantum ad fieri, non quantum ad esse); et in his sufficit considerare ipsum eorum esse absolute. Quædam vero sunt, quorum esse dependet ab alio (sic aeris claritas pendet a sole non solum quantum ad fieri, sed etiam quantum ad esse); unde

1. *Malo,* q. 2, a. 7, ad 8.

oportet quod consideretur esse per comparationem ad causam a qua dependet. *Ergo*. Similiter sunt quædam quorum bonitas ex alio non dependet (sic eleemosyna est secundum se bona, blasphemia secundum se mala); et in his sufficit considerare ipsam eorum bonitatem absolute. Quædam vero sunt quorum bonitas dependet ab alio (sic ambulare ad juvandum alterum est bonum et ambulare ad furandum est malum, non ex se sed ab alio); unde oportet quod consideretur ipsorum bonitas per comparationem ad causam a qua dependet. *Subsumo, Atqui*. Sicut esse rei dependet ab agente et forma, sic bonitas rei dependet a fine. *Ergo*. Actiones humanæ (et alia quorum bonitas dependet ab alio : nam in Personis divinis quæ non habent bonitatem dependentem ab alio, non consideratur aliqua ratio bonitatis ex fine), — actiones igitur humanæ habent rationem bonitatis ex fine a quo dependent, præter bonitatem absolutam quæ in eis existit : sic eleemosyna facta propter amorem Dei, præter bonitatem absolutam quæ competit eleemosynæ secundum se, habet etiam bonitatem ex fine a quo dependet, id est ab amore Dei.

*Corollarium*. « Sic igitur in actione humana bonitas quadruplex considerari potest : Una quidem secundum genus, prout scilicet est actio, quia quantum habet de actione et entitate, tantum habet de bonitate (*bonitas physica*). Alia vero secundum speciem, quæ accipitur secundum objectum conveniens. Tertia secundum circumstantias, quasi secundum accidentia quædam. Quarta autem secundum finem, quasi secundum habitudinem ad bonitatis causam[1]. »

Quærit *Frins* an per hæc verba S. Thomæ significentur quatuor bonitates distinctæ, et respondet *negative*. « Docet S. Doctor quatuor in actu humano bono bonitates inveniri. Opinantur multi Thomistæ D. Thomam in sententia fuisse omnes has bonitates in eodem actu humano bono semper realiter distingui. Unde in particulari censent in actu humano moraliter bono posse et debere re et entitate distingui bonitatem quæ ipsi convenit, quatenus est præcise actus vel actio quædam physica ab ea bonitate quæ ipsi competit prout est actus humanus moraliter bonus ex objecto. Attamen merito opponit Suarez has S. Thomæ distinctiones nequaquam reales omnes esse, sed quod ad tres priores bonitates attinet, distinctiones esse in eodem actu bono meræ rationis, utut ipsa res de qua agitur ad eas distinctiones faciendas fundamentum præbeat[2]. »

*Respondeo*. Tum ex modo loquendi S. Thomæ, tum ex ipsa materia, manifestum est hic agi de quatuor bonitatibus realiter distinctis.

*a) Ex modo loquendi S. Thomæ*. Bonitas quadruplex dicit quatuor bonitates et quatuor bonitates non sunt una bonitas. Legantur verba parallela S. Thomæ : « Sicut in rebus naturalibus una perfectio alteri superadditur, sic ut quædam res habeant unam illarum et quædam duas, et sic deinceps, ita et in moralibus contingit

1. 1ª 2æ, q. 18, a. 4.
2. *De actibus humanis*, t. II, n. 13 (pag. 12 in *nota*).

in actu considerare aliquam perfectionem alii superadditam, ex quarum unaquæque dicitur actus bonus, et si aliqua illarum perfectionum desit, deerit bonitas quæ est secundum perfectionem illam, v. g. omnis actus in quantum est actus habet quamdam essentialem bonitatem, secundum quod omne ens bonum est (*bonum physicum*); sed in aliquibus actibus superadditur quædam bonitas ex proportione actus ad debitum objectum, et secundum hoc dicitur actus bonus ex genere, et ulterius ex debita commensuratione circumstantiarum, dicetur bonus ex circumstantia, et sic deinceps quousque perveniatur ad ultimam cujus actus humanus est susceptivus, quæ est ex ordine in finem ultimum per habitum gratiæ et caritatis[1] », id est de bonitate supernaturali, de qua non tractamus nunc. Unde dicit S. Thomas : « Omnis actus, in quantum est actus » habet bonitatem physicam, « sed in aliquibus actibus superadditur quædam bonitas » sc. bonitas moralis ex objecto. Sed bonitas hæc præcedenti superaddita non est eadem ac illa cui superadditur.

*b*) *Ex necessitate materiæ*. Ut notat S. Thomas : Nihil prohibet actioni habenti unam prædictarum bonitatum deesse aliam[2] », quia « subtracto posteriori nihilominus remanet prius ut in libro de Causis dicitur[3] ». — *Respondet Frins* : « Concedimus omnino in diversis actionibus fieri posse ut una bonitas sine alia inveniatur ; quod revera usuvenit in malis specifice actibus[4]. » — *Insto*. Quæ aliquando separata existunt possunt quidem uniri, non ita tamen ut una natura in alteram vertatur.

## ARTICULUS VIII

### *De concursu multiplicis moralitatis.*

#### § 1. — De multiplici moralitate in genere.

170. Triplex igitur moralitas in actu humano considerari potest, cum tres sint fontes moralitatis. Sed cum ens naturale in una tantum specie reponatur, dubitatur : an possint plures moralitatis species in uno actu morali reperiri.

*Conclusio* 1ª. **Non repugnat multiplex species moralitatis in uno actu morali** (1ª 2æ, q. 18, a. 10).

*Probatur*. In hoc differt actus in esse physico ab actu in esse morali quod prior specificatur per formam naturalem, alter per formam a ratione apprehensam : « In actibus humanis bonum et malum dicitur per comparationem ad rationem[5]. » *Atqui*. Forma naturalis est determinata ad unum, forma autem a ratione apprehensa non est determinata ad unum. *Ergo*. Ens quidem physicum non potest habere nisi unam formam specificam, ens autem morale non est ita determinatum,

1. 2, d. 41, q. 1, a. 2.
2. 1ª 2æ, q. 18, a. 4, ad 3.
3. 2, d. 41, q. 1, a. 2.
4. *De actibus humanis*, t. II, n. 46
5. 1ª 2æ, q. 18, a. 5.

sed quolibet dato, potest ulterius procedere. Sic tollere alienum habet speciem ex ratione alieni : ex hoc enim constituitur in specie furti ; sed tollere alienum de loco sacro addit specialem repugnantiam ad ordinem rationis, quia ratio ordinat injuriam non esse faciendam loco sacro.

*Confirmatur*. Idem et eodem ex principio contingit in speciebus artefactorum. Sic v. g. in musæis, sculptoriæ artis opera distinguuntur : ex parte materiæ, marmorea, ærea, lignea; ex parte modi : statuæ, anaglypha, sarcophagi; ex parte rei figuratæ : profana, religiosa; ex parte temporis : antiqua, recentia, moderna, quæ omnia ut tot species considerari possunt. Imo idem etiam contingit in rebus naturalibus, si considerentur ex parte accidentium : « secundum ea quæ rei adveniunt potest aliquid sub diversis speciebus contineri : sicut hoc pomum secundum colorem continetur sub hac specie, scilicet albi, et secundum odorem sub specie bene redolentis. Et similiter actus qui secundum substantiam suam est in una specie naturæ, secundum conditiones morales supervenientes ad duas species referri potest[1] ». Et hoc quia « esse morale comparatur ad naturam actus sicut quale ad substantiam. Sicut ergo non est inconveniens quod idem corpus sit album et dulce, quæ sunt diversæ species qualitatis et quod idem homo sit cæcus et surdus, qui sunt diversi defectus secundum speciem, ita non est inconveniens quod idem actus sit in diversis speciebus peccati aut virtutis[2] ».

Ad hoc dicit *Frins* : « Nunquam hoc docuit S. Doctor, eumdem actum voluntatis formaliter et perfecte moraliter bonum posse versari intrinsecus et immediate in duabus speciebus bonitatis moralis; ubi vero affirmare videtur contrarium, ibi semper agitur de una tantum specie intrinseca et immediata actus, alia vero species tantummodo actui superveniens et extrinseca est, quæ ei convenit ratione actus imperantis. Atque ita est de bonis actibus statuendum. Alia causa est et ratio malarum actionum[3]. » — *Respondeo*. Verba S. Thomæ sunt universalia et valent pro omnibus actibus humanis sive bonis sive malis, sive interioribus sive exterioribus : nam S. Thomam latuit violenta illa dismembratio actus humani quam propugnat *Frins*.

Ad textum q. 18, a. 7, ad 1, dicit *Frins* : « Hoc immerito affertur. Nam ne agitur quidem eo loci de proprie dicta moralitate actuum humanorum ut sic, sed de mera specificatione actus externi per accidens. Scilicet de ea specificatione actuum agitur, quæ actui externo per accidens propter imperium voluntatis a quo procedit, convenit[4]. » — *Respondeo*: Ergo, secundum *Frins*, moralitas ex fine non est proprie dicta moralitas? Certe non eamdem linguam loquimur.

1. 1ª 2æ, q. 18, a. 7, ad 1
2. *Malo*, q. 2, a. 6, ad 3.
3. *De actib. hum.*, t. II, n. 29.
4. *Ibid.*, n. 46.

171. *Conclusio* 2ª. **Idem actus humanus non potest simul esse bonus et malus.**

*Declaratur.* Ex præcedenti conclusione constat eumdem actum posse habere simul plures species bonitatis vel malitiæ, sed quærimus nunc utrum possit habere simul bonitatem et malitiam.

*Probatur.* Ut sit actus simpliciter bonus, requiritur bonitas ex omni parte; ut sit simpliciter malus, sufficit malitia ex quacumque parte. *Declaratur* exemplo sanitatis, vel sagittæ. Ut homo dicatur sanus, requiritur perfectio in omnibus partibus corporis; ad ægritudinis vero rationem sufficit defectus ex una parte. Item, sagittam contingit attingere scopum in uno, deficere vero in multis, sc. vel a dextris vel a sinistris, vel a supra vel ab infra, etc...

*Corollarium.* Unde etiam in moralibus verificatur axioma : Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu (Dionys., *De Nominibus divinis*, c. 4).

172. *Conclusio* 3ª. **Actus malus ex uno capite non necessario privatur omni bonitate ex aliis capitibus.**

*Declaratur.* Malus est actus ex quocumque defectu, sed utrum ista malitia destruat omnem bonitatem forte provenientem ex aliis fontibus moralitatis. Controvertitur inter Thomistas, sed controversia est potius de modo loquendi quam de ipsa re.

*Probatur conclusio* auctoritate S. Thomæ. « Nihil prohibet actioni habenti unam prædictarum bonitatum deesse aliam, et secundum hoc contingit actionem quæ est bona secundum speciem vel circumstantias ordinari ad finem malum vel econverso[1]. » Et : « Contingit actum habere bonitatem ex materia, et tamen eum male fieri propter indebitas circumstantias[2]. » Rationem vero tradit S. Doctor : quia « subtracto posteriori nihilominus remanet prius, ut in libroede Causis dicitur[3] ». Eadem tamen de causa concedimus omni bonitate carere actum non malum ex objecto, qui fieret ex causa totali mala, quia præcedens intentio mala privat omni bonitate ea quæ sequuntur.

### § 2. — De moralitate ex parte circumstantiarum (1ª 2æ, q. 18, a. 10 et 11).

173. *Conclusio* 1ª. **Omnis circumstantia addens novum respectum ad rationem addit novam speciem moralitatis.**

1. 1ª 2æ, q. 18, a. 4, ad 3.
2. 2, d. 36, q. un., a. 5.
3. 2, d. 41, q. 1, a. 2.

*Probatur*. Moralitas dicitur per respectum ad rationem. *Ergo*. Quidquid addit novum respectum ad rationem addit novam speciem moralitatis.

*Conclusio* 2ª. **Ex circumstantiis 1° aliæ sunt ad moralitatem impertinentes; 2° aliæ addunt novam bonitatem vel malitiam specie distinctam; 3° aliæ augent vel minuunt eam in eadem tamen specie.**

*Probatur*. Moralitas dicitur per respectum ad rationem. *Atqui*. 1° Quædam circumstantiæ nullum dicunt respectum ad rationem : sic in homicidio, si persona occisa sit vir vel mulier, non est diversa deordinatio. Quæ tamen differentia sexus mutaret speciem in peccatis luxuriæ. 2° Aliæ circumstantiæ addunt novum respectum ad rationem, v. g. furtum sacrilegum. 3° Aliæ vero augent vel minuunt in eadem specie, sic furari multum vel furari parum.

*Quærit Frins*, an dentur circumstantiæ *imminuentes* et facta distinctione inter circumstantias quas dicit subjectivas (de quibus non potest haberi dubium, sic v. g. minuitur bonitas vel malitia actus peracti ex metu), et circumstantias quas dicit objectivas, de his respondet : « Hic statim dicamus quod res habet : ejusmodi circumstantias imminuentes, quamvis interdum ita loquamur, nihilominus proprie loquendo nullas esse[1]. » — *Sed contra*. Non solum nos interdum ita loquimur, sed omnes ita loquuntur. Quærit S. Thomas[2] an furtum sit peccatum mortale, et respondet furtum esse peccatum mortale. Attamen cum hoc stat furtum materiæ levis esse peccatum veniale. Ergo, parvitas materiæ minuit gravitatem peccati ; parvitas autem materiæ est circumstantia objecti.

*Conclusio* 3ª. **Circumstantia tribuens novam speciem moralem dicitur transire in conditionem objecti.**

*Probatur*. « Sicut actus in communi (id est in esse physico) recipit speciem ab objecto (physico), ita actus moralis recipit speciem ab objecto morali. Non tamen propter hoc excluditur quin recipiat speciem per circumstantias[3] », quia circumstantia dat speciem in quantum mutatur in principalem conditionem objecti. Quod contingit dupliciter. Aliquando enim species ex circumstantia comparatur ad peccatum præintellectum, ut species ad genus, sicut sacrilegium ad furtum vel adulterium ad fornicationem, et tunc circumstantia consideratur ut conditio ipsius objecti. Aliquando vero species ex circumstantia non est species peccati præintellecti, sed est quædam alia species disparata : tunc circumstantia consideratur non ut conditio objecti, sed ut objectum alterius actus circumstantis ; sicut si aliquis mœchatur ut furetur,

1. *De actib. hum.*, t. II, p. 171, 172.
2. 2ª 2æ, q. 66, a. 6.
3. *Malo*, q. 2, a. 6, ad 2.

additur quædam alia species peccati propter actum intentionis tendentem in malum finem, qui est objectum intentionis.

### § 3. — De moralitate ex parte finis.

174. *Conclusio* 1ª. **Actus humanus specificatur a fine, — tanquam a principio formali** (1ª 2æ, q. 18, a. 6).

*Probatur* 1ª *pars.* Prima et specifica moralitas actus desumitur ab objecto. *Atqui.* In actu humano est duplex actus : interior sc. et exterior. *Ergo.* Specifica moralitas desumitur ab objecto utriusque actus. *Subsumo, Atqui.* Objectum actus interioris est finis operantis et objectum actus exterioris est proprium objectum (id est finis operis et materia circa quam). *Ergo.* Actus humanus specificatur et a fine et ab objecto.

*Probatur* 2ª *pars.* Illud est formale quod pendet a potentia superiori (n. 113). *Atqui.* Voluntas est potentia superior, quia ad agendum utitur membris ut instrumentis : unde actus exteriores non habent rationem moralitatis nisi in quantum sunt voluntarii. *Ergo.* Moralitas ex fine procedit tanquam ex principio formali.

*Corollarium.* Ideo actus humani species formaliter consideratur secundum finem, materialiter autem secundum objectum exterioris actus. Unde Philosophus dicit in 5 *Ethic.*, quod ille qui furatur ut committat adulterium, est per se loquendo magis adulter quam fur.

175. *Conclusio* 2ª. **Quando non differt finis operantis ab objecto, unica est differentia specifica, — et quidem ex objecto proveniens** (1ª 2æ, q. 18, a. 7).

*Probatur* 1ª *pars,* quia utriusque actus, interioris scilicet et exterioris, unum et idem est objectum. Unde quoad rem unica est differentia specifica. Ratione tamen distingui potest duplex, ideo quæritur in 2ª parte utrum differentia specifica desumatur ab objecto vel a fine.

*Probatur* 2ª *pars.* Tanto magis specifica est differentia quanto sumitur a forma magis particulari. *Atqui.* Differentia specifica ex fine est forma magis generalis, et differentia ex objecto magis particularis. *Ergo.* Differentia specifica desumitur ex objecto.

*Probatur minor.* Tanto est forma magis universalis quanto agens est magis universale. *Atqui.* Voluntas quæ respicit finem est principium magis universale quam principium immediatum actus exterioris. *Ergo.*

*Probatur* 2ª *minor.* Tanto magis universale est agens quanto finis est posterior (sicut v. g. victoria, quæ est ultimus finis exercitus est finis intentus a summo duce ; ordinatio autem hujus aciei vel illius est

finis intentus ab aliquo inferiorum ducum). *Atqui.* Finis voluntatis est altior quam finis potentiæ executivæ, cum sit bonum universale. *Ergo.*

176. *Conclusio* 3ª. **Quando differt finis operantis ab objecto, duæ sunt differentiæ specificæ disparatæ; — sed moralitas essentialis pendet ab objecto.**

1ª *pars probata est* n. 174. Dicuntur duæ species *disparatæ,* quia ex se non pendet una ab altera.

*Probatur* 2ª *pars.* Ex duobus quæ competunt actui, illud competit essentialiter quod procedit ex principio immediato actus (n. 110). *Atqui.* Moralitas ex parte objecti procedit ex principio immediato actus, et moralitas ex parte finis ex principio remoto. *Ergo.* Moralitas essentialis pendet ab objecto. Unde Aristoteles (loco cit. in concl. 1ª) non dixit furtum, si patretur propter adulterium, esse magis adulterium quam furtum : furtum enim est essentialiter furtum, sed cum ulterius informetur ex fine agentis, ideo ipse homo agens dicitur magis adulter quam fur.

Moralitas ex fine a quibusdam dicitur *extrinseca.* Ita *Cathrein :* « Thesis XVIII. Actus interior etiam ex fine accipere potest bonitatem accidentalem extrinsecam[1]. » — *Sed contra,* quando aliquis *vult* ambulare ad furandum, volitio est mala ex fine. Ista tamen malitia, licet sit aliquo modo extrinseca objecto volito, non est extrinseca volitioni : « quamvis finis sit causa extrinseca, tamen debita proportio ad finem et relatio in ipsum inhæret actioni[2] ». Sicut et de aliis circumstantiis admittit ipse *Cathrein :* « Thesis XVII. Actus interior etiam a circumstantiis accipit bonitatem formalem *intrinsecam* et accidentalem[3]. » Et tamen paulo supra inferebat « eumdem numero actum non posse simul habere plures species honestatis intrinsecæ[4] ».

## ARTICULUS IX

### *De indifferentia actuum humanorum* (1ª 2æ, q. 18, a. 8 et 9).

177. Quæritur hic an dentur actus humani indifferentes, id est qui nec boni sint nec mali? Huic quæsito plerique auctores respondent cum *S. Thoma :* Dari actus indifferentes ex sua specie, non vero indifferentes in individuo. Juxta *Scotum :* non dantur indifferentes ex specie, sed dantur in individuo. Juxta *Vasquez :* dantur indifferentes et ex specie et in individuo.

Dicitur actus indifferens *secundum speciem,* quando consideratur ejus objectum universaliter et in abstracto; *in individuo,* quando consideratur actus realiter existens in concreto.

1. *Philos. mor.*, n. 105.
2. 1ª 2æ, q. 18, a. 4, ad 2.
3. *Philos. mor.*, n. 102.
4. *Ibid.*, n. 101.

*Conclusio* 1ª. **Dantur actus humani indifferentes ex sua specie.**

*Probatur.* Cum actus humani desumant suam speciem ab objecto moraliter considerato, actus qui habent objectum bonum sunt boni; qui malum, mali; qui indifferens, indifferentes. *Atqui.* Quidam actus humani habent objectum indifferens, v. g. ambulare, aperire januam, etc... *Ergo.*

178. *Conclusio* 2ª. **Impossibile est dari actum indifferentem in individuo.**

*Probatur.* Actus in individuo est actus cum omnibus circumstantiis individuantibus. *Atqui.* Impossibile est actum manere indifferentem sub omnibus circumstantiis individuantibus, quia saltem ex fine determinabitur ad bonum vel ad malum. *Ergo.*

*Probatur minor.* Omnis actus humanus vel ordinatur ad honestum finem, vel non ordinatur. *Atqui.* Actus ordinatus ad debitum finem est bonus, secus erit malus. *Ergo.*

*Dices :* Nullum dari præceptum agendi propter honestum finem. — *Respondeo.* Omnis actus humanus fieri debet humano modo et consequenter propter finem (n. 40) et quidem finem convenientem rationi, id est honestum.

Addit tamen *Castelein :* « Nous devons toutefois reconnaître avec Duns Scot qu'il y a nombre d'actes libres qui, par défaut involontaire d'advertance, se font sans qu'il y ait la moindre idée même virtuelle de notre fin; mais ces actes ne doivent pas être considérés dans leur détail comme étant vraiment *conscients et libres au point de vue moral*. Tels sont les milliers d'actes intellectuels qui entrent dans la trame d'une étude scientifique[1]. » Ex dictis supra de conditionibus actus moralis (n. 119), non facile intelligitur quomodo actus possit esse liber, quin sit liber sub respectu morali. In casu, dicti actus intellectuales sunt voluntarii in causa et hoc sufficit ad rationem moralitatis.

179. *Conclusio* 3ª. **Agere propter solam delectationem est moraliter malum.**

*Declaratur.* Adversus conclusionem præcedentem dubium remanere potest ex operationibus ludicris et ex illis quæ fiunt propter delectationem, quæ videntur habere finem indifferentem. — Ludus quidem, si ordinate fiat, est actus bonus cum tendat ad ulteriorem finem bonum v. g. ad sanitatem, vel ad fructuosius studendum. Hic agitur de actionibus quæ fiunt propter solam delectationem.

*Probatur.* Ratione S. Thomæ, *Cont. Gent.*, l. 3, c. 26[2]. Rectus ordo

1. *Morale* (1904), p. 332.
2. Cf. l. 4, c. 83; 2, d. 38, q. 1, a. 2, ad 6.

rerum convenit cum ordine naturæ : nam res naturales ordinantur in suum finem absque errore. *Atqui.* In naturalibus est delectatio propter operationem et non e converso : videmus enim quod natura illis operationibus animalium delectationem apposuit quæ sunt manifeste ad fines necessarios ordinatæ, sicut in usu ciborum qui ordinatur ad conservationem individui et in usu venereorum qui ordinatur ad conservationem speciei ; nisi enim adesset delectatio, animalia a prædictis usibus necessariis obstinerent. *Ergo.* Ordinare operationem ad delectationem est contra rerum ordinem.

*Confirmatur,* ex propositionibus damnatis ab Innocentio XI, 2 mart. 1679 : 8ª *Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modo non obsit valetudini; quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* 9ª *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali*[1].

180. Tandem quæri potest : Utrum actus indifferens sit quædam tertia species actus moralis, an econtra actus moralis adæquate dividatur per actum bonum et malum ? Dissentiunt auctores, etiam inter Thomistas. In hoc conflictu, sit conclusio nostra :

*Conclusio 4ª.* **Si consideretur moralitas ex parte solius objecti, dividitur in tres species, quæ sunt actus ex specie sua bonus, vel malus, vel indifferens. — Si vero consideretur actus moralis, prout realiter existit in concreto, tunc genus adæquate dividitur in duas species, quæ sunt actus bonus et actus malus.**

1ªm *partem* docet S. Thomas : « Sunt ergo tres differentiæ actuum humanorum : quidam sunt boni ex genere suo... quidam autem sunt actus mali ex genere suo... quidam vero ex genere suo sunt actus indifferentes[2]. » Et : « Si ergo loquamur de actu morali secundum suam speciem, sic non omnis actus moralis est bonus vel malus, sed aliquis indifferens[3]. » — 2ª *pars* sequitur ex conclus. 2ª.

Et sic conciliantur duæ sententiæ. Moralitas ex parte solius objecti dicit quidem rationem genericam, sed incompletam, sicut actus indifferens ex genere suo dicit speciem incompletam ; et ideo non est inconveniens si neque hoc genus, neque hæc species possint esse realiter.

1. Denzinger, n. 1158, 1159.
2. 1ª 2æ, q. 94, a. 2.
3. *Malo,* q. 2, a. 5.

## ARTICULUS X

### *De moralitate actuum interiorum.*

Per actus interiores intelliguntur hic actus eliciti a voluntate, sed principaliter intentio et electio : nam ad intentionem reducitur simplex volitio, itemque reducitur consensus ad electionem ; usus activus consideratur cum actu imperato et tandem fruitio ex se non habet moralitatem distinctam a præcedentibus motibus.

#### § 1. — De intentione et electione absolute

(1ª 2æ, q. 19, a. 1 et 2).

Cum tres sint fontes moralitatis : objectum, circumstantia et finis, considerandum est quomodo se habeant ad producendam moralitatem in actibus elicitis voluntatis.

181. *Conclusio* 1ª. **Bonum et malum in actibus elicitis voluntatis proprie attenditur secundum objecta** (1ª 2æ, q. 19, a. 1).

*Probatur.* Bonum et malum sunt per se differentiæ actus voluntatis : nam bonum et malum per se ad voluntatem pertinent; sicut verum et falsum ad rationem cujus per se distinguitur differentia veri et falsi, prout dicimus opinionem esse veram et falsam. *Atqui.* Differentiæ per se constituunt differentiam secundum speciem. *Ergo.* Voluntas bona et mala sunt actus differentes secundum speciem. *Subsumo, Atqui.* Differentia speciei in actibus est secundum objecta. *Ergo.*

Circa hoc argumentum, insolubilem difficultatem sibi objicit *Frins*, occasione comparationis allatæ de actu bono vel malo et de opinione vera vel falsa : « Nostra assertio fuit bonum moraliter et formaliter actum per ipsam suam physicam essentiam et constitutionem esse bonum, unde semper est bonus nec potest sua bonitate spoliari[1]... Sed hæc si ita revera sunt, quomodo valet comparatio a S. Thoma instituta inter actum moraliter bonum et actum opinativum verum, quorum unus est per essentiam bonus, alter invariata physica essentia actus potest esse modo verus modo falsus? Revera non video, quomodo S. Doctoris comparatio prorsus ad rem sit[2]. » — *Respondeo.* Derelinquat *Frins* suam assertionem circa identitatem boni moralis cum entitate physica et cessabit difficultas. Inde tamen suspicari potuisset se non assecutum fuisse mentem S. Thomæ in hoc loco et non scripsisset : « Hæc, in-

1. Profundissima animadversio : « actus bonus semper est bonus nec potest sua bonitate spoliari », sicut homo vivens semper est vivens, nec potest sua vita spoliari, subintellige : quamdiu erit vivens.

2. *De actibus humanis*, t. II, p. 188, nota.

quam, per se luculenta possunt videri pro sententia bonum et malum esse differentias essentiales actuum moralium simpliciter et non tantum secundum quid, quatenus sc. morales sunt. » Ergo, secundum *Frins,* actus morales, quatenus morales, non sunt actus morales simpliciter, sed secundum quid?

Insuper, doctrinam hanc S. Thomæ existimat *Frins* non valere pro actu electionis : « Dico 2°. Electio stricte dicta et pura totam formalem suam et specificam bonitatem a solo fine intentionis repetit, nullo modo a medio electo[1]. » Quod est dicere electionis bonitatem non pendere ab objecto, cum electio sit actus voluntatis circa media. Et declaratur exemplo : « Si v. g. jejunium, eleemosyna, etc. reapse exercentur, hi actus externi habent bonitatem formalem moralem tantum ab actu electionis (*forsan scribere voluit* intentionis) seu ab actu imperante, quo eos nobis actus ad finem nobis propositum volumus et imperamus, in casu allato ab uno actu caritatis Dei. Sunt actus externi caritatis Dei[2]. » — *Respondeo.* Prorsus contrarium docet S. Thomas : « pascere esurientem proter Deum est pascere esurientem, sed non convertitur[3] ». Et hoc propter rationem universalem : « Bonitas physica substernitur omnibus aliis bonitatibus, inter quas primo supervenit sibi bonitas quæ est ex debita materia, super quam iterum inducitur alia bonitas quæ est ex fine et aliis circumstantiis... et secunda bonitate substracta non potest esse tertia, sed tamen posita secunda, non necessario tertia ponitur[4]. »

— Lepidum exemplum hic referre juvat ut innotescat quomodo a P. *Frins* tractetur scholastica terminologia. Cum enim proposuisset : « *Corollarium.* Ergo physica et substantialis entitas bonæ et puræ electionis uno fine intentionis et intendentis specificatur et determinatur[5] », sibi objicit : « *Dices* 4° : Differunt essentialiter inter se actus intentionis et actus electionis. At si uterque actus eodem formali objecto utitur, id locum habere non potest. E go dicendum objectum formale electionis ab objecto formali intentionis re discrepare »; et respondet : « *Respondetur* 1° *nego suppositum,* quasi omnis essentialis in actibus voluntatis differentia proveniat ab uno objecto formali actus; provenit etiam ex aliis fontibus, v. g. a vario modo tendendi actus in idem objectum, v. g. num sit simplex voluntas, intentio, etc... *Respondeo* 2° non adeo certum esse id quod in majore asseritur : duos hos actus inter se essentialiter differre. *Respondetur tandem* 3° etiam minorem valde dubiam esse; utut enim uterque actus idem objectum formale habet, ipsum tamen diverso plane modo materiale objectum actus informat. Nam quando appetimus finem ut talem seu actu intentionis, formale objectum simul ipsum materiale objectum actus est, sive ratio cur appetimus identificatur cum eo quod appetimus; in medio vero appetendo et in electione objectum materiale actus a fine formalique objecto actus re differt. Hæc autem in habendo eodem objecto formali diversitas, modo intrinsecus et per identitatem, modo vero tantum extrinsecus per quamdam applicationem vel participationem, ex multorum sententia prorsus sufficit, ut actus circa ejusmodi diversa materialia objectum versantes vero aliquo modo essentialiter inter se differant, utut eodem simpliciter objecto formali utuntur. Huic ultimo responso hic inhæremus. » — Sed contra. *Ad* 1^am^ *responsionem dico :* negat *Frins* quod ab omnibus admittitur, scilicet : actus voluntatis specificari ex solo objecto formali, et hoc quia recedit ab universaliter

1. *De Actibus humanis,* t. II, n. 265.
2. *Ibid.,* n. 261.
3. 2, d. 36, q. un., a. 5, ad 1.
4. *Ibid.,* in c.
5. *De Actibus humanis,* t. II, n. 265.

recepta et vera distinctione inter objectum materiale et objectum formale : objectum materiale est id quod attingitur, objectum formale est id per quod attingitur objectum materiale. Iste vero *alius fons* de quo loquitur, sc. *varius modus tendendi actus in idem objectum* est ipsummet objectum formale Scholasticorum. *Ad* 2^am^ *responsionem dico* intentionem et electionem inter se essentialiter differre, eo quod habeant objectum formale specifice diversum : intentio enim habet pro objecto formali finem, et electio media. *Ad* 3^am^ *responsionem dico* errorem procedere ex confusione inter objectum formale quoad esse physicum, vel quoad esse intentionale, vel quoad esse morale. Sed ut jam diximus (n. 135) objectum formale quoad esse intentionale vel morale, potest esse objectum materiale in esse physico. Quoad esse physicum, intentio habet pro objecto formali finem et electio media. Ergo. Stat conclusio : dicendum objectum formale electionis ab objecto formali intentionis re discrepare.

182. *Conclusio* 2^a^. **Moralitas actuum interiorum voluntatis dependet ex solo objecto** (1^a^ 2^æ^, q. 19, a. 2).

*Declaratur*. Sensus non est : circumstantias et finem omnino impertinentes esse ad moralitatem actuum interiorum, quod esset omnino falsum, ut dicemus in Corollariis modo, et in § seq. Sic igitur debet intelligi citatus articulus S. Thomæ : Actus interior nonnisi ab objecto, id est a volito, moralitatem recipit *immediate*, et in hoc differt actus interior tum ab actu exteriori, tum ab actu humano in sua integritate spectato, qui suam moralitatem recipiunt ab objecto, circumstantiis et fine, tanquam a tribus fontibus disparatis independentibus; unde dari potest actus exterior bonus ex objecto, malus ex circumstantiis vel fine. Non vero dari potest actus interior bonus ex objecto et malus ex circumstantia : « supposito quod voluntas sit boni, nulla circumstantia potest eam facere malam[1] ». Circumstantia igitur mala malum faciet volitum, id est objectum voluntatis et nonnisi *mediante objecto* malum reddet actum interiorem, quod non contingit in actu exteriori. Ideo asserimus : moralitatem actus eliciti pendere a solo objecto immediate.

Insuper agitur hic tantum de moralitate specifica, nam ut infra (n. 183) dicemus, circumstantia intensitatis vel durationis valet ad augmentum bonitatis vel malitiæ.

*Probatur*. In quolibet genere, quanto aliquid est prius, tanto est simplicius et in paucioribus consistens : et ideo invenimus quod ea quæ sunt prima in quolibet genere sunt aliquo modo simplicia et in uno consistunt. *Atqui*. Principium bonitatis et malitiæ humanorum actuum est ex actu voluntatis. *Ergo*. Bonitas et malitia voluntatis secundum aliquid unum attenditur, aliorum vero actuum bonitas et malitia potest secundum diversa attendi. *Subsumo, Atqui*. Illud unum

1. *De Actibus humanis*, ad 2.

quod est principium in quolibet genere, non est per accidens sed per se : quia omne quod est per accidens, reducitur ad id quod est per se, sicut ad principium. *Ergo*. Bonitas voluntatis ex solo uno illo dependet, quod per se facit bonitatem in actu, scilicet ex objecto : et non ex circumstantiis, quæ sunt quædam accidentia actus.

*Corollarium* 1^m. **Non desumitur ex circumstantiis.** Cum objectum malum reddat actum simpliciter malum, solum remanet dubium : an volitio boni, ex mala circumstantia possit fieri mala? Respondet S. Thomas : Negative : « Supposito quod voluntas sit boni, nulla circumstantia potest eam facere malam[1]. » Et probatur : « Quod ergo dicitur quod aliquis vult aliquod bonum quando non debet vel ubi non debet, potest intelligi dupliciter. Uno modo, ita quod ista circumstantia referatur ad volitum. Et sic voluntas non est boni : quia velle facere aliquid quando non debet fieri, non est velle bonum. Alio modo, ita quod referatur ad actum volendi. Et sic impossibile est quod aliquis velit bonum quando non debet, quia semper homo debet velle bonum : nisi forte per accidens, in quantum aliquis, volendo hoc bonum, impeditur ne tunc velit aliquod bonum debitum. Et tunc non incidit malum ex eo quod aliquis vult illud bonum; sed ex eo quod non vult aliud bonum. Et similiter dicendum est de aliis circumstantiis. »

Non recte igitur S. Thomæ doctrina exponitur a *Cathrein* qui cum proposuisset Thesim : « *Actus interior etiam a circumstantiis accipit bonitatem formalem intrinsecam et accidentalem*[2] » addit : « *Obj.* Secundum S. Thomam bonitas actus interioris dependet ex solo objecto. Ergo non ex circumstantiis. *Resp.* Angelicus, ut ex ipso articulo laudato patet, sumit objectum latiore sensu pro tota re in quam voluntas fertur et sic comprehendit circumstantias[3]. » — *Sed contra*. S. Thomas non solum asserit moralitatem pendere a solo objecto, sed etiam explicite excludit circumstantias : « Et ideo bonitas voluntatis ex solo uno illo dependet quod per se facit bonitatem in actu, sc. ex objecto, *et non ex circumstantiis*, quæ sunt quædam accidentia actus[4]. »

*Corollarium* 2^m. « **Quantum ad actum voluntatis, non differt bonitas quæ est ex objecto, a bonitate quæ est ex fine,** sicut in actibus aliarum virium (et ratio est quia finis est objectum voluntatis, non autem aliarum virium) : nisi forte per accidens, prout finis dependet ex fine et voluntas ex voluntate[5]. »

Quid sit : *finem dependere ex fine et voluntatem ex voluntate*, declaratur hic a

1. *De Actibus humanis*, ad 2.
2. *Philosophia moralis*, n. 102.
3. *Ibid.*, n. 104.
4. 1ª 2æ, q. 19, a. 2.
5. *Ibid.*, ad 1.

Cajetano : « In responsione ad 1^m, adverte ultima verba et scito quod tria insinuant. Primo, quod differt tunc bonitas objecti a bonitate finis in actu voluntatis, quando finis pendet ex fine. Secundo, quod tunc etiam differt, quando voluntas pendet ex voluntate. Tertio, quod utrumque horum est per accidens. — Primum significat quod, quando sunt plures fines per se subordinati et voliti simul, ut cum quis vult medicinam sanativam propter adeundam militiam propter victoriam; formalis bonitas objecti, puta esse sanum, differt a bonitate alterius finis, puta militiæ. — Secundum vero, quod quando voluntas unius finis, puta adulterii, dependet ex voluntate alterius per accidens finis prioris, puta furti, ut cum quis vult adulterari ut furetur; malitia quoque objecti, puta adulterii, differt a malitia finis, puta furti. — Tertium autem, scilicet quod utrumque horum est per accidens, significat quod accidit actui voluntatis differentia hæc bonitatis utroque modo : quia accidit fini subordinari alteri fini, et accidit voluntati dependere ex alia voluntate, sicut accidit moventi quod moveatur. Nisi enim accideret, omni fini et omni volitioni conveniret. »

### 183. *Quæres.* Utrum circumstantia intensitatis vel durationis augeat moralitatem intentionis?

*Respondeo. Affirmative.* Ita S. Thomas : *a*) de duratione : Aliquando « voluntas est diuturnior in bono vel malo : et secundum hoc est pejor vel melior[1] ». — *b*) de intensitate : « Constat autem quod quanto voluntas intensius tendit in bonum vel malum, tanto est melior vel pejor[2]. » Unde « qualitercumque sit inæqualitas voluntatis, est inæqualitas peccati[3] », vel virtutis.

Id tamen negat *Frins* quoad durationem : « Dico 1° : Duratione actus formalis et intrinseca bonitas, si stricte loquimur, non augetur. Huic asserto plures videntur contradicere, quorum contradictio est mere apparens. Illi enim non stricte loquuntur et pro eodem sumunt augeri bonitatem intrinsecam formalem actus et augeri ejus virtutem moralem : quæ tamen duo, ut supra ostendimus, non idem sunt[4]. » — *Respondeo.* Econtrario, proprie loquuntur qui pro eodem sumunt bonitatem vel valorem moralem actus, et improprie loquitur *Frins* dum confundit valorem moralem actus cum ejusdem valore meritorio. Equidem valor meritorius est quidam valor ordinis moralis, cum non sit valor ordinis physici, sed non est valor moralis simpliciter. Valor moralis simpliciter attenditur per respectum ad moralitatem : scientiarum enim practicarum proprium est quod habeant judicia circa valorem (n. 11) et valor quem respicit Ethica est valor moralis actuum seu moralitas.

*Prosequitur Frins :* « *Probatur assertum unico argumento.* Intrinseca et formalis bonitas actus voluntatis re prorsus idem est cum actus boni physica essentia. » — *Respondeo statim : Nego majorem*, quia moralitas non est idem ac physica entitas actus.

1. 1ª 2æ, q. 20, a. 4.
2. *Ibid.*,
3. *Malo*, q. 2, a. 2, ad 8.
4. *De actib. hum.*, t. II, n. 239.

### § 2. — De intentione et electione, per respectum ad invicem.

Duo sunt casus possibiles : 1° intentio bona et electio mala ; 2° intentio mala et electio bona.

#### I. Intentio bona et electio mala.

184. *Conclusio* 1ª. **Præcedens intentio bona ex sequenti electione mala non vitiatur; — actus tamen erit simpliciter malus.**

1ª *pars a) declaratur.* Dicitur « præcedens », quia si iteretur intentio post electionem malam, tunc ista altera intentio ex prava electione vitiabitur; — *b) probatur,* quia intentio habet suam moralitatem determinatam antequam existat electio.

2ª *pars probatur,* quia malum ex quocumque defectu.

*Conclusio* 2ª. **Prava electio ex bona intentione non cohonestatur; — unde finis non justificat media.**

*Probatur.* 1° quia malum ex quocumque defectu; prava autem est electio ex objecto malo. — 2° Rom., III, 8 : *Et non (sicut blasphemamur et sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala ut eveniant bona : quorum damnatio justa est.* Ex quo liquet antiquam esse calumniam inimicorum Christiani nominis, qui nobis exprobrant axioma *Finis justificat media,* quasi sit doctrina nostra.

*Conclusio* 3ª. **Pravæ electionis malitia ex bona intentione aliqualiter minuitur.**

*Probatur.* Qui enim furatur ex solo motivo faciendi eleemosynam, ostendit se non habere voluntatem adeo affectam ad malum furti, sicut qui furatur ex motivo furti.

#### II. Intentio mala et electio bona.

185. *Conclusio* 1ª. **Electio bona ex prava intentione vitiatur** (1ª 2æ, q. 19, a. 7).

*Probatur.* « Voluntas non potest dici bona, si sit intentio mala causa volendi. Qui enim vult dare eleemosynam propter inanem gloriam consequendam, vult id quod de se est bonum sub ratione mali, et ideo prout est volitum ab ipso est malum. Unde voluntas ejus est mala[1]. »

*Nec dicatur :* actum interiorem esse bonum vel malum ex solo ob-

1. Ad 2.

jecto et non ex fine (n. 182). — *Respondeo* « tunc ordo ad finem consideratur ut ratio quædam bonitatis ipsius voliti[1] », et ideo electio mala est immediate ex volito malo, ipsum vero volitum malum est ex fine.

*Conclusio* 2ª. **Prava intentio ex honesta electione non rectificatur.**

*Probatur,* quia in se est determinate mala ante electionem; unde electio medii honesti faciet quidam actum minus malum quam si eligatur medium inhonestum, sed non potest immutare moralitatem præcedentis intentionis.

*Conclusio* 3ª. **Mala tamen intentio partialis, ac præcipue concomitans, non totaliter vitiat actionem.**

*Probatur,* v. g. si quis agendo admittat levem cogitationem vanæ gloriæ.

### § 3. — De conformitate ad divinam voluntatem.

186. *Conclusio* 1ª. **Voluntas, ut sit bona, debet conformari voluntati divinæ** (1ª 2æ, q. 19, a. 9).

*Probatur.* Requiritur ad bonitatem humanæ voluntatis quod ordinetur ad summum bonum. *Atqui.* Voluntas humana ordinatur ad summum bonum per hoc quod conformatur divinæ voluntati. *Ergo.*

*Probatur major.* Bonitas voluntatis dependet ex intentione finis. *Atqui.* Finis ultimus voluntatis humanæ est summum bonum, quod est Deus. *Ergo.*

*Probatur minor.* Summum bonum primo et per se ordinatur ad voluntatem divinam, cujus est objectum proprium. *Atqui.* Primum in quolibet genere est mensura et ratio omnium quæ sunt illius generis. *Ergo.* Summum bonum a Deo volitum est mensura omnium volitorum. *Subsumo, Atqui.* Unumquodque rectum et bonum est in quantum attingit ad propriam mensuram. *Ergo.* Recta ordinatio voluntatis humanæ consistit in ejus conformatione ad voluntatem divinam.

*Corollarium.* Inde urgentia monita Asceticorum, circa praxim conformitatis ad divinam voluntatem.

187. Ex parte objecti, in duobus attendi potest conformitas voluntatis nostræ cum voluntate Dei : 1° ex parte *voliti,* ut quando homo vult aliquid quod Deus vult, v. g. honorare parentes; 2° ex parte *rationis volendi,* ut cum aliquis ideo vult aliquid quia est volitum a Deo, quin forte sciat illud quod est a Deo volitum, v. g. mater videns filium

1. *In corp.*

ægrotantem tenetur acquiescere divinæ voluntati, sed teneturne velle mortem filii? Hæc dicitur conformitas *in volito formali;* prior, conformitas *in volito materiali.*

*Conclusio* 2ª. **Non tamen semper requiritur conformitas in volito materiali.**

*Probatur.* Eadem res, quæ est volitum materiale, potest sub diversa consideratione esse bona et mala : sic v. g. mors latronis considerata a judice ut necessaria bono communi, est bona; considerata ab uxore ut noxia familiæ, est mala; consequenter utraque voluntas, scilicet et judicis volentis mortem et uxoris nolentis, est bona. *Atqui.* Deus, ut provisor universalis, attendit in volendo ad rationes universales, homo vero tenetur attendere ad rationes particulares. *Ergo.* Voluntas humana, ut sit recta, non semper tenetur conformari divinæ voluntati in volito materiali.

*Quæres.* **Quando tenetur homo ad conformitatem in volito materiali?**

*Respondeo.* 1° Simpliciter tenetur quando innotescit divina voluntas per præceptum. 2° Quando vero innotescit divina voluntas ex his quæ operatur Deus, sive immediate per se, sive mediantibus causis secundis, tenetur ad non rebellandum adversus Deum.

188. *Dubium.* **An divina voluntas dici possit regula moralitatis.**

Ratio dubitandi est quod regula suprema, ut diximus, est *lex æterna, quæ est quasi ratio Dei,* id est quæ pertinet ad intellectum divinum.

*Respondeo.* Divina voluntas vere et proprie dicitur regula moralitatis. Ita S. Thomas : « Secundum hoc enim voluntatem nostram divinæ conformare tenemur quod bonitas divinæ voluntatis regula est et mensura omnis bonæ voluntatis[1]. » Et iterum « ratio hominis recta est secundum quod regulatur voluntate divina quæ est prima et summa regula[2] ». Quoad ea scilicet quæ pendent ex libera Dei voluntate.

Quod contingit dupliciter :

1° In universali, quoad præcepta legis divinæ positivæ. Quædam enim præcepta : *Non occides, non furaberis,* necessitatem habent non a voluntate Dei libera, sed a lege æterna, id est a divina Sapientia. Quædam vero præcepta, v. g. quæ respiciunt fidem vel sacramenta necessitatem habent non a lege æterna immediate, sed a libera Dei

1. *Verit.*, q. 23, a 8.
2. 2ª 2æ, q. 154, a. 2.

voluntate. Et in hoc sensu dicit S. Thomas : « Omnis voluntas cujuslibet creaturæ rectitudinem in suo actu non habet, nisi secundum quod regulatur a voluntate divina, ad quam pertinet ultimus finis : sicut quælibet voluntas inferioris debet regulari secundum voluntatem superioris, ut voluntas militis secundum voluntatem ducis exercitus[1]. » Ibi enim agitur de peccato Angelorum, qui peccaverunt transgrediendo præceptum supernaturale seu positivum Dei.

2° In particulari, quoad multas circumstantias facti, quæ non immediate pendent a lege æterna vel positiva. Lex enim omnis est universalis, « sed necesse est dicere omnia divinæ providentiæ subjacere, non in universali tantum, sed etiam in singulari[2] ». Sic v. g. lex universalis est quod si quis in capite feriatur tegula e tecto delapsa intereat; sed quod Petrus filius unicus matris viduæ præsens sit in via in ipso loco et momento quo decidit tegula, hoc non pendet a lege Dei æterna, sed fuit vel volitum vel saltem permissum a voluntate Dei. Unde mater in hoc casu tenetur voluntatem suam divinæ voluntati conformare quoad mortem filii, saltem non rebellando adversus divinam voluntatem, secus ageret etiam contra legem Dei, nam « est de ratione charitatis ut sic homo diligat Deum quod in omnibus velit se ei subjicere et præceptorum ejus regulam in omnibus sequi[3] ».

Et sic patet quomodo ratio regulæ de multis dicatur, non tamen inde sequitur confusio, nam 1° dictamen rationis rectæ est regula proxima moralitatis objectivæ, et quidem formaliter; 2° dictamen conscientiæ est regula ultimo-practica moralitatis subjectivæ; 3° natura humana, finis ultimus et ordo essentialis possunt dici regula fundamentaliter; 4° lex æterna, quæ pertinet ad intellectum Dei, est regula suprema quoad ea quæ sunt essentialiter bona vel mala, et tandem 5° voluntas Dei est regula quoad ea quæ ex libera Dei voluntate pendent.

## ARTICULUS XI

### *De moralitate actuum exteriorum* (1ª 2æ, q. 20).

189. Hic per *actus exteriores* intelliguntur actus imperati, sive sint actus intellectus, sive appetitus sensitivi, sive membrorum corporis. Ita *Cajetanus*[4], qui præ ceteris præclare hanc difficilem materiam tractavit, et Thomistæ communiter.

1. 1, q. 63, a. 1.
2. 1, q. 22, a. 2.
3. 2ª 2æ, q. 24, a. 12.
4. Hic, in a. 1.

Dissentit *Billuart* : « Per actum exteriorem S. Doctor intelligit actum membrorum exteriorum : quod patet 1° quia in tota illa qu. 20 nusquam ponit exemplum actus intellectus aut appetitus sensitivi, sed tantum membrorum exteriorum, ut occisionis, deambulationis et similium; 2° quia cum arg. 1° a. 3 dixisset quod actus exterioris principium sit potentia exequens, non negat in responsione, sed admittit. Potentia autem exequens motum est in membris corporis[1]. » — *Respondeo.* Ista tamen non convincunt. Ad 1^m, S. Thomas ponit tantum exempla ex membris corporis, quia talia exempla sunt captu faciliora meliusque manifestant doctrinam. Ad 2^m, non negat in responsione, sed admittit, secus excludi deberent actus membrorum a præsenti consideratione : non negat, sed non asserit id esse de essentia actus exterioris. Ideo standum est interpretationi communi : secus inde sequeretur istud inconveniens quod S. Thomas in qu. 19 tractaverit de moralitate actuum elicitorum a voluntate, in qu. 20 de moralitate actuum corporis, totaliterque omiserit moralitatem actuum appetitus sensitivi.

— Ex adverso, *Frins* renuit considerare moralitatem actus exterioris, tenetque solum actum internum esse considerandum : « De hujus enim solius perfecta et proprie dicta moralitate scriptores fere solliciti sunt. Et merito. Nam exterior actus et imperatus ut talis per se perfecte et proprie moralis non est, sed est et dicitur talis per denominationem extrinsecam[2]. » Unde totum præsentem tractatum de moralitate actus imperati reducit ad solum actum qui dicitur usus passivus voluntatis[3]. — *Sed contra*, falsum est auctores, dum tractant de moralitate actuum exteriorum, de solius actus interni moralitate sollicitos esse.

Duo sunt declaranda : 1° Moralitas an et quomodo competat actui exteriori (§ 1); 2° utrum actus exterior aliquid addat moralitatis supra actum interiorem (§ 2).

### § 1. — Utrum actus exterior habeat moralitatem et qualiter.

190. Jam diximus per actum exteriorem designari actum imperatum. Quando vero expresse instituitur comparatio inter moralitatem actus exterioris et moralitatem actus interioris, dupliciter potest accipi actus exterior :

1° Excludendo actum interiorem, seu, ut ait *Cajetanus*, « secundum id præcise quod habet a potentia executiva, seclusa obedientia voluntatis[4] ». Sic videtur *Frins* accipere actum exteriorem : « Hæc operatio (exterior) nullam secundum se formalem bonitatem ordinis moralis habet; sed secundum se actio mere physica est; physica sc. executio medii electi, omni carens stricte dicta atque intrinseca voluntarietate actus, carens etiam omni motione per bonum rationalis ordinis ut est proprie et formaliter tale. Quare hujusmodi actioni externæ nulla com-

1. *Tract. de Peccatis*, Diss. 4, a. 1, dices 2°.
2. *De actibus humanis*, t. II, n. 10, *nota*.
3. *Ibid.*, n. 260.
4. In 1^am 2^æ, q. 20, a. 1, §. I.

petit moralis et formalis bonitas nisi per denominationem extrinsecam ab actu imperante bono[1]. » — Certe si consideretur sola entitas physica actus exterioris, nullam habet moralitatem. Sed nullus intendit actum exteriorem in hoc sensu. Sic enim « cum non sit capax bonitatis vel malitiæ moralis, quoniam hæc circa voluntaria tantum fiunt[2] », nullimode est moralis, nec etiam per denominationem extrinsecam.

2° Potest accipi actus exterior « secundum id quod habet ex se et quod participat ex actu voluntatis : ita quod distinguatur actus exterior voluntarius contra ipsum actum voluntatis in se, quidquid sit illud quod significat ly *voluntarius*. Et hoc modo sumitur in proposito[3] ».

191. Dicunt igitur multi recentiores : Moralitas in actu exteriori existens non est nisi mera denominatio extrinseca. — Secundum S. Thomam dici debet : Moralitas actus exterioris importat participationem quamdam realem et intrinsecam (licet analogam tantum) a moralitate actus interioris; quia vero istius realis et intrinsecæ participationis denominatio originatur et pendet ab aliquo extrinseco, scilicet ab actu voluntatis, actus exterior dicitur moralis per denominationem extrinsecam, non tamen per denominationem *mere* extrinsecam.

Sed antea declarandum est quid sit denominatio extrinseca.

192. **Denominatio extrinseca duplex.** Duplex est denominatio extrinseca :

1° Denominatio *mere extrinseca*. Ex. gr. paries *visus*. Sive paries videatur, sive non videatur, nullam inde recipit immutationem intrinsecam, sed solummodo relationem rationis. Unde denominatio mere extrinseca nihil omnino intrinsecum ponit in denominato.

2° Denominatio quæ a Joanne a S. Thoma dicitur extrinseca *originative*[4]. Ex. gr. medicina *sana*. Medicina dicitur sana ex quadam forma, sc. ex sanitate. Sanitas vero non existit formaliter in medicina, sed solum in animali quod dicitur formaliter sanum. Medicina autem dicitur sana causaliter, seu quia est causa sanitatis. Causa tamen est sanitatis, quia habet in se aliquam virtutem intrinsecam realem, ratione cujus distinguitur ab aqua pura quæ non habet eamdem virtutem. Et in hoc differt hic secundus modus denominationis extrinsecæ a primo. Primus nihil omnino ponit intrinsecum in deno-

1. *De actib. hum.*, t. II, n. 260. Aliter quidem sentit *Cathrein* : « Non negamus actum exteriorem vere esse moralem. » *Philos. mor.*, n. 60. Sed nobis explicare debet quomodo sit *vere* bonum, illud quod est bonum per meram denominationem extrinsecam.

2. Cajetanus, loc. cit.

3. Cajetanus, loc. cit.

4. *Logica*, q. 14, a. 5.

minato. Secundus vero modus, licet non ponat in denominato ipsam formam denominantem, quia sanitas non est in medicina, ponit tamen aliquid, virtutem sc. sanandi, ratione cujus medicina dicitur sana per respectum ad formam sanitatis; et ista virtus sanandi est quid intrinsecum et reale in medicina. Ita S. Thomas : « Quamvis sanitas non sit in medicina et in urina, tamen in utraque est aliquid per quod hoc quidem facit, illud autem significat[1]. » De qua hæc habet Joannes a S. Thoma : « Denominationes istæ aliquid intrinsece ponunt, dependenter tamen ab aliquo extrinseco non terminante tantum, sed etiam denominante vel ad denominationem concurrente; ideo dicuntur aliquando denominari ab aliquo extrinseco non formaliter sed originative; originatur enim et pendet denominatio illius modi intrinseci ab aliquo extrinseco[2]. »

193. Adhuc cum Cajetano[3] notandum est quod actus exterior considerari potest multipliciter : 1° secundum se absolute (moralitas ex materia et circumstantiis, quoad esse essentiæ); 2° secundum se, ut est in rerum natura (moralitas ex materia et circumstantiis, quoad esse existentiæ) : 3° prout in intentione est objectum actus interioris; 4° prout in executione est effectus actus interioris.

Et licet actus exterior secundum se sit etiam objectum actus interioris, tamen aliud est considerare actum exteriorem reduplicative prout est secundum se vel reduplicative prout est objectum actus interioris : sic furtum, ut volitum, est objectum malum; furtum vero secundum se est actus formaliter et intrinsece malus. Similiter, licet actus exterior in rerum natura sit etiam effectus actus interioris, tamen aliud est considerare eum reduplicative prout est secundum se in rerum natura, vel reduplicative prout est effectus actus interioris.

194. *Conclusio* 1ª. **Aliqui actus exteriores, spectati secundum se absolute, id est in esse essentiæ, sunt formaliter boni vel formaliter mali; — et hoc non dependet a voluntate** (a. 1 et 2).

*Probatur* 1ª *pars*. Sic v. g. dare eleemosynam est actus formaliter bonus, et furari actus formaliter malus. Desumitur hæc moralitas ex objecto et circumstantiis, quatenus sc. convenientiam vel repugnantiam habent cum regula morum.

*Probatur* 2ª *pars*, quia essentiæ rerum et proprietates essentiales non pendent a voluntate nostra.

195. *Conclusio* 2ª. **Moralitas ex objecto et circumstantiis**

1. 1, q. 16, a. 6.
2. Loc. cit.
3. In 1ᵃᵐ 2ᵃᵉ, q. 20, a. 1, § II.

**formaliter inest actui exteriori in rerum natura, — et non derivatur a voluntate** (art. 1 et 2).

*Probatur* 1ª *pars.* « Non est alia bonitas qua est bonus actus abstracte conceptus et actus in rerum natura positus : sicut non est alia humanitas qua homo abstracte conceptus est homo et qua homo positus in rerum natura est homo. Sed bene est alius essendi modus[1]. » Sicut igitur homo est formaliter homo per humanitatem et Petrus est formaliter homo per humanitatem realiter existentem; ita adulterium est actus malus per malitiam formalem et adulterium Davidis fuit actus malus per malitiam formalem in rerum natura.

*Probatur* 2ª *pars.* Moralitas enim ex objecto et circumstantiis actus exterioris « convenit ipsi per se et consequenter voluntati per ipsum. Non enim ideo tollere aliena est malus actus moraliter, quia velle hoc est malum : sed e converso, quia hoc est malum moraliter, ideo voluntas ejus est mala[2] ». Actus quidem exterior derivatur ab actu voluntatis ut effectus a causa : unde quod sit, pendet a voluntate; quod vero sit bonus vel malus pendet non a voluntate, sed « a seipso per voluntatem descendit in seipsum in executione[3] ».

196. *Conclusio* 3ª. **Actus exterior, si spectetur reduplicative ut est effectus actus interioris, est bonus vel malus, — non formaliter, sed denominative.**

*Probatur* 1ª *pars.* « Per actus exteriores manifestantur interiores, sicut causæ per effectus : unde sicut effectus participant similitudinem suarum causarum quantum possunt, ita etiam actus exteriores rationem culpæ consequuntur quæ primo in actibus interioribus invenitur[4]. » Sit v. g. hic actus : *velle* ambulare ad furandum. Hoc *velle* est actus voluntatis formaliter malus propter finem malum qui est *furari.* Ideo *ambulare,* qui est effectus proprius illius *velle,* est actus malus et peccatum. « Si voluntas sit mala, sive ex intentione finis (*et hic est casus*) sive ex actu volito, consequens est actum exteriorem esse malum[5]. »

*Probatur* 2ª *pars.* Duplex est causa agens : univoca sc. et analoga. Bonitas vero vel malitia actus interioris ad exteriorem actum derivatur non per causalitatem univocam, sed secundum analogiam : « Quando aliquid ex uno derivatur in alterum, sicut ex causa agente univoca, tunc aliud est quod est in utroque : sicut cum calidum calefacit, alius

1. Cajetanus, In 1ªm 2æ, q. 20, a. 1, § II.
2. *Ibid.*, § V.
3. *Ibid.*, a. 2, § IX. 4.
4. 2, d. 35, q. 1, a. 4, ad 3.
5. 1ª 2æ, q. 20, a. 2.

numero est calor calefacientis et calor calefacti, licet idem specie. Sed quando aliquid derivatur ab uno in alterum secundum analogiam vel proportionem, tunc est tantum unum numero; sicut a sano quod est in corpore animalis derivatur sanum ad medicinam et urinam; nec alia sanitas est medicinæ et urinæ quam sanitas animalis, quam medicina facit et urina significat. Et hoc modo a bonitate voluntatis derivatur bonitas actus exterioris et econverso, scilicet secundum ordinem unius ad alterum. » Ideo, in citato exemplo, actus exterior *ambulare* est quidem malus et peccatum, — non formaliter, sed denominative, intelligendo denominationem extrinsecam in sensu supra exposito, n. 192. Motio enim quæ a causa principali derivatur ad instrumentum et ex qua instrumentum denominatur *motum,* non est denominatio mere extrinseca, sed importat aliquid realiter receptum in instrumento.

197. Quæ principia declarantur ex applicatione ad varios casus :

1^us^ *casus.* Moralitas ex fine tantum. Sit exemplum : *ambulare* propter furari.

Hæc habet S. Thomas : « Quando actus exterior est bonus vel malus solum ex ordine ad finem, tunc est omnino eadem bonitas et malitia actus voluntatis qui per se respicit finem et actus exterioris qui respicit finem mediante actu voluntatis[1]. » Eadem igitur est malitia actus interioris qui est *velle* ambulare, et actus exterioris qui est ambulare ; sed ista malitia est in actu interiori *formaliter,* in actu exteriori *denominative.* Unde ambulare, ut diximus modo n. 196, est actus malus *non formaliter* sed *denominative.*

198. 2^us^ *casus.* Moralitas ex fine simul et objecto, quando differt finis ab objecto. Sit exemplum : *furari* ad mœchandum.

Hæc habet S. Thomas : « Cum autem actus exterior habet bonitatem vel malitiam secundum se, scilicet secundum materiam vel circumstantiam, tunc bonitas exterioris actus est una, et bonitas voluntatis quæ est ex fine est alia : ita tamen quod bonitas finis ex voluntate redundat in actum exteriorem, et bonitas materiæ et circumstantiarum redundat in actum voluntatis[2]. » In hoc igitur casu, actus exterior duplicem habet malitiam : unam ex objecto, quæ ipsi competit secundum se et non ex voluntate, ac proinde *formaliter;* alteram derivatam ex voluntate, ac proinde *denominative.* Ideo *furari* ad mœchandum continet duplicem malitiam : malitiam furti *formaliter,* malitiam adulterii *denominative.* Et cum agatur de duabus speciebus malitiæ disparatis, in hoc actu dicimus esse duplex peccatum. « Sic igitur quando

1. 1ª 2æ, q. 20, a. 3.
2. 1ª 2æ, q. 20, a. 3.

objectum non est per se ordinatum ad finem, differentia specifica quæ est ex objecto non est per se determinativa ejus quæ est ex fine, nec e converso. Unde una istarum specierum non est sub alia, sed tunc actus moralis est sub duabus speciebus quasi disparatis. Unde dicimus quod ille qui furatur ut mœchetur, committit duas malitias in uno actu[1]. »

199. 3^us^ *casus*. Moralitas ex fine simul et objecto, quando idem est finis et objectum. Sit exemplum : *Furari* ad habendam rem alienam.

Huc valent verba S. Thomæ n° præced. citata de duplici malitia actus interioris et actus exterioris. *Furari* igitur est actus malus et secundum se, id est *formaliter*, et ex derivatione actus interioris formaliter mali, id est *denominative*[2]. Ex hac tamen duplici malitia non resultat duplex species peccati, sed una tantum, propter essentialem subordinationem unius ad alteram. « Si objectum per se ordinetur ad finem, una dictarum differentiarum est per se determinativa alterius; unde una istarum specierum continebitur sub altera[3]. » Subdit S. Thomas : « Considerandum autem restat quæ sub qua. » De quo egimus, n. 175.

Ex his sequitur inadæquate tradi S. Thomæ doctrinam ab his qui universaliter et absque distinctione pronunciant : actum exteriorem non habere moralitatem formalem, sed dici bonum vel malum per meram denominationem extrinsecam. Aliquando enim habet moralitatem formalem, et insuper moralitas denominative non est denominatio mere extrinseca, sed importat aliquid reale et intrinsecum in denominato (n. 192 et 196).

200. *Quæres*. **Utrum actus exterior comparetur ad interiorem sicut effectus ad causam efficientem, vel ut materia ad formam?**

*Respondet Cathrein :* « In genere moris actus exterior comparatur ad interiorem non sicut effectus ad causam efficientem, sed ut elementum materiale ad elementum formale[4]. » — *In contrarium scribit S. Thomas :* « Quando ex duobus fit unum, nihil prohibet illorum duorum unum alterius causam esse. Et sic actus voluntatis est actus exterioris causa (*efficiens*), sicut et actus superioris virtutis est causa actus inferioris, et semper formaliter se habet ad ipsum[5]. » Supra,

1. 1ª 2æ, q. 18, a. 7.
2. « Unde quando quis vult fornicari non propter alium finem, malitia actus interioris et exterioris est alia et alia, non specie sed numero. » Cajetan., In 1am 2æ, q. 20, a. 3, § 4.
3. 1ª 2æ, q. 18, a. 7.
4. *Philos. mor.*, n. 118.
5. *Malo*, q. 2, a. 2, ad 11.

n. 113, diximus quomodo imperium possit esse simul et causa agens et forma actus imperati. Ideo dicendum est *a*) actum exteriorem proprie comparari ad interiorem sicut effectum ad causam, et *b*) aliquo modo sicut materiam ad formam. Ita S. Thomas : « Voluntas comparatur ad actum exteriorem, sicut causa efficiens. Unde bonitas actus voluntatis est *forma* exterioris actus, *sicut in causa agente existens*[1]. »

*a*) « Voluntas comparatur ad actum exteriorem sicut causa efficiens. » Hoc manifestum est sive quoad esse physicum, sive quoad esse morale, « quia voluntas utitur membris ad agendum sicut instrumentis, neque actus exteriores habent rationem moralitatis nisi in quantum sunt voluntarii[2] ». Unde vani sunt timores *P. Frins* qui non audet concedere voluntati causalitatem efficientem, licet ipsa causet per modum causæ efficientis : « Et revera quamvis causalitas actus imperantis in actum imperatum stricte loquendo physice efficiens non sit, tamen ad eam revocatur... Et hoc sufficit ut dicatur actum voluntatis causare actum imperatum per modum causæ efficientis[3]. »

*b*) « Bonitas actus voluntatis *est forma* exterioris actus, *sicut in causa agente existens.* » Non est forma simpliciter et quantum ad omnia, secus actus exterior ab interiori reciperet moralitatem formalem, sicut corpus recipit vitam formaliter ab anima ; sed est forma derivata ab actu voluntatis sicut a causa agente. Et quia « quando una potentia est movens alteram, tunc actus earum sunt quodammodo unus[4] », ideo « in actibus humanis actus inferioris potentiæ materialiter se habet ad actum superioris, in quantum inferior potentia agit in virtute superioris moventis ipsam : sic enim et actus moventis primi formaliter se habet ad actum instrumenti[5] »

Unde, nedum incompossible sit actum interiorem esse simul formam et causam efficientem actus exterioris, dicendum est ipsum in tantum esse formam in quantum est causa agens.

201. Nec magis sustinentur reliqua ejusdem *P. Cathrein* corollaria.

« *Coroll.* 2. Actus exterior in ea specie bonitatis vel malitiæ formalis constituitur in qua est actus interior a quo dependet[6]. » — *Respondeo.* Juxta istud principium dicendum foret homicidium et furtum specifice differe ex eo quod velle homicidium et velle furtum sunt actus specifice diversi. Cf. dicta n. 195.

202. *Coroll.* 3. « Divisio actus exterioris in bonum et malum non est divisio generis

1. $1^a\ 2^{æ}$, q. 20, a. 1, ad 3.
2. $1^a\ 2^{æ}$, q. 18, a. 6.
3. *De actib. hum.*, t. II, n. 284, p. 284.
4. $1^a\ 2^{æ}$, q. 17, a. 4, ad 1.
5. *Ibid.* in c. Cf. q. 18, a. 6 : « Id quod est ex parte voluntatis se habet ut *formale* ad id quod est ex parte exterioris actus, *quia* voluntas utitur membris ad agendum sicut instrumentis. »
6. *Philos. mor.*, n. 118.

in suas species, sed subjecti in sua accidentia, si res physice consideratur. Nam illa bonitas et malitia nihil physicum ponit in actu exteriore[1] »; et addit textum S. Thomæ in 2, d. 40, q. 1, a. 1.

*Respondeo.* 1° *In contrarium*, passim asserit S. Thomas[2], et consentiunt omnes, actum conjugii et adulterium specifice differre in esse morali, licet non differant in esse physico. 2° In textu citato S. Thomas non negat absolute actum humanum exteriorem specifice dividi per bonum et malum, sicut intelligi posset ex artificiosa dispositione typographica quam hic adhibet *P. Cathrein*, sed solum negat hanc specificam divisionem esse *per se*, et simul asserit ipsam esse *per accidens*, « sed per accidens secundum quod ad genus moris pertinent », ut dicemus modo.

203. **Objectiones.** Remanet ut considerentur fundamenta opinionis adversæ, quæ sunt duo textus S. Thomæ.

Priorem textum ex 1ª 2æ, q. 20, a. 3, ad 3 exposuimus supra n. 196, et est unum ex præcipuis fundamentis sententiæ nostræ. Unde immerito nobis objiciunt illud.

204. Alter textus desumitur ex 2, d. 40, q. 1, a. 1 : « Hoc modo aliquid ad genus moris pertinet quo voluntarium est. Ideo ipsi actus voluntatis qui per se et immediate ad voluntatem pertinent, per se in genere moris sunt; unde simpliciter specie dividuntur interiores actus voluntatis per bonum et malum sicut per differentias essentiales. Actus autem imperati a voluntate, eliciti per alias potentias, pertinent ad genus moris per accidens, secundum scilicet quod sunt a voluntate imperati; et ideo actus illi secundum substantiam non distinguuntur secundum speciem per bonum et malum, sed per accidens, secundum quod ad genus moris pertinent. » Hic textus multoties citatur a *Frins* et *Cathrein* qui in ipso plura stupenda inveniunt, scilicet : 1° quod bonum et malum morale non sunt species generis *moralis* sed generis *voluntarii*[3] (n. 125); 2° quod bonitas moralis actus interioris idem est ac physica entitas actus[4] (n. 129); 3° quod actus exteriores sunt boni vel mali solum per denominationem extrinsecam[5]; 4° quod bonitas et malitia moralis non sunt differentiæ specificæ actuum humanorum exteriorum[6].

*Respondeo.* S. Thomas in hoc textu duplicem statuit differentiam inter actus interiores et actus exteriores :

1ª *differentia :* « Actus voluntatis per se in genere moris sunt... Actus imperati pertinent ad genus moris per accidens. » Aliis verbis : Actus voluntatis sunt morales *per se*, id est ratione sui; actus imperati sunt morales non per se, non ratione sui, sed *per accidens*, id est ratione alterius, ratione actus imperantis. — *Probatur :* « Quia actus sunt in genere moris ex hoc quod sunt voluntarii,... hoc modo aliquid ad genus moris pertinet quo voluntarium est. » *Atqui.* Actus voluntatis est voluntarius *per se*, id est ratione sui, ut ipsum nomen indicat; actus exterior est voluntarius non ratione sui, sed ratione alterius, ratione actus imperantis, unde est voluntarius *per accidens*. *Ergo.* Actus voluntatis sunt morales *per se;* actus imperati sunt morales *per accidens*. Quid sit esse in genere *per se* vel *per accidens* a S. Thoma declaratur ibidem : « Sciendum est autem quod ad aliquod genus contingit aliqua reduci simpliciter, vel *per se*, ut ea quæ per essentiam suam in illo genere sunt,

1. *Philas. mor.*, n. 118.
2. 1ª 2æ, q. 18, a. 5, ad 3. — Cf. *Malo*, q. 2, a. 4; 2, d. 40, q. 1, a. 1, ad 4. Cf. *supra*, n. 134.
3. *De actib. hum.*, t. II, n. 30, p. 27.
4. *Ibid.*, n. 14, p. 13; n. 29, p. 25; n. 32, p. 28; n. 189, p. 183 et 184.
5. *Ibid.*, n. 10, p. 7 (*nota*).
6. *Ibid.*, n. 404, p. 420.

sicut albedo et nigredo reducuntur ad genus coloris; vel *per accidens*, ratione alicujus quod in eis est, sicut res alba et res nigra ad genus coloris. » Sed actus voluntatis sunt in genere voluntarii ratione essentiæ suæ seu *per se;* actus vero exteriores sunt in genere voluntarii non ratione essentiæ suæ sed « ratione alicujus quod in eis est » seu *per accidens*.

2ª *differentia*. « *Simpliciter* specie dividuntur interiores actus voluntatis per bonum et malum sicut per differentias essentiales;... (actus imperati) *secundum substantiam* non distinguuntur secundum speciem per bonum et malum, sed *per accidens* secundum quod ad genus moris pertinent. » Aliis verbis : actus voluntatis, cum sint per se morales, *per se* dividuntur per bonum et malum; actus exteriores, cum sint morales non per se sed per accidens tantum, per bonum et malum dividuntur non per se sed *per accidens* tantum. Ratio est quia « ea quæ per se sunt in genere, simpliciter (*seu per se*) differunt specie per differentias essentiales generis; quæ vero reducuntur ad genus per accidens, non differunt per differentias generis simpliciter (*seu per se*), sed secundum quid tantum (*seu per accidens*), scilicet secundum quod ad genus illud pertinent ». Ideo actus voluntatis simpliciter (seu per se, id est ratione essentiæ suæ) dividuntur per bonos et malos; actus vero exteriores per bonos et malos dividuntur non simpliciter (seu per se, ratione essentiæ) sed secundum quid (seu per accidens, « ratione alicujus quod in eis est », ratione actus imperantis).

Hæc omnia simplicissima sunt, nec ullum præbent fundamentum stupendis illationibus supra recitatis[1].

### § 2. — Utrum actus exterior aliquid addat moralitatis supra actum interiorem

### (1ª 2æ, q. 20, a. 4).

205. Apud Theologos satis communis est sententia negans, quæ probatur : 1° Genes. XXII, Deus dixit ad Abraham, qui non opere sed voluntate tantum mactaverat filium : « Quia fecisti hanc rem et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi. » 2° Matth. V : « Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo », ex quo *S. Bernardus :* « Quid planius quam quod volumus pro facto reputetur, ubi factum excludit necessitas[2]. »

1. Sæpius in hoc capite debuimus refellere interpretationes S. Thomæ a *P. Frins* traditas in suo opere *De actibus humanis*. Longe plura remanent, non minus repugnantia doctrinæ S. Thomæ, quæ dimittere debuimus, sive quod ad materiam nostram non pertinerent, sive quod prolixiorem disputationem requirerent. Sed ex his quæ retulimus satis constat qua auctoritate polleat *P. Frins*, ut expositor S. Thomæ. — Idem *Frins* scribebat aliquando : « Quare propriam Societatis Jesu theologis laudem tribui nolim nisi hanc : quod ea, *quæ apud S. Thomam delineata quidem, disjecta tamen et minus absoluta extabant*, ea diligentius excoluerint, uberius et luculentius evolverint, in unum corpus doctrinæ redegerint, atque ita doctrinam catholicam de gratia et libertate... validius vindicaverint. » *S. Thomæ Aq. Doctrina de Cooperatione*, pag. 2. Nos autem miramur illos qui S. Thomæ doctrinam, sive de divinis Auxiliis, sive de actibus humanis, tradunt tanquam quid *delineatum quidem, disjectum tamen et minus absolutum* quod perfici indigeat.

2. *Epist.* 77.

Ex altera parte nimis manifestum est aliud esse desiderare bonum et aliud facere bonum. Unde S. Thomas : « Sicut ergo melius est quod homo et velit bonum et faciat exteriori actu[1]... » Melius est igitur et velle et facere, quam velle tantum. Item : « Blasphemia opponitur confessioni fidei, et ideo habet in se gravitatem infidelitatis; et aggravatur peccatum si superveniat detestatio voluntatis, et adhuc magis si prorumpat in verba : sicut et laus fidei augetur per dilectionem et confessionem[2]. » Et iterum, de maledictione, circa textum S. Chrysostomi : maledicendo nihil differt ab homicida, respondet S. Thomas : « si ille qui maledicit, velit malum occisionis alterius, desiderio non differt ab homicida, differt tamen in quantum actus exterior aliquid adjicit voluntati[3] ».

206. *Conclusio* 1ª. **Quando actus exterior indifferens est ex objecto, tunc per se nullam addit moralitatem actui interiori, — sed solum per accidens, quod contingit tripliciter : vel propter multiplicationem, vel propter continuationem, vel propter intensitatem actus interioris.**

*Probatur* 1ª *pars.* Moralitas ex parte finis tota quanta est pendet a voluntate : unde una et eadem est moralitas actus interioris et actus exterioris. — *Nec dicatur :* actus interior et actus exterior sunt duo actus boni vel mali, sed plus boni vel mali est in duobus quam in uno. *Respondet S. Thomas :* « Quod dicitur quod *quantum additum quanto facit majus,* intelligendum est ubi utrumque dicitur *quantum* secundum eamdem rationem; sed ubi unum est ratio alterius quod sit quantum, hoc non oportet. Sicut si lignum est longum, erit linea longa, nec oportet quod lignum cum linea si longius quam linea, quia linea est ratio longitudinis in ligno : sicut etiam dictum est quod actus exterior habet rationem culpæ ab actu voluntatis[4]. »

*Probatur* 2ª *pars.* Moralitas ex parte finis procedit ex voluntate. *Atqui.* Aliquando contingit voluntatis bonitatem vel malitiam augeri per accidens ex parte actus exterioris. « Qualitercumque autem sit inæqualitas voluntatis, est inæqualitas peccati[5]. » *Ergo.* Per accidens augeri potest moralitas actus interioris ex parte actus exterioris. — *Et declaratur* contingere tripliciter : Majorem habet moralitatem actus voluntatis vel iteratus, vel continuatus, vel intensior.

1. 1ª 2æ, q. 24, a. 3.
2. 2ª 2æ, q. 13, a. 3.
3. 2ª 2æ, q. 76, a. 4.
4. *Malo,* q. 2, a. 2, ad 8.
5. *Ibid.*

*Atqui.* Aliquando actus voluntatis propter actum exteriorem vel iteratur, vel continuatur, vel intensior fit. *Ergo...* Unde S. Thomas : « Actus exterior nihil addit ad bonitatem, nisi contingat ipsam voluntatem secundum se fieri meliorem in bonis vel pejorem in malis, quod quidem videtur posse contingere tripliciter. Uno modo, secundum numerum : puta cum aliquis vult aliquid facere bono fine vel malo, et tunc quidem non facit, postmodum autem vult et facit, duplicatur actus voluntatis; et sic fit duplex bonum vel duplex malum. Alio modo, quantum ad extensionem : puta cum aliquis vult facere aliquid bono fine vel malo et propter aliquod impedimentum desistit, alius autem continuat motum voluntatis, quousque opus perficiat. Manifestum est quod hujusmodi voluntas est diuturnior in bono vel malo, et secundum hoc est pejor vel melior. Tertio secundum intensionem : sunt enim quidam actus exteriores qui in quantum sunt delectabiles vel pœnosi, nati sunt intendere voluntatem vel remittere : constat autem quod quanto voluntas intensius tendit in bonum vel malum, tanto est melior vel pejor[1]. »

207. *Conclusio* 2ª. **Quando actus exterior habet propriam moralitatem ex objecto, tunc addit moralitatem voluntati, scilicet complementum ipsius; — nisi forte completa voluntas involuntarie impediatur ab actu exteriori.**

*Probatur* 1ª *pars.* Actus exterior comparatur ad actum voluntatis ut terminus et finis. *Atqui.* Omnis inclinatio vel motus perficitur in hoc quod consequitur finem vel attingit terminum. *Ergo.* Non est perfectus seu completus voluntatis actus, nisi sit talis qui opportunitate data operetur, et ideo simplex volitio est actus imperfectus, si comparetur intentioni.

*Probatur* 2ª *pars.* Moralitas sequitur voluntarium. *Atqui.* Cessatio ab actu exteriori aliquando est involuntaria. *Ergo.* Talis cessatio non minuit moralitatem actus.

Et sic conciliantur duæ sententiæ expositæ supra n. 205 : Voluntas non est perfecta, nisi sit actualiter parata ad actum, et ideo desiderare martyrium non est idem ac subire martyrium. Sed quando voluntas completa involuntarie impeditur ab operatione, actus exterior consideratur ut mera executio actus interioris et non minuitur moralitas actus.

1. 1ª 2æ, q. 20, a. 4.

## ARTICULUS XII

### *De extensione moralitatis.*

208. Cum moralitas sequatur voluntarium, a quibuscumque participatur ratio voluntarii, proportionaliter participatur ratio moralitatis. Porro non solum actiones humanæ sunt voluntariæ, sed etiam effectus actionum nostrarum. Quod vero dicti effectus influere possint in moralitatem, constat ex dictis tum de moralitate objecti, tum de moralitate finis : sunt tamen quidem effectus qui non adeo manifeste pertinent ad objectum vel ad finem, et de his nunc agendum est.

#### § 1. — **De effectu directe intento** (1ª 2æ, q. 20, a. 5).

209. *Quæri solet :* An eventus sequens augeat moralitatem? v. g. Aliquis ex desiderio vindictæ gravissimum vulnus inflixit inimico : per plures dies dubius manet eventus et tandem vel moritur qui vulneratus est, vel econtra valitudini restituitur. Quæritur an ex morte revera subsecuta vel non subsecuta, augeatur moralitas? Et loquimur sub respectu stricte morali : recte enim potest lex pœnalis speciali pœna afficere delictum effectu secuto.

*Conclusio.* **Ex eo quod effectus directe intentus revera sequatur vel non, nihil additur moralitati actus exterioris.**

*Probatur.* Moralitas pendet a voluntario. *Atqui.* Quod effectus revera sequatur vel non, est involuntarium. *Ergo.*

*Corollarium.* Tunc admittitur completa moralitas in ipso momento quo ponitur actus, nec fit postea mutatio, sive eventus sequatur, sive per accidens impediatur.

#### § 2. — **De effectu volito in causa, seu de voluntario indirecto** (n. 89, 4°).

210. **Principium 1m.** Ut effectus malus qui sequitur ex causa voluntarie posita, sit et ipse voluntarius (ac consequenter imputabilis), *tres* conditiones concurrere debent : 1° ut agens *prævideat* saltem confuse hujusmodi effectum ex illa causa secuturum : quia nihil volitum nisi præcognitum; sic Noe nesciens efficaciam vini non fuit ebrietatis reus; 2° ut *possit* causam non ponere vel positam removere : quia impotentia agendi destruit voluntarium; 3° ut *teneatur* causam non ponere vel positam removere : quando vero tenebitur, declaratur in sequenti principio.

211. **Principium 2^m^.** Licet ponere actionem ex qua duplex effectus oritur, bonus alter, alter malus, dummodo *quatuor* adsint conditiones sequentes : 1° actio sit *in se bona, vel saltem indifferens :* quia velle malum est malum; 2° effectus bonus *saltem æque immediate* oriatur ac malus (id est, non fiat mediante effectu malo) : quia non sunt facienda mala ut eveniant bona; 3° agens *intendat solum effectum bonum,* permissive se habendo ad malum : quia nunquam licet velle malum; 4° adsit *justa causa* ponendi actionem, id est proportionata tum ad effectum malum, tum ad gradum influxus in illum (*Ærtnys,* l. 1, n. 8).

Ex his duobus principiis solvuntur infiniti casus in Theologia morali.

### § 3. — De cooperatione ad malam actionem alterius.

212. *Definitio.* Cooperatio est concursus ad operationem alterius.

*Divisio.* Distinguitur cooperatio *formalis* et cooperatio *materialis.* Cooperatio *formalis* concurrit ad formale peccati, id est ad malam voluntatem alterius positive in eam influendo. Quod contingit dupliciter : *a*) vel ex fine operis, quando actio cooperantis ex natura sua ad malum operatur vel pars illius est; vel *b*) ex fine operantis, quando actio cooperantis, licet forte ex se indifferens, procedit ex ea intentione alteri manifestata, ut alter pravam voluntatem exequatur. — Cooperatio *materialis* concurrit tantum ad materiale peccati, præstando operam ex se indifferentem qua alter abutitur ad peccandum.

Cooperatio materialis est vel *proxima* vel *remota,* prout opera quæ præstatur proxime vel remote conducit ad peccati executionem.

Præcipuæ formæ cooperationis his versibus indicantur :

> Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
> Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Jussio comprehendit et præceptum proprie dictum, quod est superioris, et mandatum, quod potest pertinere ad æqualem vel inferiorem. Participans, intellige sive in actione damnificante sive in præda. Sex priores formæ consistunt in actu, unde dicuntur cooperatio positiva. Tres vero posteriores consistunt in omissione, et sic ordinantur : ante factum, mutus; durante facto, non obstans; post factum, non manifestans; dicuntur cooperatio negativa.

*Conclusio* 1^a^. **Cooperatio formalis ad peccatum alterius**

**semper intrinsece mala est, atque ideo nunquam licita.**

*Probatur*, quia induit malitiam actionis alterius et insuper habet rationem scandali.

*Conclusio* 2ª. **Cooperatio materialis ad peccatum alterius per se est illicita.**

*Probatur* ex primo principio de voluntario indirecto (n. 210).

*Conclusio* 3ª. **Cooperatio vero mere materialis, si fiat ex justa et proportionata causa, licita est.**

*Probatur* ex secundo principio de voluntario indirecto.

### § 4. — De periculo peccandi.

213. Dicitur *periculum peccandi*, illud ex quo plus minusve probabiliter sequitur peccatum, et si agatur de re vel persona externa dicitur *occasio peccati*.

Distinguitur periculum *proximum* in quo quis probabiliter lapsurus est in peccatum, et *remotum* in quo quis probabiliter non est lapsurus; et utrumque, *absolute* vel *relative*.

*Conclusio*. **Moraliter mala est actio quæ inducit proximum peccandi periculum, — nisi adsit causa proportionate gravis et voluntas efficaciter velit adhibere media unde periculum fiat remotum.**

Dicitur moraliter mala et quidem ex solo peccandi periculo, licet actio non sit fortasse ex se mala et de facto non sequatur peccatum, v. g. ingredi cauponam pro eo qui solet inebriari in dicta caupona.

*Probatur* ex principiis voluntarii indirecti. Unde Eccli. III, 27 : *Qui amat periculum in illo peribit.*

## CAPUT QUARTUM

### DE QUIBUSDAM CONSECTARIIS MORALITATIS

« Actus bonus vel malus habet rationem laudabilis vel culpabilis, secundum quod est in potestate volentis; rationem vero rectitudinis et peccati, secundum ordinem ad finem; rationem vero meriti et demeriti, secundum retributionem justitiæ ad alterum[1]. » Ideo agemus 1° de peccato (art. 1); 2° de imputabilitate et responsabilitate (art. 2); 3° de merito (art. 3).

#### ARTICULUS 1

#### *De peccato.*

214. **Malum, peccatum et culpa.** « Hæc tria se habent ad invicem ut communius et minus commune[2]. » — *Malum* communius est : dicitur de quocumque malo, sive sit res, sive sit actio. — *Peccatum* dicitur solum de actu malo : sic tibia curva est mala et non est peccatum, sed claudicare est peccatum. Quilibet actus inordinatus potest dici peccatum, et sic distinguitur : peccatum *naturæ,* si quis v. g. nascatur cæcus; peccatum *artis,* id quod est contra regulas artis; peccatum *moris,* id quod est contra regulam morum. — Sed rationem *culpæ* non habet peccatum, nisi sit voluntarium : nulli enim imputatur ad culpam actus inordinatus, nisi ex eo quod est in ejus potestate. Et sic patet quod peccatum communius est quam culpa. Attamen secundum communem usum loquendi apud Theologos pro eodem sumitur peccatum et culpa.

215. I. **Definitio.** Peccatum est actus moraliter malus. « Peccatum nihil aliud est quam actus humanus malus[3]. »

Definitur a S. Augustino : « Dictum, vel factum, vel concupitum

1. 1ª 2æ, q. 21, a. 3.
2. *Malo*, q. 2, a. 2.
3. 1ª 2æ, q. 71, a. 6.

contra legem æternam[1]. » Per *dictum vel factum vel concupitum,* designantur peccata oris, operis et cordis (itemque peccata omissionis, quia contrariorum eadem est ratio), quæ sunt quasi elementum materiale peccati. Per *contra legem æternam* designatur elementum formale peccati seu repugnantia cum suprema regula morum. « In peccato duo possunt attendi, scilicet recessus a regula vel a mensura et recessus a fine. Contingit autem quandoque recedere a fine et non recedere a regula vel a mensura qua quis operatur propter finem, et in natura et in arte. In natura quidem, sicut si in stomacho ponatur aliquid non digestibile ut ferrum vel lapis, defectus digestionis absque peccato naturæ contingit. Similiter si medicus secundum artem dat potionem et infirmus non sanetur, vel quia habet morbum incurabilem, vel quia aliquid contra suam sanitatem agit, medicus quidem non peccat, licet finem non consequatur : si autem e converso finem consequeretur, sed tamen a regula artis diverteret, nihilominus peccare diceretur. Ex quo patet quod magis est de ratione peccati præterire regulam actionis, quam etiam deficere ab actionis fine[2]. »

216. II. **Divisiones.** 1° Apud Theologos distinguitur peccatum *originale,* quod secundum fidem ex Adamo protoparente in ejus posteros diffunditur; et *personale,* quod aliquis propria sua actione contrahit.

2° Peccatum personale distinguitur *actuale* et *habituale*. *Actuale* est ipse actus deordinatus; *habituale* est deordinatio remanens in anima post actum peccati, dicitur *status peccati.*

3° Peccatum actuale distinguitur *materiale* et *formale*. *Materiale* est transgressio legis involuntaria ac consequenter non imputabilis; *formale* est transgressio voluntaria et imputabilis.

4° Peccatum formale distinguitur *grave* et *leve,* prout avertit simpliciter a fine ultimo, vel solum ab ejus consecutione retardat. Prius dicitur etiam *mortale,* eo quod mortem animæ inferat privando eam gratia sanctificante; alterum, *veniale,* eo quod gratia et charitate non privet, sed ejus fervorem tantum diminuat.

Insuper distinguuntur : 5° peccatum *commissionis,* quod committitur contra præceptum negativum, agendo id quod vetatur; et *omissionis,* quod committitur contra præceptum affirmativum, non agendo id quod jubetur.

6° Peccatum *carnale,* quod perficitur in delectatione carnis; et *spirituale,* in delectatione mentis.

7° Peccatum *contra Deum, contra proximum* vel *contra seipsum.*

1. *Cont. Faustum,* l. 22, c. 27.
2. *Malo,* q. 2, a. 1.

8° Peccatum *proprium,* quod ipsimet committimus; et *alienum* quod alii committunt, ita tamen quod nobis sit imputabile.

9° Peccatum *externum* vel *internum;* aliter *cordis, oris* et *operis.*

10° Peccatum *ignorantiæ,* quod ex culpabili ignorantia provenit; *infirmitatis,* quod committitur impellente gravi tentatione aut vehementi passionis impetu; et *malitiæ,* quod ex pravo habitu voluntatis seu ex mera perversitate committitur.

11° Peccatum *per excessum* vel *per defectum,* quatenus recedit a medio virtutis excedendo vel deficiendo.

12° Peccata *deliberata* vel *subreptitia* (semideliberata), prout fiunt vel non, cum plena advertentia plenoque consensu voluntatis.

Tandem alii distinguunt peccatum *philosophicum* vel *theologicum,* prout repugnat vel ordinis rationis, vel legi æternæ.

217. III. **De peccato philosophico.** De possibilitate peccati philosophici aliquando (Sæc. XVII) acriter disputabatur. Orta videtur controversia ex verbis S. Thomæ : « A Theologis consideratur peccatum præcipue secundum quod est offensa contra Deum; a philosopho autem morali, secundum quod contrariatur rationi[1]. » Unde tenebant plures dari posse peccatum mere philosophicum, in eo nempe qui vel nescit existentiam Dei vel ad violationem legis divinæ non advertit.

Controversiæ finem imposuit propositio damnata ab *Alexandro VIII* (24 aug. 1690) : « Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali et rectæ rationi; theologicum vero et mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum. » Quæ fuit declarata et damnata uti *scandalosa, temeraria, piarum aurium offensiva et erronea*[2].

*Dicunt quidam :* « Verum ex hac thesi non videtur argumentum efficax peti posse contra possibilitatem peccati philosophici, quia non solum loquitur de casu ignorantiæ Dei invincibilis, sed etiam de casu quo quis Deum cognoscit, de eo tamen, dum peccat, *actu non cogitat.* Potuit ergo thesis damnari propter hanc alteram partem, quæ certe falsissima est[3]. » — *Respondeo :* In hac propositione damnatur duplex quidem indicatus casus, non tamen copulative, sed disjunctive : *in illo qui Deum* VEL *ignorat* VEL *de Deo actu non cogitat.* Ergo in utroque casu seorsim sumpto æqualiter damnatur propositio.

De facto erronea est hæc propositio absolute, ex eo quod concipi non potest violatio ordinis rationis, quæ simul et ipso facto non sit *virtualiter ex parte operis*

1. 1ª 2æ, q. 71, a. 6, ad 5.
2. Cf. DENZINGER, 1290.
3. CATHREIN, *Philos. mor.*, n. 212.

violatio legis divinæ (Cf. argumenta quibus demonstratur legem æternam esse supremam moralitatis regulam, n. 149).

218. IV. **Distinctio peccatorum.** Agitur *a*) de distinctione specifica et *b*) de distinctione numerica.

*A*) *De distinctione specifica.* Dicunt alii peccata specie distingui ex virtutibus quibus opponuntur; alii, ex variis præceptis. S. Thomas docet peccata specificari ex objecto[1]. *Probatur.* Unumquodque consequitur speciem secundum illud quod est per se, non autem secundum id quod est per accidens, quia ea quæ sunt per accidens sunt extra rationem speciei. *Atqui.* In peccato duo sunt, actus voluntarius et inordinatio ejus, quorum primum per se comparatur ad peccantem et alterum per accidens : nullus enim intendens ad malum operatur. *Ergo.* Peccata specifice distinguuntur magis ex parte actus voluntarii quam ex parte inordinationis. *Subsumo, Atqui.* Actus voluntarii distinguuntur specie secundum objecta (n. 45 et 167). *Ergo.* Peccata proprie distinguuntur specie secundum objecta.

219. *B*) *De distinctione numerica.* Peccata numerice distinguuntur etiam ex objecto : unde quando objectum moraliter sumptum est unum, unum est peccatum; quando multiplicatur objectum, multiplicatur peccatum.

Sic : 1° Peccata externa consummata multiplicantur ex multiplicato objecto totali, v. g. homicidium; 2° actus non consummati tum interni tum externi ad unum finem ordinati constituunt unum peccatum; 3° peccata vero non consummata quæ nec ad unum finem ordinantur nec ex unico passionis impetu procedunt, tot sunt peccata quoties iterantur. Cetera recole apud Moralistas.

220. V. **De comparatione peccatorum ad invicem.** « Opinio Stoicorum fuit, quam Tullius prosequitur in Paradoxis, quod omnia peccata sint paria. Et ex hoc etiam derivatur quorumdam hæreticorum error, qui ponentes omnia peccata esse paria, dicunt etiam omnes pœnas inferni esse pares[2]. » Contra quos scribebat S. Augustinus : « Quid absurdius, quid insanius dici potest quam ut ille qui aliquanto immoderatius riserit et ille qui patriam truculentius incenderit, peccasse judicentur æqualiter?..... Aut si propterea sunt paria, quia utraque delicta sunt, mures et elephantes pares erunt, quia utraque sunt animalia[3]. »

*Conclusio.* **Peccata non sunt æqualia.**

1. 1ª 2æ, q. 72, a. 1.
2. 1ª 2æ, q. 73, a. 2.
3. *Epist.* 104, *ad Nectar.*

*Probatur.* Duplex est privatio : una pura et totalis, in facto esse, ut mors, et non admittit gradus; altera non pura sed partialis, in fieri, ut ægritudo, et admittit gradus. *Atqui.* Privatio, quam inducit peccatum, pertinet non ad primam sed ad secundam categoriam : sic enim privat peccatum debita commensuratione rationis, ut non totaliter ordo rationis tollatur. *Ergo.* Non sunt omnia peccata æqualia.

*Quæres.* **Undenam mensuretur gradus malitiæ in peccatis.** — *Respondeo.* Differentia gravitatis quæ attenditur penes objecta, est prima et principalis, quasi consequens speciem. « Patet quod res exteriores ordinantur ad hominem sicut ad finem; homo autem ordinatur ulterius in Deum sicut in finem. Unde peccatum quod est circa ipsam substantiam hominis sicut homicidium, est gravius peccato, quod est circa res exteriores sicut furtum. Et adhuc est gravius peccatum quod immediate contra Deum committitur, sicut infidelitas, blasphemia et hujusmodi. Et in ordine quorumlibet horum peccatorum, unum peccatum est gravius altero, secundum quod est circa aliquid principalius vel minus principale[1]. » Deinde augetur malitia peccati ex circumstantiis et ex fine.

221. VI. **De peccato mortali et veniali.** Dicunt quidam peccatum mortale et peccatum veniale inter se differre ex eo quod peccatum mortale inferat mortem animæ quam privat gratia; veniale, non. Alii, ex eo quod peccatum mortale faciat deordinationem irreparabilem; veniale, reparabilem. Alii ex eo quod mortale inducat reatum pœnæ æternæ; veniale, temporalis. — Sed contra, in istis omnibus importatur quidem differentia quoad effectus peccati, non vero differentia constitutiva peccati mortalis aut venialis.

*Conclusio.* **Differentia formalis inter peccatum mortale et peccatum veniale consistit in hoc quod peccatum mortale est aversio a fine ultimo seu deordinatio circa ipsum finem, peccatum vero veniale est deordinatio circa media, et consequenter solum retardatio, non aversio a fine ultimo** (1ª 2æ, q. 88, a. 1).

*Probatur.* Peccatum aliquod dicitur mortale ad similitudinem morbi qui dicitur mortalis ex eo quod inducit defectum irreparabilem per destitutionem alicujus principii. *Atqui.* Principium spiritualis vitæ quæ est secundum virtutem, est ordo ad ultimum finem. *Ergo.* Peccatum mortale essentialiter consistit in deordinatione circa finem ultimum, quæ reparari non potest per principium intrinsecum. Et quia

1. 1ª 2æ, q. 73, a. 3.

« inordinationes eorum quæ sunt ad finem reparantur ex fine », peccatum veniale essentialiter consistit in deordinatione circa media, nam « hoc est venia peccato quod curatio morbo[1] ».

*Nota.* Peccatum mortale ex genere suo fieri potest veniale ex duplici capite, sive propter levitatem materiæ, sive propter imperfectionem actus, quando scilicet imperfecta est advertentia vel imperfectus consensus.

222. VII. **De peccatis capitalibus.** « *Capitale* dicitur a capite. Caput autem proprie quidem est quoddam membrum animalis, quod est principium et directivum totius animalis: unde metaphorice omne principium et directivum *caput* vocatur... Dicitur *peccatum capitale,* prout metaphorice signat principium vel directivum aliorum. Et sic dicitur vitium capitale ex quo alia vitia oriuntur, et præcipue secundum originem causæ finalis, quæ est formalis origo. Et ideo vitium capitale non solum est principium aliorum, sed etiam est directivum et quodammodo ductivum aliorum : semper enim ars vel habitus ad quem pertinet finis principatur et imperat circa ea quæ sunt ad finem; unde Gregorius in 31 *Moral.* hujusmodi vitia capitalia ducibus exercituum comparat[2]. »

*Conclusio.* **Septem sunt peccata capitalia** (1ª 2æ, q. 84, a. 4).

*Probatur.* Illa dicuntur peccata capitalia, quorum fines habent quasdam primarias rationes movendi appetitum contra bonum rationis. *Atqui.* Hoc contingere potest ex duplici capite : I) quatenus in bonum contrarium rationi tendit propter se; II) quatenus a bono rationis refugit propter aliud, id est propter malum connexum.

*Si consideretur ex I° capite.* Bonum est triplex : 1° bonum animæ seu spirituale, honor et gloria : **Inanis gloria**; 2° bonum corporis, *a*) quantum ad conservationem individui : **Gula,** vel *b*) quantum ad conservationem speciei : **luxuria**; 3° bonum externum, divitiæ : **avaritia.**

*Si consideretur ex II° capite.* Aliquis refugere potest bonum rationis : 1° vel propter malum proprium : **acedia**; 2° vel propter malum alienum, et quidem *a*) quando est sine insurrectione, habetur **invidia,** quae tristatur de bono alterius in quantum est impeditivum propriæ excellentiæ, et *b*) quando est cum aliqua insurrectione ad vindictam : **ira.**

Et sic septem sunt peccata capitalia.

**Inanis gloria** (2ª 2æ, q. 132). Consistit in manifestatione propriæ

1. *Malo,* q. 7, a. 1.
2. 1ª 2æ q. 84, a. 3.

excellentiæ, et inanis seu vana dicitur tripliciter : 1° ex parte rei de qua quis gloriam quærit, puta cum aliquis gloriam quærit de eo quod non est gloria dignum; 2° ex parte ejus a quo quis gloriam quærit, puta hominis cujus judicium non est certum; 3° ex parte ipsius qui gloriam appetit, qui videlicet appetitum gloriæ suæ non refert in debitum finem, puta ad honorem Dei vel proximi salutem. — Filiæ ejus, id est peccata quæ ex ea profluunt, sunt : inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia, novitatum præsumptio.

**Gula** ($2^a$ $2^{æ}$, q. 148). Importat inordinatum appetitum edendi et bibendi. — Filiæ ejus sunt : inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium et hebetudo mentis.

**Luxuria** ($2^a$ $2^{æ}$, q. 153). Excedit ordinem et modum rationis circa venerea. — Filiæ ejus sunt : cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi et horror futuri.

**Avaritia** ($2^a$ $2^{æ}$, q. 118). Definitur immoderatus amor habendi. — Filiæ ejus sunt proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentiæ et contra misericordiam obduratio.

**Acedia** ($2^a$ $2^{æ}$, q. 35). Nominat tristitiam spiritualis boni. — Filiæ ejus sunt malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, evagatio mentis circa illicita.

**Invidia** ($2^a$ $2^{æ}$, q. 36). Est tristitia de bono alieno, in quantum illud æstimatur ut malum proprium. — Filiæ ejus sunt : odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi et afflictio in prosperis.

**Ira** ($2^a$ $2^{æ}$, q. 158). Dicit appetitum vindictæ qualitercumque contra rationem, quod contingit dupliciter : *a*) vel ex parte ipsius objecti, puta si appetat puniri eum qui non meruit, vel ultra quam meruit, vel etiam non secundum legitimum ordinem, vel non propter debitum finem; *b*) vel quantum ad modum, si scilicet motus iræ immoderate fervescat vel interius vel exterius. — Filiæ ejus sunt : rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio et blasphemia.

St. Albert's College Library

*De imputabilitate et responsabilitate.*

§ 1. — Quid sint.

223. **Imputatio et imputabilitas.** Imputare, quoad nomen idem est ac computare et in alicujus rationes pecuniarias referre. Ita

Seneca : « hoc non imputo in solutum de tuo tibi[1] ». Unde aptissimum visum est vocabulum ad designandam computationem eorum quæ debentur actui humano, seu melius quæ debentur homini ratione actus moralis.

Imputatio breviter dici potest : Attributio actus moralis.

**Definitur :** Judicium quo actus moralis vel ejus omissio auctori tribuitur tanquam agenti morali.

Unde imputabilitas definitur : Proprietas actus humani ratione cujus tribuitur auctori tanquam ipsius actus domino.

Cognatus est *responsabilitatis* conceptus. Sed imputabilitas se habet ex parte actus, responsabilitas ex parte agentis : actus est imputabilis, homo est responsabilis ex suo actu.

Responsabilitas definitur : Proprietas vi cujus homo obligatur ad respondendum de actibus suis.

**Distinguitur**. Responsabilitas *moralis* vel *juridica*, prout agitur de obligatione respondendi vel in conscientia, in foro interno, coram Deo ; vel in judicio, in foro externo, coram judice.

Iterum responsabilitas juridica distinguitur *pœnalis* vel *civilis*. Pœnalis, in materia pœnali, quando agitur de pœna infligenda propter delictum ; sequitur ex culpa morali. Civilis, in materia civili, quando agitur de reparando damno illato etiam absque culpa proprie dicta ; sequitur ex culpa juridica.

*Nota.* Responsabilitatem esse neologismum recentissime inventum, qui non invenitur nec apud auctores infimæ latinitatis. Antiquitus tractabant de imputabilitate, hodie sæpius loquuntur juristæ de responsabilitate. Forte mirabitur aliquis conceptum responsabilitatis adeo fundamentalem in nostro jure pœnali, totaliter omitti sive apud Scholasticos, sive etiam in Jure Romano. — Ratio videtur esse quod antiqui uti solebant conceptibus purioribus, recentiores vero non adeo cavent a conceptibus permixtis ex quibus facilius oritur confusio. Sed longe purior est conceptus imputabilitatis qui non continet aliud præter rationem attributionis moralis ; responsabilitas vero includit quemdam respectum ad demeritum et ad pœnam, ideoque faciliorem præbet ansam æquivocationibus. Unde *H. Ferri* videtur identificare responsabilitatem cum punibilitate.

Cum hoc sit primum caput et fundamentum philosophiæ juris pœnalis, ejusdem philosophiæ juris pœnalis præcipua capita nobis exponenda sunt, et quidem secundum varios gradus per quos evolvitur processus criminalis in justitia pœnali.

1. *Epist.* 8.

224. **Processus criminalis compendiosa expositio.** Duo homines rixantur : unus cadit mortuus et alter aufugit. 1° Ante omnia oportet ut cum certitudine cognoscatur causa mortis : an fuerit naturalis, vel ex actione violenta? Si enim ex autopsia constet mortuum obiisse ex rupto anevrysmo, tunc habetur simplex rixa, non homicidium. — 2° Si constet mortem esse effectum violentæ actionis, quæritur quis fuit auctor istius actionis? Accusatur Petrus et convincunt eum esse auctorem facti (attributio physica). — 3° Investigant quomodo peractum est istud factum. *a*) Processit factum ex dementia : non est delictum, recluditur Petrus in asylo et res finita est. *b*) Processit ex legitima defensione vel ex inadvertentia inculpabili : non est delictum, relinquitur Petrus et res finita est. *c*) Processit ex odio et vindicta : actio imputatur ad culpam (attributio moralis), Petrus est responsabilis. — 4° Culpæ debetur pœna proportionata. — 5° Pœna proportionata gravitati homicidii est pœna mortis. — 6° Judex pronuntiat et carnifex exequitur eam.

225. **Philosophiæ Juris pœnalis præcipua capita.** Contra totum hunc processum plurimæ fiunt difficultates : 1° Quidem (incipiendo ab ultimis gradibus) dicunt quidam : Supprimendam esse pœnam mortis, sive utpote injustam, sive propter nimia sua inconvenientia. — De hoc tractabitur in altera parte, in Sociologia.

2° Dubitant multi an et præcipue undenam Societas jus habeat puniendi malefactores. — Etiam de fundamento juris puniendi agetur in Sociologia.

3° Dubitant multi de veritate hujus principii, sc. quod culpæ debetur pœna. — Ad istos respondebitur et in sequenti articulo de Merito et cap. VII, art. 8, de sanctione legis naturalis.

4° Tandem dubitant multi an sit admittenda responsabilitas delinquentium. — Et ea est quæstio quæ nunc nobis tractanda est. Agitur hic de sola responsabilitate : an sit admittenda necne. Et hoc sedulo notandum est, quia huic quæstioni solent adversarii immiscere extraneos respectus sive ad pœnam sive ad fundamentum juris puniendi, quos omnino dimittimus in præsenti, cum non sint hujus considerationis.

226. *Conclusio* 1ª. **Admittenda est actionis moralis imputabilitas, ac consequenter agentis moralis responsabilitas.**

*Probatur.* Quilibet actus attribuitur agenti, quia actus sunt suppositorum. *Atqui.* Actus moralis præter entitatem suam physicam habet etiam moralitatem. *Ergo.* Præter attributionem physicam quæ omnibus actibus convenit, habebit quamdam attributionem specialem, sc. moralem, quæ dicitur imputabilitas.

*Conclusio* 2ª. **Imputabilitatis ac consequenter responsabilitatis fundamentum est libertas.**

*Probatur.* Tunc actus imputatur agenti, quando ita est in agentis potestate quod agens habeat dominium sui actus. *Atqui.* Homo per libertatem habet dominium sui actus. *Ergo.*

*Corollarium* 1ᵐ. Quidquid tollit, minuit, vel auget actionis libertatem, eadem ratione et eatenus tollit, vel minuit, vel auget responsabilitatem.

*Corollarium* 2ᵐ. Moralitas actionis non est imputabilitatis fundamentum, sed solum materia. Adversus *Frins*[1] qui pluries asserit moralitatem esse proximum imputabilitatis fundamentum. *Probatur.* Revera homini imputatur actus moralis, non ex eo quod est bonus vel malus, sed ex eo quod est liber. Unde dicimus actum bonum vel malum esse quidem materiam imputabilitatis, sed verum fundamentum ejus esse libertatem, ex qua æque immediate procedunt et moralitas et imputabilitas, ut dicetur in concl. seq.

*Conclusio* 3ª. **Etsi imputabilitas cum moralitate semper conjungatur, — ab illa tamen distingui debet.** Contra *Puffendorfium* (n. 120).

*Probatur* 1ª *pars.* Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. *Atqui.* Actus liber et est moralis et est imputabilis. *Ergo.*

*Probatur* 2ª *pars,* quia moralitas dicitur per respectum ad rationem quæ est regula boni et mali; imputabilitas, per respectum ad voluntatem ex qua homo habet dominium sui actus.

*Conclusio* 4ª. **Inefficaciter sustinetur imputabilitas ac consequenter responsabilitas a deterministis et omnibus qui negant libertatem.** Ex deterministis, plures rejiciunt responsabilitatem; alii tamen aliud quærunt responsabilitatis fundamentum, quorum conatus censemus inefficaces.

*Probatur* 1° *directe,* ex dictis in concl. 1ª et 2ª.

2° *Indirecte,* ex confutatione novorum systematum. Sic v. g. *Fouillée* responsabilitatis fundamentum reponit in libertate ideali quæ agit tanquam idea-vis (idée-force); *Liszt* in libertate intellectuali; *Tarde,* in imitatione sociali, quæ omnia plane insufficientia sunt ad fundamentum responsabilitatis.

*Conclusio* 5ª. **Sicut aliquando de facto in homine totaliter destruitur libertas et responsabilitas, ita de facto aliquando datur imminuta libertas et imminuta responsabilitas.**

1. *De actibus humanis,* t. II, n. 42.

*Probatur experientia.* Nam perturbatis interioribus viribus sensitivis « ligatur usus rationis humanæ quæ indiget prædictis ad suum actum, sicut patet in arreptitiis. Ligato autem usu rationis, nihil imputatur homini ad peccatum[1] ». Et si rationis ligatio usque ad totalem libertatis destructionem pervenire potest, sæpius inducet libertatis imminutionem; de qua secunda parte legatur Grasset, *Demi-fous et demi-responsables,* quin tamen omnia auctoris dicta comprobemus.

*Corollarium.* Non tamen inde sequitur universaliter negandam esse libertatem et ablegandam responsabilitatem. Contra *H. Ferri*[2].

*Conclusio* 6ª. **Judicium de responsabilitate delinquentium pertinet ad prudentem medicum, — sana philosophia instructum.**

*Probatur* 1ª *pars.* Perturbatio rationis sequitur perturbationem organicam. *Atqui.* Perturbatio organica dignoscitur a medico. *Ergo.* Judicium de responsabilitate pertinet ad medicum.

*Probatur* 2ª *pars,* quia parum aptus esset ad judicandum de responsabilitate in casu particulari et concreto, qui negat omnem responsabilitatem.

*Conclusio* 7ª. **Falso asseritur dementes olim punitos esse ut moraliter responsabiles.** Adversus *Ferri*[3].

*Probatur.* Ex S. Thoma: « sublato judicio rationis tollitur ratio peccati... et ideo id quod agit homo dormiens, qui non habet liberum judicium rationis, non imputatur ei ad culpam, nec illud quod agit furiosus aut amens[4] ». « Manifestum est enim ex magna perturbatione spirituum et humorum impediri rationis actum, ut patet in phreneticis et dormientibus et ebriis[5]. » Unde in Constitutionibus Ordinis Prædicatorum (ante annum 1250), pronunciata propter gravissimam culpam pœna expulsionis, additur: « si tamen usque ad illam horam sani capitis et integri sensus extitit[6] ». — Imo asserit S. Thomas non solum ex amentia, sed aliquando ex momentaneo passionis impetu posse rationis actum ligari imputabilitatemque destrui : « Sed si ligatio rationis per passionem in tantum procederet quod non esset in potestate voluntatis hujusmodi ligamen removere, puta si per aliquam animæ passionem aliquis in insaniam verteretur, quidquid committeret, non imputaretur ei ad culpam, sicut nec alii insano;

1. *Malo,* q. 3, a. 3, ad 9.
2. *La Sociologie criminelle,* c. 3, § 1.
3. *La Sociologie criminelle,* c. 3, § 4.
4. 2ª 2æ, q. 134, a. 5.
5. *Malo,* q. 3, a. 4.
6. *Constit. Ord. Præd.,* d. 1, c. 19.

nisi forte quantum ad principium talis passionis quod fuit voluntarium : poterat enim voluntas a principio impedire ne passio in tantum procederet[1]. »

### § 2. — De modernis theoriis adversus responsabilitatem.

227. **Schola Anthropologiæ criminalis vel Sociologiæ criminalis.** Post annum 1870, fundatore *Cæsare Lombroso,* orta est in Italia nova schola, dicta Schola *Anthropologiæ criminalis* quæ tum ab auctore, tum ab ejus discipulis *Henrico Ferri, Garofalo, Sighele,* etc... perpolita et sæpius immutata crevit, alteramque peperit scholam seu scientiam, dictam *Sociologiam criminalem.* Anthropologia criminalis, ut ipsum nomen sonat, considerat hominem delinquentem plurimaque facta tradit ex quibus Sociologia criminalis leges criminalitatis coordinare satagit multasque educit conclusiones ad reformandum hodiernum jus pœnale. Ex origine dicta est etiam Schola Italica; per plures annos ingentem rumorem excitavit, sed hodie valde derelicta jacet. Juvat tamen istas theorias referre, non solum quia locum suum tenent in Historia Philosophiæ, sed ad efficacius destruenda pauca illa vestigia quæ adhuc remanent.

Ante omnia docent fautores istius scholæ distinguendos esse delinquentes in duas classes, quæ sunt : delinquens *ex occasione* (seu criminaloides), et delinquens *ex professione* (delinquens natus). De priore minus curant, sed ex altero demonstrari putant delinquentium irresponsabilitatem. Ad hoc plures, sive successive, sive etiam simultanee, excogitaverunt theorias ex quibus quatuor tantum confutabimus.

#### I. — Theoria delinquentis nati.

228. *Exponitur.* Delinquens natus est quidam typus specialis speciei humanæ. Iste typus habet caracteres : 1° anatomicos, qui innotescunt mensuratione cranii, maxillarum, nasi, aurium, staturæ, ponderis, membrorum ac præcipue cerebri; 2° physionomicos (id est anomalias in facie), qui sunt maximi momenti; 3° psychologicos, v. g. ut in barbaris gentibus, in usum adhibent delineationes in cute (tatuaggio), loquelam deformem (gergo), eorum scripta sunt vilia, intelligentia mediocris, extrema improvidentia et levitas, insensibilitas moralis, carentia remorsus (de suicidio disputatur), pigritia, excessus in cibo

1. *Malo,* q. 3, a. 10.

et potu, irreligio. Ex istis omnibus resultat quidam typus physicus, cujus operatio normalis est delictum, sicut balbo normale est balbutire.

*Conclusio.* **Gratuito asseritur typus delinquentis nati.**

*Probatur.* 1° Non est typus purus, sed compositus. Supposito enim quod delinquentium prædicti sint caracteres, deberent semper iidem caracteres inveniri ; imo singula delicta speciales caracteres præ se ferre deberent, quod est manifeste falsum.

2° Dicti characteres non sunt proprii delinquentibus : inveniuntur enim apud multos viros honestos. — *Respondet Ferri :* id facile intelligi, cum tot delictorum auctores maneant ignoti. — *Sed contra.* Non licet hominem punire ut delinquentem, ex eo quod unum vel plures ex dictis caracteribus habeat.

Unde etiam a Positivistis, ut prorsus insufficiens, reprobata est ista theoria in Congressibus Parisiensi et Bruxellensi.

## II. — Theoria atavismi moralis.

229. *Exponitur.* Hæreditas physiologica est illa proprietas vi cujus generantes, præter naturam specificam, genito communicant aliquos characteres individuantes, et quando procedit ista communicatio a remotis genitoribus, dicitur Atavismus. Doctrina hæc hæreditatis physiologicæ, in se certissima, unum est ex præcipuis fundamentis Evolutionismi. Asserunt igitur delictum inveniri etiam in statibus anterioribus, cujus exempla sint : dionæa devorans muscas, lupi qui se devorant inter se, felis mater quæ devorat catulos suos, etc. Unde delictum quod in statu præsenti nobis videtur factum anormale, tunc erat actio normalis ; et ideo considerari debet ut regressio atavica, cujus intermedia inveniuntur in vita hominis primitivi, et etiam hodie in barbaris quibus furtum et homicidium est normale, et in pueris.

*Conclusio.* **Hujsumodi atavismus moralis est rejiciendus.**

*Probatur.* 1° Falsum est homines primitivos, vel barbaros, vel pueros, destitutos esse omni moralitate.

2° Specialiter rejicitur ista theoria a Positivistis qui non possunt admittere atavismum moralem sine atavismo physico cui innitatur. Sed non datur atavismus physicus : delinquentes enim, licet in agendo aliquam similitudinem habeant cum lupo, vulpe, etc., non participant caracteres physicos lupi aut vulpis.

### III. — Theoria pathologica.

230. *Exponitur.* Criminalitas est quædam dementia, vel epilepsia larvata, vel hysteria aut neurasthenia, vel degeneratio.

*Conclusio.* **Nec admittenda est explicatio mere pathologica criminalitatis.**

*a*) *Maxime differunt delinquentes a dementibus. Probatur.* Demens est alienatus, — est solitarius, non associatur, non habet complices, — non delectatur in comessationibus vel jocis, — non imitatur alios, — agit sine motivo, sine utilitate et post factum nullum habet remorsum. Sed contrarium est apud delinquentes; nec sufficienter explicatur si dicant esse specialem dementiam, sc. moralem : hoc enim sine fundamento asseritur.

*b*) *Valde differt crimen ab epilepsia larvata, hysteria vel neurasthenia. Probatur.* Multi enim viri honesti dictis morbis laborant et multi delinquentes ab iisdem sunt immunes.

*c*) *Degeneratio non est ratio adæquata criminalitatis. Probatur. Degenerati* dicuntur illi in quibus deficit natura humana ab illo gradu perfectionis physicæ, qui consideratur ut debitus homini normali. Defectus isti, dicti stigmata degenerationis, sunt vel anatomici : in labiis, oculis, auribus, pedibus, ex hypertrophia et sæpius ex atrophia; vel physiologici, in loquela, in motibus deordinatis membrorum ; vel psychici, ut debilitas mentalis, idiotia. Quibus stigmatibus, aiunt, addi deberet criminalitas. — *Sed contra,* ut modo dictum est, multi viri honesti dictis defectibus laborant et multi delinquentes ab iisdem sunt immunes.

### IV. — Theoria causarum socialium.

231. *Exponitur.* « Le criminel, c'est le microbe; le milieu social, c'est le bouillon de culture de la criminalité. Les sociétés n'ont que les criminels qu'elles méritent[1] » (*Lacassagne*).

*Conclusio.* **Neque ex theoria causarum socialium demonstratur irresponsabilitas delinquentium.**

*Probatur.* Concedimus ex quibusdam pessimis conditionibus socialibus frequentiora sequi delicta, non vero sequi fataliter. Ideo non solum imprudenter sed nefarie agunt illi civilis auctoritatis detentores qui religionis auctoritatem totis viribus impugnant, cum, teste

1. Cit. ap. Delassus, *Les théories modernes de la criminalité.*

experientia, nullum detur ad præcavenda delicta adeo efficax medium ut ipsa religio.

## ARTICULUS III

### *De merito et demerito* (1ª 2æ, q. 21, a. 3 et 4).

232. **Definitiones.** Meritum definitur : Proprietas vi cujus actio humana ordinem dicit ad retributionem ex eo quod vergit in profectum vel nocumentum alterius.

Retributio pro bono dicitur *præmium;* retributio pro malo, *pœna.* Præmium et pœna considerari possunt : — vel per respectum ad meritum cujus sunt terminus, et de illis sic agitur nunc; — vel per respectum ad sanctionem legis (nam sanctionis sunt etiam objectum), et sub hoc respectu de illis agetur cap. VII, art. 8.

Meritum dicitur dupliciter : vel *in concreto,* vel *in abstracto.* Meritum in concreto est ipsa actio meritoria; meritum in abstracto seu formaliter est proprietas actionis, juxta definitionem supra positam.

**Conditiones meriti.** Ad rationem meriti duo requiruntur : 1° quod actio fuerit imputabilis agenti; 2° quod causaverit bonum alteri.

*Quæritur.* An sit addenda tertia conditio, sc. quod actio meritoria non sit debita ex justitia? — *Respondetur :* Merito non obstare quod actio sit debita ex justitia, nisi et ipsa sit retributoria alterius meriti.

**Divisiones.** Distinguitur 1° meritum *naturale* vel *supernaturale,* scilicet in ordine naturali vel supernaturali.

2° Meritum de *condigno* et *de congruo.* Meritum de condigno (quod solum est stricte meritum) habetur quando valor operis æquat valorem præmii, quod redditur ex justitia. Meritum de congruo habetur quando valor operis non æquat valorem præmii, tunc enim non debetur præmium ex justitia, sed ex decentia. Ratione primi, militi debetur stipendium; ratione secundi, distinctiones honorificæ.

Item, meritum de condigno est duplex : primum, *de rigore justitiæ,* ita importat æqualitatem valoris ut excludat omnem gratiam, sic meritum Christi; alterum, *de condignitate tantum,* importat quidem valorem æqualem, sed supposita aliqua gratia facta merenti a præmiante.

233. *Conclusio* 1ª. **Homo actibus suis potest mereri vel demereri apud alios homines.**

*Probatur.* Aliquando actio humana vergit in profectum vel nocumentum alterius. *Atqui.* Justitia exigit ut is qui profectum accepit ex alterius actione, alterum recompenset; et qui nocumentum passus est, a nocente resarciatur, in quo consistit ratio meriti. *Ergo...*

*Probatur minor.* Justitia reddit unicuique quod suum est ad æqualitatem. *Atqui.* Quando quis profectum vel nocumentum accepit ex alterius actione, æqualitas solvitur quæ reparari debet. *Ergo.*

234. *Conclusio* 2ª. **Homo actibus suis potest mereri vel demereri apud Societatem.**

*Probatur.* Aliquando actio humana vergit in profectum vel nocumentum Societatis. *Atqui.* Justitia exigit ut is qui profectum accepit ex alterius actione, alterum recompenset; et qui nocumentum passus est, a nocente resarciatur, in quo consistit ratio meriti. *Ergo.* Homo actibus suis potest mereri vel demereri apud Societatem. Et hoc contingit dupliciter : aliquando enim Societas directe proficit vel damnificatur; aliquando indirecte tantum, quatenus proficit vel damnificatur homo qui est membrum Societatis.

*Corollarium. a*) Actus directus in bonum vel malum singularis personæ habet meritum vel demeritum, primario apud personam, secundario apud Societatem. *b*) Actus directus in bonum vel malum Societatis habet meritum vel demeritum primario apud Societatem, secundario apud singula membra. *c*) Actus directus in bonum vel malum ipsius agentis, non habet meritum vel demeritum apud ipsum agentem, quia justitia est ad alterum, sed potest habere secundario rationem meriti vel demeriti erga Societatem.

235. *Conclusio* 3ª. **Homo actibus suis potest mereri vel demereri apud Deum.**

*Probatur.* Actus humanus habet rationem meriti vel demeriti secundum quod ordinatur ad alterum, vel ratione ejus, vel ratione communitatis. *Atqui.* Utroque modo actus nostri boni vel mali habent rationem meriti vel demeriti apud Deum. *Ergo.*

*Minoris* 1ª *pars,* sc. ratione ipsius Dei, *probatur.* Deus est ultimus finis hominis. *Atqui.* Fini ultimo debetur ut ad ipsum omnes actus referantur. *Ergo.* Qui facit actum malum non referibilem in Deum non servat honorem qui ultimo fini debetur, et sic demeretur erga Deum ratione ipsius Dei.

*Minoris* 2ª *pars,* sc. ex parte communitatis, *probatur.* In qualibet communitate, qui regit communitatem præcipue habet curam boni communis. *Atqui.* Deus est rector et gubernator totius universi. *Ergo.* Deo præcipue competit habere curam boni communis totius universi. *Subsumo, Atqui.* Qui habet curam boni communis retribuere debet

pro his quæ bene vel male fiunt in communitate. *Ergo.* Deo competit retribuere, quatenus est gubernator universi.

*Corollarium.* In ordine mere naturali, omnis actio humana esset meritoria vel demeritoria apud Deum. Non sic vero, supposita elevatione hominis ad ordinem supernaturalem, nam actus naturaliter bonus, sed extra gratiam, nec meritorius proprie nec demeritorius est apud Deum.

*Objicies* 1°. Actus humanus est meritorius ex eo quod vergit in profectum vel detrimentum alterius. *Atqui.* Nullus actus humanus potest vergere in bonum vel damnum Dei. *Ergo.*

*Respondeo. Distinguo minorem :* in bonum vel damnum personale Dei, *concedo;* in damnum honoris Deo debiti, *nego :* quia omnis actus bonus Deo dat honorem et omnis actus malus lædit honorem Deo debitum.

*Objicies* 2°. Instrumentum nihil meretur. *Atqui.* Homo est instrumentum Dei. *Ergo.*

*Respondeo. Distinguo minorem :* homo est quidem instrumentum Dei, liberum tamen et ideo meriti capax.

*Objicies* 3°. Homo quidquid habet naturæ vel virium, accepit a Deo. *Ergo.* Quando facit actum bonum reddit Deo quod debet, unde non potest mereri.

*Respondeo. Concedo antecedens,* et ideo non potest habere meritum de rigore justitiæ, sed ex voluntate Dei qui decernendo ordinem universalem decrevit actionem bonam essentialiter ordinari ad præmium, necnon et actionem malam essentialiter ordinari ad pœnam.

## CAPUT V

### DE PASSIONIBUS ANIMÆ

Post considerationem actuum humanorum qui sunt proprii hominis, nobis agendum est de passionibus, quæ sunt communes hominibus et brutis animalibus. Agemus 1° de passionibus psychologice (art. 1); 2° de passionibus moraliter (art. 2).

### ARTICULUS I

### *De passionibus psychologice.*

§ 1. — **De subjecto passionum** (1ª 2æ, q. 21).

236. **Quid sit passio? 1° quantum ad nomen.** *Passio* (πάθος) venit a *pati,* quod dicitur per oppositionem ad *agere.*

Ideo tripliciter dicitur pati : 1° propriissime, quando abjicitur aliquid conveniens : sic patitur homo quando amittit sanitatem, ideo morbus est passio, « et hic est propriissimus modus passionis, nam pati dicitur ex eo quod aliquid trahitur ad agentem[1] » ; 2° proprie, quando abjicitur quidem aliquid, sed non conveniens : sic dicitur pati qui, morbo rejecto, recipit sanitatem ; 3° magis communiter, « secundum quod omne recipere est pati, etiamsi nihil abjiciatur a re[2] ».

« Et his tribus modis contingit esse in anima passionem. » Solus tamen tertius modus per se competit animæ, et in hoc sensu intelligere dicitur passio animæ. Pati vero proprie (id est cum abjectione) non potest anima per se, sed ratione compositi.

237. 2° **Quantum ad rem.** Passio definitur : Motus appetitus sensitivi, ex imaginatione boni vel mali sensibilis, cum transmutatione corporali.

1. *Loc. cit.*
2. *Ibid.*

Completa quidem passionis definitio habetur ex verbis : *Motus appetitus sensitivi;* cetera vero adduntur ad significandas conditiones per se passionis, sc. tum causam passionis, quia procedit ex cognitione sensitiva : *ex imaginatione boni vel mali sensibilis;* tum effectum ejus : *cum transmutatione corporali.*

Convenienter applicatur nomen passionis actui partis appetitivæ potius quam actui partis cognoscitivæ. « Nam nomine passionis importatur quod patiens trahatur ad id quod est agentis. Magis autem trahitur anima ad rem per vim appetitivam quam per vim apprehensivam : nam per vim appetitivam anima habet ordinem ad ipsas res prout in seipsis sunt; vis autem apprehensiva non trahitur ad rem secundum quod in seipsa est, sed cognoscit eam secundum intentionem rei, quam in se habet vel recipit secundum proprium modum[1]. »

Item, convenientius applicatur actui appetitus sensitivi quam actui voluntatis. Pati enim proprie, id est cum abjectione, non est nisi secundum transmutationem corporalem. « In actu autem appetitus intellectivi non requiritur aliqua transmutatio corporalis, quia hujusmodi appetitus non est virtus alicujus organi[2]. » « Sed ad actum appetitus sensitivi per se ordinatur hujusmodi transmutatio; unde in definitione motuum appetitivæ partis materialiter ponitur aliqua naturalis transmutatio organi, sicut dicitur quod ira est accensio sanguinis circa cor[3]. »

### § 2. — **Passionum classificatio** (1ª 2æ, q. 23).

238. *Conclusio* 1ª. **Ratione subjecti, distinguuntur passiones appetitus concupiscibilis et appetitus irascibilis** (a. 1).

*Probatur.* Passiones diversificantur ex objecto. *Atqui.* Diversum est objectum passionum appetitus concupiscibilis et appetitus irascibilis. *Ergo.* Diversificantur passiones ex hoc quod sunt appetitus concupiscibilis vel irascibilis.

*Probatur major.* Actus specificantur ex objecto. *Atqui.* Passio est actus. *Ergo.*

*Probatur minor.* Appetitus concupiscibilis et appetitus irascibilis sunt duæ potentiæ diversæ. *Atqui.* Cum diversæ potentiæ habeant

1. *Loc. cit.*
2. *Ibid.*
3. *Ibid.*

diversa objecta, necesse est quod passiones diversarum potentiarum ad diversa objecta referantur. *Ergo.*

239. *Conclusio* 2ª. **In actibus animæ, actus ad diversas potentias pertinentes sunt non solum specie, sed etiam genere diversi; actus autem vel passiones respicientes diversa objecta specialia comprehensa sub uno communi objecti illius potentiæ differunt sicut species illius generis** (ibid.).

*Probatur.* In naturalibus diversitas generis consequitur diversitatem potentiæ materiæ, diversitas autem speciei diversitatem formæ in eadem materia. *Atqui.* In actibus animæ diversitas objecti quæ diversificat potentiam se habet ut diversitas potentiæ materiæ, et diversitas objecti quæ diversificat varios actus ejusdem potentiæ se habet ut diversitas formæ. *Ergo.* Ex diversitate potentiæ resultat inter actus animæ diversitas generica; ex diversitate vero objecti sub objecto communi potentiæ, diversitas specifica.

240. *Conclusio* 3ª. **Distinguuntur passiones secundum contrarietatem boni et mali** (a. 2).

*Probatur.* Passio est motus appetitus sensitivi. *Atqui.* Omnis motus specificatur a termino. *Ergo.* Passio specificatur a termino. *Subsumo, Atqui.* Terminus motus appetitus cujuslibet est bonum, cui per se opponitur malum. *Ergo.* Specifice distinguuntur passiones ex eo quod sunt circa bonum vel circa malum.

241. *Conclusio* 4ª. **Passiones irascibilis distinguuntur secundum accessum vel recessum** (ibid.).

*Probatur.* Passio est motus seu mutatio in anima. *Atqui.* In mutationibus attenditur contrarietas secundum accessum et recessum ab eodem termino : sic enim opponuntur generatio quæ est mutatio ad esse, et corruptio quæ est mutatio ab esse. *Ergo.* Etiam in passionibus potest attendi contrarietas secundum accessum vel recessum per respectum ad eumdem terminum.

In passionibus quidem concupiscibilis non invenitur hæc contrarietas : « Ratio est quia objectum concupiscibilis est bonum vel malum sensibile absolute. Bonum autem, in quantum bonum, non potest esse terminus ut a quo, sed solum ut ad quem : quia nihil refugit bonum, sed omnia appetunt ipsum. Similiter nihil appetit malum in quantum hujusmodi, sed omnia fugiunt ipsum : et propter hoc malum non habet rationem termini ad quem, sed solum termini a quo. Sic igitur omnis passio concupiscibilis respectu boni est ut in ipsum, sicut amor, desiderium et gaudium; omnis vero passio respectu mali est ut ab ipso sicut odium, fuga seu abominatio et tristitia. Unde in passionibus

concupiscibilis non potest esse contrarietas secundum accessum et recessum ab eodem objecto[1]. »

Sed invenitur in passionibus irascibilis : « Objectum irascibilis est sensibile bonum vel malum, non quidem absolute, sed sub ratione difficultatis vel arduitatis. Bonum autem arduum sive difficile habet rationem ut in ipsum tendatur in quantum est bonum, quod pertinet ad rationem spei; et ut ab ipso recedatur in quantum est arduum et difficile, quod pertinet ad passionem desperationis. Similiter malum arduum habet rationem ut vitetur in quantum est malum, et hoc pertinet ad passionem timoris; habet etiam rationem ut in ipsum tendatur sicut in quoddam arduum per quod scilicet aliquis evadit subjectionem mali, et sic tendit in ipsum audacia. — Invenitur ergo in passionibus irascibilis contrarietas secundum contrarietatem boni et mali, sicut inter spem et timorem; et iterum secundum accessum et recessum ab eodem termino, sicut inter audaciam et timorem[2]. »

242. *Conclusio* 5ª. **Singulare est in passione iræ quod non potest habere contrarium** (a. 3).

*Probatur*. Attenditur contrarietas in passionibus vel secundum accessum, et recessum, vel secundum contrarietatem boni et mali. *Atqui*. Ex neutro capite potest ira habere contrarium. *Ergo*.

*Probatur minor*. *a*) Non secundum accessum et recessum : Causatur ira ex malo difficili præsente. *Atqui*. Ad præsentiam mali necesse est quod : aut appetitus succumbat, et est tristitia in appetitu concupiscibili; aut motum habeat ad invadendum malum læsivum, et est ira; motum autem ad fugiendum habere non potest, cum sit malum jam præsens vel præteritum. *Ergo*. — *b*) Non secundum contrarietatem boni et mali : malo injacenti opponitur bonum adeptum. *Atqui*. Bonum adeptum non habet rationem ardui et ex ipso sequitur gaudium in concupiscibili. *Ergo*.

*Corollarium*. « Motus iræ non potest habere aliquem motum animæ contrarium, sed solummodo opponitur ei cessatio a motu; sicut Philosophus dicit quod mitescere opponitur ei quod est irasci; quod non est oppositum contrarie, sed negative vel privative[3]. »

243. *Conclusio* 6ª. **Specifice distinguuntur absque contrarietate passiones ejusdem potentiæ secundum diversos gradus consideratos in processu appetitivi motus** (a. 4).

*Probatur*. Tres sunt gradus in processu motus appetitivi : 1° Bonum apprehensum ut conveniens, informat appetitum, inclinationem-

1. *Loc. cit.*
2. *Ibid.*
3. *Loc. cit.*

que producit, quæ est connaturalitas ad bonum et dicitur *amor;* 2° bonum illud, aliqualiter conjunctum, sc. per apprehensionem, quærit ulterius ut realiter possideatur, et sic producitur motus ad bonum absens, qui dicitur *desiderium;* 3° Bonum adeptum dat quietationem appetitus in bono adepto, quod est *gaudium.* Dicti tres motus sunt actus specifice diversi.

Quæ de bono exposita sunt verificantur etiam de malo, servata debita contrarietate, nam « in motibus appetitivæ virtutis bonum habet virtutem quasi attractivam, malum autem virtutem repulsivam ». Unde amori opponitur *odium,* desiderio *fuga,* gaudio *tristitia.*

Similiter in appetitu irascibili, cum sequentibus tamen differentiis. Primus gradus non ponit specialem passionem in irascibili, quia præsupponitur inclinatio ad prosequendum bonum vel malum, ex concupiscibili quæ absolute respicit bonum vel malum. — Quoad secundum gradum : respectu boni nondum adepti est *spes* et *desperatio;* respectu autem mali nondum injacentis, est *timor* et *audacia.* — Quoad tertium vero gradum : respectu boni adepti, non est aliqua passio in irascibili, quia non habet rationem ardui (ex dictis in concl. præc.); sed ex malo jam injacenti sequitur passio *iræ.*

Hæc distinctio secundum diversos gradus acceptos in motu appetitivo, est quidem secundum speciem, quia bonum vel malum proprie dividitur per habitum realiter, vel non habitum realiter; — sed tamen absque contrarietate, cujus ratio est, quia hujusmodi passiones differunt secundum perfectum et imperfectum, ut patet in desiderio et gaudio.

## 244. CONSPECTUS 11 PASSIONUM ANIMÆ.

### I. In appetitu concupiscibili.

| *Bonum* | | *Malum* |
|---|---|---|
| **Amor.** | in se, abstrahendo a præsenti vel absenti | **Odium.** |
| **Desiderium.** | absens | **Fuga.** |
| **Delectatio.** | præsens | **Tristitia.** |

### II. In appetitu irascibili.

| *Bonum arduum absens.* | *Malum arduum absens.* |
|---|---|
| possibile : **Spes.** | evitabile : **Audacia.** |
| impossibile : **Desperatio.** | inevitabile : **Timor.** |

*Malum arduum præsens,*
**Ira** (caret contrario).

« Sic igitur patet quod in concupiscibili sunt tres conjugationes passionum, scilicet : amor et odium, desiderium et fuga, gaudium et tristitia. Similiter in irascibili sunt tres, scilicet : spes et desperatio, timor et audacia, et ira cui nulla passio opponitur. Sunt ergo omnes passiones specie differentes undecim : sex quidem in concupiscibili et quinque in irascibili, sub quibus omnes animæ passiones continentur » (a. 4).

245. *Conclusio* 7ª. **Præter has undecim principales passiones, dantur aliæ minus principales, quæ scilicet habent objectum magis determinatum et particulare, et inter quas attenditur differentia quasi accidentalis** (*Ver.*, q. 26, a. 4).

*Declaratur.* Hoc contingit dupliciter : 1° secundum intensionem et remissionem : sic zelus est amor intensus, et furor est ira intensa : 2° secundum materiales differentias boni vel mali, sicut differunt misericordia et invidia quæ sunt species tristitiæ : nam invidia est tristitia de prosperitate aliena, in quantum æstimatur malum proprium ; misericordia vero est tristitia de adversitate aliena, in quantum æstimatur ut proprium malum. Et sic est in aliis quibusdam considerare.

246. **De affectibus voluntatis.** Hucusque motus appetitivæ virtutis consideravimus in appetitu sensitivo : eadem tamen classificatio actibus voluntatis applicari debet, hoc solum excepto quod præfati motus tunc significant simplicem actum voluntatis absque immutatione organica. « Manifestum est quod omne particulare continetur sub universali, sed non convertitur, unde in quodcumque potest ferri irascibilis vel concupiscibilis, potest etiam ferri voluntas et in multa alia. Sed voluntas fertur in suum objectum absque passione, eo quod non utitur organo corporali, irascibilis autem et concupiscibilis cum passione et ideo motus omnes qui sunt in irascibili et concupiscibili cum passione, ut amoris, gaudii, spei et hujusmodi, possunt esse in voluntate sine passione[1]. » Si enim ratio voluntati proponat bonum absolute, aderit amor ; si bonum absens, desiderium ; si bonum præsens, delectatio. Similiter, si malum absolute, odium ; si malum absens, fuga ; si malum præsens, tristitia. Item de bono vel malo arduo. « Omnia enim hujusmodi affectionum nomina secundum quod sunt actus appetitus sensitivi, passiones quædam sunt ; secundum vero quod sunt actus appetitus intellectivi, sunt simplices motus voluntatis[2]. »

1. *Malo*, q. 8, a. 3.
2. *Malo*, q. 11, a. 1 et passim.

247. A Thomistica terminologia recedunt plures recentiores qui cum *T. Pesch* volunt affectus vel affectiones voluntatis essentialiter includere quamdam appetitus sensitivi commotionem. « Est igitur affectus non sine appetitus sensitivi commotione Quapropter definiri solet, ut sit operatio appetitus rationalis ex apprehensione intellectiva boni vel mali cum aliqua transfusione in partem sensitivam[1]. »

*Sed contra.* Quotiescumque loquitur S. Thomas de affectibus voluntatis semper excludit motum partis sensitivæ : « Secundum *intellectivam affectionem* non est aliqua passio, sed solum secundum sensitivam, ut probatur in 7 *Physic.*[2] ». « Amor, concupiscentia et hujusmodi dupliciter accipiuntur. Quandoque quidem secundum quod sunt quædam passiones, cum quadam scilicet concitatione animi provenientes et sic communiter accipiuntur, et hoc modo sunt solum in appetitu sensitivo. Alio modo significant *simplicem affectum sine passione* vel animi concitatione, et sic sunt actus voluntatis : et hoc etiam modo attribuuntur angelis et Deo[3]. » « Omnia enim hujusmodi *affectionum* nomina secundum quod sunt actus appetitus sensitivi passiones quædam sunt; secundum vero quod sunt actus appetitus intellectivi sunt simplices motus voluntatis[4]. » Unde « solus Deus cogitationes cordium et *affectiones voluntatum* cognoscere potest[5] ». Falsum est igitur apud S. Thomam in conceptu *affectuum* vel *affectionum* voluntatis essentialiter includi quamdam appetitus sensitivi commotionem. Certe motus appetitus sensitivi jungi potest actui voluntatis, idque regulariter contingit cum actus voluntatis est intensus : « Cum superior pars animæ intense movetur in aliquid, sequitur motum ejus etiam pars inferior[6] »; « non enim potest voluntas intense moveri in aliquid quin excitetur aliqua passio in appetitu sensitivo[7] ». Non tamen semper est intensus motus voluntatis : « Voluntas potest moveri ad aliquod particulare bonum absque passione appetitus sensitivi; multa enim volumus et operamur absque passione per solam appetitus electionem, ut patet in his in quibus ratio renititur passioni[8]. » Sed etiamsi concedatur omni actui voluntatis jungi aliqualem transmutationem corporalem[9], ista transmutatio corporalis per accidens se habet ad affectionem voluntatis, et apud S. Thomam vocatur *passio consequens per modum redundantiæ.* « Passiones animæ dupliciter se possunt habere ad judicium rationis. Uno modo antecedenter... Alio modo se habent *consequenter.* Et hoc dupliciter : uno modo, *per modum redundantiæ*[10]. Nam motus superiorum virium, si sint vehementes, *redundant* in inferiores[11]. » Unde sicut passio est

1. *Pychologia*, t. III, n. 1112.
2. *Cont. Gent.*, l. 1, c. 89.
3. 1, q. 82, a. 5, ad 1.
4. *Malo*, q. 11, a. 1.
5. 1, q. 57, a. 4.
6. 1ª 2æ, q. 24, a. 3, ad 1.
7. 1ª 2æ, q. 77, a. 6.
8. 1ª 2æ, q. 10, a. 2, ad 3.
9. Noble, *Le plaisir et la joie :* « Nous ne croyons pas concrètement réalisable chez l'homme un état affectif pur, de quelque ordre qu'il soit, intellectuel ou sensible : la joie la plus éthérée ne va pas sans quelque plaisir conséquent, si faible soit-il, et il n'y a pas de plaisir sensible sans la mise en jeu, aussi minime que l'on voudra, de l'affectivité intellectuelle. » *Rev. des Sc. Phil. et Théol.*, 1911, p. 36.
10. 1ª 2æ, q. 24, a. 3, ad 1.
11. 1ª 2æ, q. 77, a. 6. Cf. 1ª 2æ, q. 31, a. 5 : « Quoad nos delectationes corporales sunt magis vehementes...., quia delectationes sensibiles cum sint passiones sensitivi appetitus sunt cum transmutatione corporali, quod non contingit in delectationibus spiritualibus, nisi

essentialiter actus appetitus sensitivi, licet aliquando conjungatur cum actu voluntatis, ita affectio voluntatis est essentialiter purus actus appetitus rationalis, licet aliquando conjungatur cum motu appetitus sensitivi.

## ARTICULUS II

### *De passionibus moraliter.*

#### § 1. — Quomodo habeant in se moralitatem formaliter sumptam (1ª 2æ, q. 24).

248. *Conclusio* 1ª. **Passiones si considerentur secundum se, omni moralitate destituuntur** (a. 1).

*Probatur.* Bonum vel malum morale dependet a ratione. *Atqui.* Passiones secundum se nullum dicunt ordinem ad rationem. *Ergo.*

*Conclusio* 2ª. **Passiones, si considerentur secundum quod subjacent imperio rationis et voluntatis, habent moralitatem sicut ceteri actus humani** (a. 1 et 2).

*Probatur.* Propinquior est appetitus sensitivus ipsi rationi et voluntati quam membra exteriora. *Atqui.* Actus membrorum exteriorum sunt boni vel mali moraliter, secundum quod sunt voluntarii. *Ergo.* Multo magis et ipsæ passiones, secundum quod sunt voluntariæ, possunt dici bonæ vel malæ moraliter. — Dicuntur autem *voluntariæ* vel ex eo quod a voluntate imperantur, vel ex eo quod a voluntate non prohibentur.

*Corollarium.* Ergo immerito dicuntur a Stoicis passiones *morbi animæ.*

*Conclusio* 3ª. **Quædam tamen passiones ex natura sua sunt bonæ vel malæ moraliter** (a. 4).

*Declaratur simul et probatur.* Agitur hic non de undecim principalioribus passionibus, quæ ex se sunt indifferentes et ad speciem moralitatis determinantur, quatenus homo tendit in bonum verum vel falsum aut refugit a malo vero vel falso; sed de quibusdam passionibus particularibus quæ ex propria materia determinantur ad speciem

per quamdam *redundantiam* a superiori appetitu ad inferiorem », unde 3, q. 21, a. 2, ad 1 : « Caro exultat in Deum vivum non per actum carnis ascendentem ad Deum, sed per *redundantiam* a corde in carnem, in quantum appetitus sensitivus sequitur motum appetitus rationalis. » Iterum, 1ª 2æ, q. 59, a. 5 : « Ad actum justitiæ sequitur gaudium ad minus in voluntate. Et si hoc gaudium multiplicetur per justitiæ perfectionem, fiet gaudii *redundantia* usque ad appetitum sensitivum, secundum quod vires inferiores sequuntur motum superiorem, et sic per redundantiam hujusmodi quanto magis fuerit perfecta, tanto magis passionem causat. »

moralem : sic, tristari est indifferens, sed tristari de bono alterius est malum, ideo invidia, quæ est tristitia de bono alterius, est moraliter mala; item, verecundia, quæ est timor mali turpis, est bona.

### § 2. — Quomodo se habeant ad moralitatem causaliter (1ª 2æ, q. 24, a. 3).

249. Distinguitur passio *antecedens* et *consequens*. Antecedens, quæ præcedit judicium rationis; consequens, quæ sequitur imperium rationis.

Iterum, consequens distinguitur : *per modum redundantiæ*, quando scilicet ex ipsa vehementia voluntatis commovetur inferior appetitus; vel *per modum electionis*, quando scilicet voluntas passiones sponte excitat, ut, cooperante appetitu sensitivo, promptius operetur.

*Conclusio* 1ª. **Passio antecedens minuit moralitatem actus.**

*Probatur*. Moralitas pendet a judicio rationis. *Atqui*. Judicium rationis offuscatur a passione antecedente : « manifestum est enim quod passionem appetitus sensitivi sequitur imaginationis apprehensio et judicium æstimativæ; unde videmus quod homines in aliqua passione existentes, non facile imaginationem avertunt ab his circa quæ afficiuntur[1] ». *Ergo*.

*Corollarium*. « Laudabilius est quod ex judicio rationis aliquis faciat opus caritatis, quam ex sola passione misericordiæ[2]. »

*Conclusio* 2ª. **Passio consequens per modum redundantiæ non est causa, sed signum majoris moralitatis.**

*Probatur*. Ex intensiori voluntate resultat major moralitas. *Atqui*. Passio hæc consequens, cum sit effectus voluntatis, non causat sed indicat intensiorem voluntatem. *Ergo*.

*Conclusio* 3ª. **Passio consequens per modum electionis addit ad moralitatem actus.**

*Probatur*. Tanto augetur moralitas quanto ad plura hominis derivari potest. *Atqui*. Sicut membra exteriora, ita appetitus sensitivus est aliquid hominis quod possit obedire rationi. *Ergo*. Perfectior est moralitas actus cui jungitur passio ad promptius operandum.

*Corollarium*. « Sicut igitur melius est quod homo et velit bonum et faciat exteriori actu, ita etiam ad perfectionem boni moralis perti-

1. *Loc. cit*
2. *Ibid.*

net quod homo ad bonum moveatur, non solum secundum voluntatem, sed etiam secundum appetitum sensitivum, secundum illud quod in Ps. 83 dicitur : *Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum,* ut cor accipiamus pro appetitu intellectivo, carnem autem pro appetitu sensitivo[1]. »

1. *Loc. cit.*

## CAPUT VI

### DE HABITIBUS, VIRTUTIBUS ET VITIIS

Post considerationem actuum humanorum in se, agendum est de actuum principiis tum intrinsecis, tum extrinsecis. Principia intrinseca sunt potentiæ et habitus; principium extrinsecum, lex. De potentiis tractabatur in Psychologia; in hoc capite tractamus de habitibus; in sequenti (cap. VII) tractabimus de lege.

Agemus 1° de habitibus in genere (art. 1); 2° de habitibus bonis, seu de virtutibus (art. 2-5); 3° de habitibus malis, seu de vitiis (art. 6).

### ARTICULUS I

### *De habitibus in genere.*

§ 1. — **Quid sit habitus** ($1^a$ $2^{æ}$, q. 49).

250. Ante omnia præ oculis habenda sunt quædam exempla ex quibus innotescat quid, in omnium acceptione, veniat sub nomine *habitus*. Sint duo homines ex quibus alter perfectissime possidet artem pulsandi organa, alter minime : ars est habitus. Sint duo homines ex quibus alter perfecte loquitur linguam latinam quam ignorat alter : scientia est habitus. Sint duo homines temperans unus, ebriosus alter; quibus si præsentetur potus, utriusque valde diversus erit agendi modus : temperantia et ebriositas sunt habitus.

Ex quibus concludimus habitum esse *quemdam modum se habendi,* unde ipsum nomen *habitus*.

251. *Conclusio* $1^a$. **Habitus ponitur in genere qualitatis** (a. 1).

*Probatur* 1° *indirecte,* exclusione aliorum generum : non est substantia, non est quantitas, etc..., ut de se manifestum est.

2° *directe* applicando definitionem qualitatis. Qualitas definitur :

*accidens secundum quod substantia dicitur qualis,* vel *accidens modificativum seu dispositivum substantiæ in seipsa. Atqui.* Habitus, cum sit quidam modus se habendi, est accidens modificativum seu dispositivum substantiæ, secundum quod substantia dicitur talis. *Ergo.*

252. *Conclusio* 2ª. **Habitus ponitur in prima specie qualitatis** (a. 1).

*Declaratur,* exponendo rationem quatuor specierum qualitatis. Cum qualitas sit accidens dispositivum substantiæ in seipsa, tot sunt species qualitatis, quot modis contingit substantiam disponi in seipsa. *Atqui.* Quatuor modis potest disponi substantia : 1° in ordine *ad ipsam naturam,* ita sc. ut bene vel male se habeat : 1ª species, *habitus* et *dispositio;* — 2° quoad *operari,* quod se tenet ex parte formæ : 2ª species, *potentia* et *impotentia;* — 3° quoad *pati,* quod se tenet ex parte materiæ : 3ª species, *passio* et *patibilis qualitas;* — 4° secundum *partes quantitativas :* 4ª species, *forma* et *figura.*

*Probatur.* In prima specie qualitatis ponuntur habitus et dispositio, quia natura est id quod primum consideratur in re.

*Nota.* Licet habitus aliqualem similitudinem habeat cum potentia, tamen proprie non est potentia quæ ponitur in secunda specie qualitatis. « Habitus a potentia in hoc differt quod per potentiam sumus potentes aliquid facere, per habitum autem non reddimur potentes ad aliquid faciendum, sed habiles vel inhabiles ad id quod possumus bene vel male agendum. Per habitum igitur non datur neque tollitur nobis aliquid posse, sed hoc per habitum acquirimus ut bene vel male aliquid agamus[1]. »

253. *Conclusio* 3ª. **Habitus disponit bene vel male** (ibid.).

*Probatur.* Habitus est modus subjecti in ordine ad naturam rei. *Atqui.* Modus circa naturam attenditur secundum bene vel male. *Ergo.* Habitus disponit bene vel male.

*Probatur minor.* Natura rei est finis et cujus causa aliquid fit, ut dicitur in 2 *Physic. Atqui.* Bonum et malum dicitur per respectum ad finem. *Ergo.* Quando modus est conveniens naturæ rei, tunc habet rationem boni; quando autem non convenit, tunc habet rationem mali.

*Nota.* Quoad hoc communicant in ratione generica habitus et dispositio.

254. *Conclusio* 4ª. **De ratione habitus est quod sit difficile mobilis.** In hoc differt a dispositione (ibid.).

1. *Cont. Gent.,* l. 4, c. 77.

*Probatur.* Habitus est modus subjecti in ordine ad naturam rei. *Atqui.* Modus circa naturam per se diversificatur secundum facile mobile et difficile mobile, quia natura est finis generationis et motus. *Ergo.*

255. *Conclusio* 5ª. **Habitus distinguuntur entitativi vel operativi, secundum quod bene vel male disponunt in essendo vel in operando** (a. 3).

*Probatur.* 1° *exemplo :* « Aliquid disponitur bene vel male dupliciter : scilicet secundum se aut per respectum ad aliquid. Sicut sanum est quod est bene dispositum secundum se, robustum autem quod est bene dispositum ad aliquod agendum[1]. »

2° *ratione.* Habitus primo et per se importat habitudinem ad naturam rei. *Atqui.* Natura rei quæ est subjectum habitus, aliquando dicit ordinem directe et immediate ad esse, scilicet quando subjectum habitus est essentia; aliquando dicit ordinem immediate ad operari, quando subjectum habitus est potentia, quæ essentialiter est principium immediatum actus. *Ergo.* Licet omnes habitus aliquo modo dicant ordinem ad operationem, (scilicet saltem mediate, quia etiam esse ordinatur ad operari), tamen recte distinguuntur habitus per entitativos vel operativos, secundum quod bene vel male disponunt in essendo vel in operando.

256. *Conclusio* 6ª. **Habitus definitur : Qualitas difficile mobilis secundum quam subjectum disponitur bene vel male in seipso vel ad aliud.** *In seipso,* id est quoad naturam; *ad aliud,* id est per respectum ad finem.

Declarata manet ex conclusionibus præcedentibus.

257. *Conclusio* 7ª. **Habitus possunt distingui activi vel passivi, prout ex consuetudine acuitur vel hebetatur sensibilitas.**

*Probatur.* Nautæ in mari vel habitantes in deserto apprime discernunt res valde distantes, quæ vix percipiuntur ab aliis : ex consuetudine acuitur sensibilitas activa. Econtra, qui assuefactus est non amplius attendit ad rumorem in via : ex consuetudine hebetatur sensibilitas passiva.

258. *Conclusio* 8ª. **Habituum operativorum effectus est tollere facultatis indeterminationem, ut operari possit uniformiter, prompte et delectabiliter** (a. 4 et *Virt.*, q. 1, a. 1).

*Probatur.* Potentia ex se dicit solum posse agere, et indifferenter se

1. *In* 5 *Metaph.*, l. 20.

habet ad agere bene vel male. Sed, ut experientia constat, potentia aliquando certa determinatione superaddita ornatur ex qua inclinatur vel ad agendum bene, vel ad agendum male. Sublataque facultatis indeterminatione operatur homo uniformiter, prompte et delectabiliter. Ita S. Thomas : « Habitibus virtutum ad tria indigemus. Primo, ut sit uniformitas in sua operatione : ea enim quæ ex sola operatione dependent facile immutantur, nisi secundum aliquam inclinationem habitualem fuerint stabilita. Secundo, ut operatio perfecta in promptu habeatur : nisi enim potentia rationalis per habitum aliquo modo inclinetur ad unum, oportebit semper, cum necesse fuerit operari, præcedere inquisitionem de operatione; sicut patet de eo qui vult considerare nondum habens scientiæ habitum et qui vult secundum virtutem agere habitu virtutis carens. Unde Philosophus dicit in 5 *Ethic.*, quod repentina sunt ab habitu. Tertio, ut delectabiliter perfecta operatio compleatur : quod quidem fit per habitum qui cum sit per modum cujusdam naturæ, operationem sibi propriam quasi naturalem reddit et per consequens delectabilem, nam convenientia est delectationis causa. Unde Philosophus in 2 *Ethic.* ponit signum habitus delectationem in opere existentem[1]. » Unde dicebat dux Wellington : « Insufficienter dicitur habitum esse alteram naturam, valet ut decem naturæ[2]. »

### § 2. — De subjecto habituum (1ª 2æ, q. 50).

259. *Conclusio* 1ª. **Habitus operativus est in potentia tanquam in subjecto** (a. 2).

*Probatur.* Habitus operativus ille est qui immediate determinat ad operationem. *Atqui.* Illud debet immediate determinari ad operationem, quod est principium immediatum operationis et non remotum, id est potentia et non essentia. *Ergo.*

260. *Conclusio* 2ª. **Omnis potentia quæ diversimode potest ordinari ad agendum indiget habitu quo bene disponatur ad suum actum** (a. 3 et ss.).

*Probatur.* Secus remaneret potentia in sua indeterminatione. Ex adverso, non sunt habitus susceptivæ illæ potentiæ quæ ex natura sua sunt determinatæ ad unum.

*Corollarium* 1°. In voluntate possunt esse habitus : quia voluntas ex se est indeterminata ad bene vel male agendum.

1. *Virtut.*, q. 1, a. 1.
2. Cit. ap. W. James, *Précis de psychologie*, c. x, p. 183.

2° In intellectu, possunt esse habitus : v. g. scientia.

3° In appetitu sensitivo, possunt esse habitus : quatenus ex se indeterminatus est ad sequendum vel non sequendum ductum rationis.

4° In potentiis apprehensivis sensitivis et in potentiis vitæ vegetativæ non possunt esse habitus : quia naturaliter determinantur ad suum actum.

5° In bestiis, non possunt esse habitus proprie ut in homine, cum careant ratione, sed similitudinarie tantum, v. g. in bestiis domitis.

6° A fortiori in rebus inanimatis non sunt habitus, licet v. g. instrumenta ex aliquo usu aptiora fiant ad usum.

### § 3. — De causa habituum (1ª 2æ, q. 51-53).

261. *Conclusio* 1ª. **Habitus generatur ex repetitione actuum.**

*Quoad factum : Probatur experientia.* Unde in linguis modernis consuetudo sæpe designatur per vocabulum ex habitu derivatum.

*Quoad explicationem facti.* Apud S. Thomam : potentia frequentius actuata inde aptitudinem acquirit quo facilius actuetur[1]. Quod quidem verum est, inde tamen parum accrescit evidentiæ propositioni demonstrandæ.

Docet *Cardinalis Mercier* ex præteritis actibus aliquod remanere residuum in potentia[2]. Sed hoc est metaphorice dictum et ex metaphora non desumitur demonstratio.

Certe desumenda est explicatio facti ex systemate nervoso; nam habitus operativi proprie dicti non inveniuntur nisi in functionibus vitæ psychicis quæ omnino pendent a systemate nervoso. Cf. quæ traduntur a physiologistis de transitu influxus nervosi per centra nervosa et principaliter a centro sensitivo ad centrum motivum.

*Conclusio* 2ª. **Ex natura habentur quidem dispositiones, — non vero habitus proprie dicti** (q. 51, a. 1).

1ª *pars probatur experientia,* sic v. g. alii naturaliter proni sunt ad iracundiam, alii ad mansuetudinem, etc... et hoc declaratur per theoriam hæreditatis.

2ª *pars.* Forsan dici posset inclinationem ad actum in habitu acquisito explicari ex transitu influxus nervosi propter affinitatem positivam

1. 1ª 2æ, q. 51, a. 2.

2. « Les actes de l'intelligence et de la volonté ne s'évanouissent pas complètement avec le moment qui les a vus naître ; ils laissent après eux un dépôt dont la répétition superpose les couches successives et forme à la longue le sol sur lequel s'appuie la volonté. » *Psychologie*, t. II, p. 232.

inter duo centra nervosa; in dispositione vero naturali explicari ex transitu ejusdem influxus nervosi in puncto minoris resistentiæ. Cæterum ipsa naturalis dispositio facillime fiet habitus ex repetitione actuum.

*Conclusio* 3ª. **Habitus non generatur ex uno actu, sed aliquando ex una passione,** v. g. ex ingenti terrore.

*Probatur* experientia.

### § 4. — De distinctione habituum (1ª 2æ, q. 54).

262. *Conclusio* 1ª. **Habitus non cognoscuntur nisi per suos actus.**

*Probatur.* Unumquodque cognoscitur in quantum est actu et non secundum quod in potentia. *Atqui.* Habitus est medius inter potentiam et actum, unde dicitur actus primus proximus. *Ergo.* Habitus cognoscitur per suum actum.

*Conclusio* 2ª. **Habituum distinctio desumitur ex actibus.**

*Probatur.* Rerum distributio sive generica, sive specifica, desumitur ex ipsa rerum natura, nam genus desumitur ex materia et species ex forma. *Atqui.* Habituum natura nobis innotescit ex actibus. *Ergo.* Habituum classificatio nobis innotescit ex actibus.

*Corollarium* 1m. Habituum distinctio specifica desumitur ex objecto, quia actus specificantur ex objecto. Unde « cum habitus cognoscantur per actus et actus per objecta, habitus debet definiri per proprium actum in comparatione ad proprium objectum[1] ».

*Corollarium* 2m. Habituum distinctio generica desumitur ex parte potentiarum, quia actuum differentia generica desumitur ex diversa potentia, ut diximus supra, n. 239.

*Corollarium* 3m. Insuper habitus specie distinguuntur secundum rationem boni et mali. *Probatur.* Potentia quidem una sufficit ad bene vel male agendum, quia ex se est indeterminata ad bene vel male. Habitus, vero cum sit determinatio potentiæ ad bene vel ad male agendum, non sufficit unus et idem ad utrumque, sed requiritur unus habitus pro determinatione ad bonum et alter pro determinatione ad malum.

1. 2ª 2æ, q. 4, a. 1.

## ARTICULUS II

### *De virtutibus in communi.*

Agemus 1° generaliter de virtutibus in communi (art. 2); 2° specialiter de virtutibus moralibus (art. 3); 3° specialius de virtutibus cardinalibus (art. 4); 4° specialissime de singulis virtutibus cardinalibus et earum partibus (art. 5).

#### § 1. — Definitio virtutis (1ª 2æ, q. 55).

263. 1° Virtus est *habitus operativus bonus*. Convenienter virtutis nomine designatur habitus bonus, nam « virtus, secundum sui nominis rationem, potentiæ complementum designat; unde et *vis* dicitur secundum quod res aliqua per potestatem completam quam habet, potest sequi suum impetum vel motum : virtus enim secundum suum nomen, potestatis perfectionem demonstrat[1] ».

Plures aliæ traduntur virtutis definitiones vel descriptiones.

2° Virtus est *ultimum potentiæ* (*de Cælo et mundo*, l. 1, c. 11, secundum unam translationem). « Quando dicitur quod *virtus est ultimum potentiæ*, sumitur virtus pro objecto virtutis. Id enim in quod ultimo potentia potest est id ad quod dicitur virtus rei : sicut si aliquis potest ferre centum libras et non plus, virtus ejus consideratur secundum centum libras, non autem secundum sexaginta[2]. »

3° Virtus *bonum facit habentem et opus ejus reddit bonum* (2 *Ethic.*, c. 6). « Dicit ergo primo quod omnis virtus subjectum cujus est facit bene habere et opus bene se habens. Sicut virtus oculi est per quam et oculus est bonus et per quam bene videmus, quod est proprium opus oculi. Similiter etiam virtus equi est quæ facit equum bonum et per quam equus bene operatur opus suum, quod est velociter currere et suaviter ferre ascensorem et audacter expectare bellatores. Et hujus ratio est quia virtus alicujus rei attenditur secundum ultimum quod potest, puta in eo qui potest ferre centum libras, virtus ejus determinatur non ex hoc quod fert quinquaginta, sed ex hoc quod centum, ut dicitur 1 *Cæli*. Ultimum autem ad quod potentia alicujus rei se extendit, est bonum opus. Et quia perfecta operatio non procedit nisi a perfecto agente, consequens est quod secundum virtutem propriam unaquæque res et bona sit et bene operatur. Et si hoc est verum in omnibus aliis, ut per exempla jam patuit, sequitur quod virtus

1. *Virt.*, q. 1, a. 1.
2. 1ª 2æ, q. 55, a. 1, ad 1. Cf. *De Cælo et mundo*, l. 25.

hominis erit habitus quidam ut supra dictum est, ex quo homo fit bonus formaliter loquendo, sicut albedine fit aliquid album, et per quem aliquis bene operatur[1]. »

4° Virtus est *dispositio perfecti ad ultimum* (7 *Physic.*, c. 3, text. 17). « Virtutes enim sunt quædam dispositiones ejus quod est perfectum in sua natura, ad optimum, id est ad finem qui est operatio. Sicut enim dictum est, ex hoc hujusmodi dispositiones virtutes dicuntur quod bonum faciunt habentem et opus ejus bonum reddunt[2]. »

5° Aliam virtutis definitionem tradit Aristoteles in 7 *Ethic.*, c. 6 : *Est igitur virtus habitus electivus in medietate existens quoad nos determinata ratione et ut sapiens determinabit.* Quæ tamen cum sit proprie definitio virtutis moralis, exponetur infra (n. 274).

6° Celebris est virtutis definitio desumpta ex S. Augustino : *Virtus est bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur,* quæ definitio, teste S. Thoma, « perfecte complectitur totam rationem virtutis ». Dicitur enim : *a*) *qualitas,* quod est genus, patet ex dictis. « Esset tamen convenientior definitio si loco qualitatis habitus poneretur qui est genus propinquum » ; *b*) *bona,* quod est differentia specifica ; *c*) *mentis,* in quo designatur proprium subjectum virtutis humanæ : virtus enim non potest esse in appetitu sensitivo nisi quatenus participat rationem ; *d*) *qua recte vivitur, qua nullus male utitur,* quibus designatur finis virtutis, scilicet operatio. « Sed notandum quod habituum operativorum aliqui sunt semper ad malum, sicut habitus vitiosi ; aliqui vero quandoque ad bonum et quandoque ad malum, sicut opinio se habet ad verum et falsum. Virtus autem est habitus semper se habens ad bonum. Et ideo ut discernatur virtus ab his quæ semper se habent ad malum, dicitur : *qua recte vivitur ;* ut autem discernatur ab his quæ se habent quandoque ad bonum quandoque ad malum, dicitur : *qua nullus male utitur.* » *e*) *quam Deus in nobis sine nobis operatur,* quæ tamen verba non conveniunt nisi virtutibus supernaturalibus infusis : causa enim efficiens virtutis infusæ Deus est. « Quæ quidem particula si auferatur, reliquum definitionis erit commune omnibus virtutibus et acquisitis et infusis. »

### § 2. — De subjecto virtutum (1ª 2æ, q. 56).

264. *Conclusio* 1ª. **Virtutes subjectantur in potentiis animæ** (a. 1).

1. *In* 2 *Ethic.*, l. 6.
2. *In* 7 *Physic.*, l. 7.

*Probatur.* 1° Virtus importat perfectionem potentiæ. *Atqui.* Perfectio est in eo quod perficit. *Ergo.* Virtus est in potentia.

2° Virtus est habitus operativus. *Atqui.* Operatio est ab anima per potentiam. *Ergo.*

3° Virtus est dispositio perfecti ad optimum. *Atqui.* Optimum est finis qui est vel operatio vel operatum. *Ergo.*

*Conclusio* 2ª. **Una virtus non potest esse in pluribus potentiis ex æquo, — bene tamen cum subordinatione** (a. 2).

*Probatur* 1ª *pars.* Unum non potest esse simul in duabus speciebus et multo minus in duobus generibus. *Atqui.* Ex diversitate potentiarum oritur diversitas habituum generica. *Ergo.*

2ª *pars declaratur,* ita sc. quod in una sit principaliter, et se extendat ad alias per modum diffusionis vel per modum dispositionis, secundum quod una potentia movetur ab alia (sic v. g. si imperet justitia temperantiam, puta ut juvante parsimonia possit aliquis solvere sua debita) vel secundum quod una potentia accipit ab alia (sic v. g. prudentia rectificat electionem circa media, quod pertinet ad intellectum, sed præsupponit rectitudinem appetitus).

*Conclusio* 3ª. **Intellectus potest esse virtutis subjectum** (a. 3).

*Probatur.* In intellectu sunt scientia et aliæ virtutes intellectuales, de quibus in § seq.

*Conclusio* 4ª. **Irascibilis et concupiscibilis possunt esse subjectum virtutis** (a. 4).

*Probatur.* Actus procedens ab una potentia secundum quod est ab alia mota, non potest esse perfectus nisi utraque sit bene disposita ad actum : sicut actus artificis non potest esse congruus nisi etiam artifex sit bene dispositus ad agendum et etiam ipsum instrumentum. *Atqui.* Irascibilis et concupiscibilis non sunt principium actus humani nisi in quantum participant rationem. *Ergo.* In utraque potentia requiritur habitus. *Subsumo, Atqui.* Bona dispositio potentiæ motæ attenditur secundum conformitatem ad potentiam moventem. *Ergo.* Virtus quæ est in irascibili et concupiscibili nihil aliud est quam quædam habitualis conformatio istarum potentiarum ad rationem.

*Conclusio* 5ª. **Voluntas potest esse subjectum virtutis** (a. 6).

*Probatur.* Requiritur virtus ad tollendam facultatis indeterminationem ad bonum vel malum, et sic in voluntate ponuntur virtutes quæ ordinant affectum hominis in Deum vel in proximum.

§ 3. — **De virtutibus intellectualibus** (1ª 2æ, q. 57).

265. *Conclusio* 1ª. **Quinque sunt virtutes intellectuales : tres in intellectu speculativo : sapientia, scientia et intellectus; et duæ in intellectu practico : prudentia et ars** (a. 1-4).

*Probatur.* Intellectus speculativus sistit in contemplatione veri et ad hoc tria requiruntur : unum ex parte principiorum : *Intellectus principiorum;* et duo ex parte conclusionum, quæ in contemplatione se habent per modum termini, vel secundum quod sistit contemplatio in eo quod est ultimum simpliciter : *Sapientia,* quæ considerat causas altissimas; vel secundum id quod est ultimum in aliquo genere : *Scientia.* — Intellectus vero practicus ordinat verum ad opus : sive quoad agibilia : *Prudentia;* sive quoad factibilia : *Ars.*

*Conclusio* 2ª. **Sola tamen prudentia habet rationem perfectæ virtutis** (a. 5 et 6).

*Probatur.* Perfecta virtus humana dicitur per respectum ad bonum morale. *Atqui.* Sola prudentia dicit respectum ad bonum morale. *Ergo.* Sola prudentia habet rationis virtutis perfectæ.

*Probatur major.* Virtus est perfectio potentiæ. *Atqui.* Duplex est perfectio potentiæ, una per respectum ad bonum solius potentiæ (minus perfecta), et altera per respectum ad bonum hominis (magis perfecta). *Ergo.* Virtus humana perfecta dicitur per respectum ad bonum hominis. *Subsumo, Atqui.* Bonum hominis est bonum morale. *Ergo.* Perfecta virtus humana dicitur per respectum ad bonum morale.

*Probatur minor.* Opus enim optimum sub respectu artis potest esse simul pessimum per respectum ad bonum morale, sed prudentia requirit rectitudinem voluntatis.

## ARTICULUS III

### *De virtutibus moralibus.*

§ 1. — **Quid sit virtus moralis** (1ª 2æ, q. 58).

266. *Conclusio* 1ª. **Præter virtutes intellectuales dantur virtutes morales** (a. 1 et 2).

*Probatur.* Ad rectam ordinationem actionis humanæ requiritur et bona dispositio rationis et bona dispositio appetitus. *Atqui.* Bona

dispositio rationis est virtus intellectualis et bona dispositio appetitus est virtus moralis, sic dicta a more qui est inclinatio naturalis ad agendum. *Ergo.*

*Corollarium.* Virtus moralis est rectitudo appetitus, unde dicebatur a S. Augustino: *Ordo amoris*[1], vel *virtus est bonus usus liberi arbitrii*[2], et iterum : *ordinatio quæ virtus vocatur est fruendis frui et utendis uti*[3].

267. *Conclusio* 2ª. **Virtus non est idem ac scientia** (a. 2).

*Declaratur et probatur.* « Hæc fuit opinio Socratis qui dixit omnes virtutes esse prudentias, ut dicitur in 6 *Ethic.* Unde ponebat quod homo, scientia in eo existente, peccare non poterat, sed quicumque peccabat, peccabat propter ignorantiam. — Hoc autem procedit ex suppositione falsi. Pars enim appetitiva obedit rationi non omnino ad nutum, sed cum aliqua contradictione; unde Philosophus dicit in 1 *Politic.* quod *ratio imperat appetitivæ principatu politico,* quo scilicet aliquis præest liberis qui habent jus in aliquo contradicendi. Unde Augustinus dicit quod *interdum præcedit intellectus et sequitur tardus aut nullus affectus*[4], in tantum quod quandoque passionibus vel habitibus appetitivæ virtutis hoc agitur ut usus rationis in particulari impediatur. Et secundum hoc aliqualiter verum est quod Socrates dixit quod scientia præsente non peccatur, si tamen hæc extendatur usque ad usum rationis in particulari eligibili. — Sic igitur ad hoc quod homo bene agat, requiritur quod non solum ratio sit bene disposita per habitum virtutis intellectualis, sed etiam quod vis appetitiva sit bene disposita per habitum virtutis moralis. Sicut igitur appetitus distinguitur a ratione, ita virtus moralis distinguitur ab intellectuali. Unde sicut appetitus est principium humani actus secundum hoc quod participat aliqualiter rationem, ita habitus moralis habet rationem virtutis humanæ in quantum rationi conformatur[5]. »

268. *Conclusio* 3ª. **Genus virtutis adæquate dividitur per duas species virtutum intellectualium et virtutum moralium** (a. 3).

*Probatur.* Virtus humana perficit hominem ad bene operandum. *Atqui.* Principium actuum humanorum non est nisi duplex : intellectus et appetitus. *Ergo.*

1. *De Moribus Ecclesiæ,* c. 15. Cf. *De Civ. Dei,* l. 15, c. 22.
2. *De Libero Arbitrio,* l. c., 19. Cf. *Retract.,* l. 1, c. 9.
3. *L.* 83 *Quæst.,* q. 30.
4. *In Ps.* 118, s. 8.
5. Art. 2.

*Objicies :* Etiam membra corporis sunt principium actuum humanorum. — *Respondeo.* Corporis membra, si fuerint in sua natura consistentia, rationi obediunt omnino ad nutum absque omni contradictione : statim enim ad imperium rationis manus aut pes movetur ad opus. Unde Philosophus dicit in *Politic.* quod anima regit corpus despotico principatu, id est sicut dominus servum, qui jus contradicendi non habet. Ideo membra corporis non indigent superaddita perfectione ut sequantur ductum rationis.

269. *Conclusio* 4ª. **Ex virtutibus moralibus, aliæ sunt circa operationes, aliæ circa passiones** (q. 59).

*Probatur.* Virtus moralis perficit vim appetitivam per ordinem ad bonum rationis. *Atqui.* Vis appetitiva comprehendit et appetitum sensitivum in quo sunt passiones, et voluntatem quæ caret passionibus. *Ergo.*

*Conclusio* 5ª. **Tristitia de his quæ conveniunt virtuti non potest simul esse cum virtute; — sed de his quæ quocumque modo repugnant virtuti, virtus moderate tristatur** (q. 59, a. 3).

*Probatur* 1ª *pars,* quia virtus in propriis delectatur, id est facit operari delectabiliter.

*Probatur* 2ª *pars,* quia ad virtutem pertinet quod tristetur moderate in quibus tristandum est.

### § 2. — De proprietatibus virtutum moralium (1ª 2æ, q. 64, 65 et 66).

Tres recensentur proprietates virtutis moralis, quæ sunt *medietas, connexio, æqualitas.*

270. *Conclusio* 1ª. **Virtus moralis consistit in medio** (q. 64).

*Probatur.* Virtus moralis ordinat vim appetitivam ad bonum rationis. *Atqui.* Tunc est ordinatum regulatum quando conformatur suæ regulæ quin ab ea discordet, sive per excessum, sive per defectum. *Ergo.* Virtus moralis rationi conformis est quando stat in medio inter excessum et defectum.

*Nota.* Distinguitur *medium rationis* et *medium rei.* (Hic asseritur distinctio, et non necessario contrarietas). *Medium rationis* est id quod a ratione ponitur in aliqua materia : Et sic omnes virtutes morales consistunt in medio rationis, quia virtus moralis dicitur consistere in medio per conformitatem ad rationem rectam. Sed aliquando medium rationis est etiam *medium rei,* id est consistit in aliqua re determinata secundum se, sic justitia exigit ut solvatur debitum ad æqualitatem,

cujus ratio est quia justitia est circa operationes, quæ consistunt in rebus exterioribus, in quibus rectum institui debet simpliciter et secundum se, et ideo medium rationis in justitia est idem cum medio rei. Quandoque autem medium rationis non est medium rei, sed accipitur per comparationem ad nos, et sic accipitur in fortitudine et temperantia quæ consistunt circa passiones interiores; in passionibus enim non potest rectum constitui eodem modo, propter hoc quod homines diversimode se habent ad passiones, et ideo oportet quod rectitudo rationis in passionibus instituatur per respectum ad nos qui afficimur secundum passiones. — Virtutes vero intellectuales consistunt in medio rei : Virtus enim intellectualis ordinatur ad bonum intellectus; sed bonum intellectus est verum, verum autem pendet a re, quia res est mensura intellectus nostri. Unde intellectus bonus est quando dicit esse quod est vel non esse quod non est, in quo ratio veri consistit. Et sic verum est in medio inter excessum qui est secundum affirmationem falsam, per quam dicitur esse quod non est; et defectum qui accipitur secundum negationem falsam per quam dicitur non esse quod est.

271. *Conclusio* 2ª. **Virtutes morales in statu perfecto ita sunt connexæ, ut qui una caret nullam perfecte habeat.** Est communis sententia contra Scotistas (q. 65, a. 1).

*Probatur.* 1° *Ex ratione prudentiæ.* Non datur perfecta virtus sine perfecta prudentia. *Atqui.* Non datur perfecta prudentia sine comitatu omnium aliarum virtutum. *Ergo.* Omnes virtutes morales sunt ad invicem connexæ.

*Probatur major principalis.* Virtus definitur habitus electivus (n. 263, 5°). *Atqui.* Ad rectam electionem requiritur habitus prudentiæ. *Ergo... et probatur hæc* 2ª *minor :* Ad rectam electionem non sufficit recta inclinatio ad debitum finem seu recta intentio, sed requiritur consilium, judicium et præceptum circa ea quæ sunt ad finem. *Atqui.* Inclinatio quidem ad finem est ex virtute, reliqua vero pertinent ad prudentiam. *Ergo...*

*Probatur minor principalis.* Ad perfectam prudentiam requiritur ut appetitus sit perfecte rectificatus circa fines particulares. *Atqui.* Rectitudo appetitus circa finem est ex virtute. *Ergo... et probatur hæc* 2ª *major.* Prudentia rectificat electionem mediorum. *Atqui.* Recta mediorum electio præsupponit rectam finium intentionem, quod declaratur exemplo mulieris castæ, quæ ex timore consentit peccato turpi : ex virtute quidem castitatis recte ordinatur ad finem hujus virtutis, non tamen sufficienter, cum propter defectum fortitudinis inducta fuerit ex timore ad agendum contra castitatem.

2° *Ex unitate radicali principii activi.* Licet enim potentiæ sint plures, tamen radicantur in una essentia animæ, et insuper strictiorem habent inter se colligationem ex systemate nervoso, quo mediante exercetur activitas hominis. Unde experimentaliter demonstratur in biologia quod ex repetitis actibus creatur non solum unus habitus, id est specialis transitus influxus nervosi circa determinatam actionem, sed generalis quædam determinatio totius systematis nervosi quæ influit circa actiones etiam valde diversas (Cf. W. James, *Traité de Physiologie,* c. x). Et ea est *lex conatus,* quæ tantopere commendatur in Ascetica Christiana : *Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris*[1]; inde etiam omnia præcepta pertinentia ad pugnam spiritualem adversus vitium prædominans.

272. *Conclusio* 3ª. **Omnes virtutes morales quoad se consideratæ non sunt æquales, sed una virtus est alia major** (q. 66).

*Probatur.* Semper potior est causa suo effectu, et in effectibus tanto aliquid est potius quanto est causæ propinquius. *Atqui.* Causa et radix humani boni est ratio. *Ergo.* Virtutum perfectio desumitur ex propinquitate ad rationem.

*Corollarium.* « Ideo prudentia quæ perficit rationem præfertur in bonitate aliis virtutibus moralibus perficientibus vim appetitivam, in quantum participat rationem. Et in his etiam tanto est una altera melior, quanto magis ad rationem accedit : unde et justitia quæ est in voluntate, præfertur aliis virtutibus moralibus; et fortitudo quæ est in irascibili, præfertur temperantiæ quæ est in concupiscibili, quæ minus participat rationem[2] ». « Homo enim iratus quasi syllogizat quod injuriantem oportet impugnare... Sed concupiscentia, statim quod denunciatur sibi delectabile per rationem vel sensum, movet ad fruendum illud delectabile absque aliquo syllogismo rationis. Et hujus differentiæ ratio est quia delectabile habet rationem finis per se appetibilis qui est sicut principium insyllogizatum; nocumentum autem inferendum alteri non est per se appetibile ut finis qui habet rationem principii, sed sicut utile ad finem quod habet rationem conclusionis in agibilibus. Et ideo concupiscentia non movet syllogizans, sed ira movet syllogizans. Et inde est quod ira aliqualiter consequitur rationem, non concupiscentia quæ sequitur solum impetum proprium[3]. »

273. *Conclusio* 4ª. **Omnes virtutes unius hominis sunt æquales quadam æqualitate proportionis.**

1. *De Imitatione Christi,* l. 1, c. 25.
2. 1ª 2æ, q. 66, a. 1.
3. *In 7 Ethic.,* l. 6.

*Probatur,* in quantum sc. æqualiter crescunt in homine : sicut digiti manus sunt inæquales secundum quantitatem, sed sunt æquales secundum proportionem, cum proportionaliter augeantur. Hujusmodi autem æqualitatis oportet eodem modo rationem accipere sicut et connexionis (supra, concl. 2) : æqualitas enim est quædam connexio virtutum secundum quantitatem.

274. *Corollarium.* Ex dictis patet veram esse definitionem virtutis moralis quam tradit Aristoteles : *Virtus moralis est habitus electivus in medietate existens quoad nos determinata ratione et ut utique sapiens determinabit* [1]. Quam definitionem exponit S. Thomas : « In definitione virtutis ponit quatuor. Quorum 1^m^ est genus, quod tangit cum dicit quod *Virtus est habitus.* 2^m^ est actus virtutis moralis. Oportet enim habitum definiri per actum. Et hoc tangit cum dicit *electivus :* principale enim virtutis est electio. — Et quia oportet actum determinari per objectum, ideo 3° ponit objectum sive terminum actionis, in hoc quod dicit *existens in medietate quoad nos.* Ostensum est enim supra quod virtus inquirit et operatur medium non rei sed quoad nos. — Dictum est autem similiter quod virtus moralis est in appetitu qui participat rationem. Et ideo oportuit 4^am^ particulam apponi, quæ tangit causam bonitatis in virtute, cum dicit *determinata ratione.* Non enim inquirere medium est bonum, nisi in quantum est secundum rationem determinatam. — Verum quia contingit rationem esse et rectam et erroneam, oportet virtutem secundum rationem rectam operari, ut supra suppositum est : et ad hoc explicandum subdit *ut utique sapiens determinabit :* sapiens autem hic dicitur non ille qui est sapiens simpliciter, quasi cognoscens altissimam causam totius universi, sed prudens qui est sapiens rerum humanarum [2]. »

## ARTICULUS IV

### *De virtutibus cardinalibus in communi* (1ª 2æ, q. 61).

275. « Virtus aliqua dicitur *Cardinalis,* quasi principalis, quia super eam aliæ virtutes firmantur, sicut ostium in cardine [3]. »

*Conclusio* 1ª. **Nonnisi virtutes morales possunt esse cardinales** (a. 1).

*Probatur.* Perfectum est principalius imperfecto. *Atqui.* Virtus

1. 2 *Ethic.*, c. 6.
2. In h. loc., l. 7.
3. *Virt.*, q. 1, a. 12, ad 24.

perfecta est solum virtus moralis, et etiam prudentia quæ aliqualiter est moralis secundum materiam. *Ergo.*

*Minoris* 1ª *pars probatur.* Illa virtus est perfecta quæ non solum facit facultatem agendi, sed etiam facit quod aliquis recte facultate utatur : sic v. g. Grammatica facit facultatem loquendi, non vero facit loqui per respectum ad bonum hominis simpliciter. *Atqui.* Sola virtus moralis causat boni operis usum, cum sit rectitudo appetitus. *Ergo.*

*Minoris* 2ª *pars* demonstrata est n. 265, C. 2ª, nec obstat dictis modo, quia prudentia aliqualiter dici potest virtus moralis, secundum materiam, quatenus scilicet præsupponit appetitum rectum.

276. *Conclusio* 2ª. **Quatuor sunt virtutes cardinales, sc. prudentia, justitia, temperantia et fortitudo** (a. 2).

*Probatur.* « Numerus aliquorum accipi potest aut secundum principia formalia, aut secundum subjecta. *Atqui.* Utroque modo inveniuntur quatuor virtutes cardinales. » *Ergo.*

*Probatur minor.* I. *Quoad 1ªm partem.* Principium formale virtutis de qua nunc loquimur, est rationis bonum. *Atqui.* Bonum rationis est quadruplex, *et probatur :* Considerari enim potest : — vel secundum quod in ipsa consideratione rationis consistit, et sic erit una virtus principalis, quæ dicitur **Prudentia ;** — vel secundum quod circa aliquid ponitur rationis ordo : — et hoc vel circa operationes, et sic est **Justitia;** — vel circa passiones, et sic necesse est esse duas virtutes. Ordinem enim rationis necesse est ponere circa passiones, considerata repugnantia ipsarum ad rationem. *Atqui.* Hæc repugnantia potest esse dupliciter : Uno modo, secundum quod passio impellit ad aliquid contrarium rationi, et sic necesse est quod passio reprimatur, et ab hoc denominatur **Temperantia.** Alio modo, secundum quod passio retrahit ab eo quod ratio dictat, sicut timor periculorum vel laborum, et sic necesse est quod homo firmetur in eo quod est rationis, ne recedat, et ab hoc denominatur **Fortitudo.**

II. *Quoad 2ªm partem.* Similiter secundum subjecta idem numerus invenitur. Quadruplex enim invenitur subjectum hujus virtutis de qua nunc loquimur sc. : — vel rationale per essentiam (ipsa ratio) : **Prudentia ;** — vel rationale per participationem (appetitus), et hoc : sive voluntas : **Justitia;** sive appetitus sensitivus : vel concupiscibilis : **Temperantia ;** vel irascibilis : **Fortitudo.**

277. *Conclusio* 3ª. **Virtutes Cardinales dupliciter considerari possunt : — vel 1° secundum communes rationes formales, et sic sunt generales et alias sub se continent; — vel 2° secundum quod denominantur ab eo quod**

**præcipuum est in unaquaque materia, et sic sunt speciales et contra alias divisæ** (a. 3).

*Declaratur exemplo.* Aliquando per justitiam intelligitur voluntatis ordinatio in suis operationibus ad alterum : in hoc sensu justitia est virtus generalis et sub se continet pietatem, observantiam, veracitatem, gratitudinem, affabilitatem, etc... Aliquando vero per justitiam intelligitur virtus habens materiam determinatam, eam scilicet in qua maxime relucet ejus ratio formalis, ut dicatur justitiam reddere unicuique debitum strictum ad æqualitatem : in hoc sensu est virtus specialis et supracitatis opponitur.

*Nota* (a. 3). Imo aliquando « quidam accipiunt prædictas quatuor virtutes, prout significant quasdam generales conditiones humani animi, quæ inveniuntur in omnibus virtutibus : ita scilicet quod prudentia nihil sit aliud quam quædam rectitudo discretionis in quibuscumque actibus vel materiis; justitia vero sit quædam rectitudo animi, per quam homo operatur quod debet in quacumque materia; temperantia vero sit quædam dispositio animi quæ modum quibuscumque passionibus vel operationibus imponit ne ultra debitum efferantur; fortitudo vero sit quædam dispositio animi per quam firmetur in eo quod est secundum rationem contra quoscumque impetus passionum vel operationum labores ». In hoc sensu non sunt habitus distincti. Non tamen omnino proprius est iste modus loquendi.

## ARTICULUS V

### *De singulis virtutibus cardinalibus et earum partibus.*

278. Triplex est pars, sc. *integralis,* ut paries, tectum et fundamentum sunt partes domus : — *subjectiva,* sicut bos et leo sunt partes animalis ; — et *potentialis,* sicut nutritivum et sensitivum sunt partes animæ.

Tribus ergo modis possunt assignari partes alicui virtuti.

*a*) Ad similitudinem partium integralium, ut sc. illa dicantur esse partes virtutis alicujus, quæ necesse est concurrere ad perfectum actum virtutis illius.

*b*) Partes subjectivæ virtutis dicuntur species ejus diversæ.

*c*) Partes autem potentiales virtutis dicuntur virtutes adjunctæ, quæ ordinantur ad aliquos secundarios actus vel materias, quasi non habentes totam potentiam principalis virtutis.

## I. — Prudentia.

279. **Prudentia** definitur : *recta ratio agibilium.* Pertinet ad rationem practicam. Non versatur circa finem, sed circa media ad finem.

Partes ejus **integrales** sunt octo, quarum quinque pertinent ad eam prout est cognoscitiva, tres vero prout est præceptiva. I. Prout est cognoscitiva : 1° *memoria,* quæ est cognitio præteritorum, 2° *intellectus,* quæ est cognitio præsentium, 3° *docilitas,* quoad cognitionis acquisitionem per doctrinam et 4° per inventionem *eustochia,* quæ est bona conjecturatio, cujus pars est *solertia,* quæ est velox conjectura medii, 5° *ratio,* quoad usum cognitionis, secundum quod ex cognitis aliquis procedit ad alia cognoscenda vel judicanda. — II. Prout est præceptiva : 1° *providentia,* ut ordinet aliquid accommodum ad finem ; 2° *circumspectio,* ut attendat ad circumstantias negotii ; 3° *cautio,* ut vitet impedimenta.

Partes **subjectivæ** sunt *monastica* et *gubernativa,* quæ iterum distinguitur *militaris, œconomica, regnativa* in principe et *politica* in subditis.

Partes vero **potentiales** sunt : *eubulia,* circa consilium ; *synesis* circa judicium eorum quæ secundum regulas communes fiunt, et *gnome,* circa judicium eorum in quibus oportet quandoque a communi lege recedere. *Prudentia* vero est circa principalem actum, qui est præcipere.

Ex peccatis vero prudentiæ oppositis, alia proveniunt ex defectu prudentiæ vel eorum quæ ad prudentiam requiruntur ; alia habent quandam similitudinem falsam cum prudentia et contingunt per abusum eorum quæ ad prudentiam requiruntur.

I. Peccata per defectum sunt 2 : 1° *imprudentia,* quæ proprie opponitur prudentiæ. Ad ipsam pertinent *præcipitatio, inconsideratio, inconstantia,* quæ maxime a luxuria oriuntur ; 2° *negligentia,* quæ opponitur sollicitudini.

II. Peccata per excessum seu falsam similitudinem sunt : *prudentia carnis, astutia, dolus, fraus, sollicitudo temporalium* vel *futurorum,* quæ maxime oriuntur ex avaritia.

## II. — Justitia.

280. **Justitia** definitur ab Ulpiano : *Constans et perpetua voluntas jus suum unicuique tribuendi.* Subjectatur in voluntate et rectificat

operationes ad alterum. Hoc habet speciale quod in ea medium rationis est etiam medium rei et vocatur *jus*.

**Partes subjectivæ**. Justitia dividitur a S. Thoma ($2^a$ $2^æ$, q. 57). *Generalis et particularis*. *A*) *Generalis,* vel *legalis,* ordinat hominem ad societatem; dicitur *generalis* non per prædicationem, sed secundum virtutem, quatenus omnes actus aliarum virtutum ordinat ad bonum commune. *B*) *Particularis,* ordinat homines inter se ex debito proprie dicto, et est *a*) vel *commutativa,* id est privatorum inter se, *b*) vel *distributiva,* id est principis ad privatos.

A multis recentioribus dividitur :

*A*) Quatenus viget inter privatos homines : *particularis.*
*B*) « « inter societatem et ejus membra et vice versa : *socialis.*
*C*) « « inter varias gentes : *internationalis.*

Item justitia socialis est *a*) vel *legalis,* qua cives ordinantur ad societatem, ut scilicet ei reddant debitum ad bonum commune; *b*) vel *distributiva,* qua societatis præsides ordinantur ad membra, ut cuique distribuant bonum debitum, absque *acceptione personarum; c*) vel *punitiva,* qua iidem ordinantur in ordine ad inferendas pœnas culpis debitas, ut reparetur ordo socialis læsus per delictum.

**Peccata contra justitiam commutativam** considerari possunt :

I. Quoad involuntarias commutationes. *a*) Facto. 1° circa propriam personam : *homicidium, mutilatio, verberatio, incarceratio;* 2° circa personam conjunctam : *adulterium;* 3° circa res possessas, *furtum* et *rapina*. — *b*) Verbis. 1° in judicio, ad hoc pertinent multæ injustitiæ quæ committuntur ex parte vel judicis in judicando, vel accusatoris in accusando, vel rei in sua defensione, vel testis in testificando, vel advocati in patrocinando; 2° extra judicium ut *contumelia,* quæ est læsio honoris; *detractio,* quæ est denigratio alienæ famæ; *susurratio,* quæ intendit amicitiam separare; *derisio,* quæ intendit erubescentiam causare; *maledictio,* quæ optat malum alterius.

II. Quoad voluntarias commutationes : 1° *fraudulentia,* quæ committitur in emptionibus et venditionibus, vel in quibuslibet aliis contractibus; 2° *usura,* in mutuo.

**Partes integrales justitiæ** sunt : *declinare a malo* et *facere bonum*. Sic enim adimpletur omnis justitia, et contra hoc peccatur *transgressione* et *omissione*.

281. **Partes potentiales** justitiæ vel virtutes annexæ sunt octo. In virtutibus annexis, duo sunt consideranda : 1° quod virtutes illæ in aliquo cum principali virtute conveniant : et ex hoc omnes virtutes

quæ sunt ad alterum, possunt ratione convenientiæ justitiæ annecti, nam justitia ad alterum est. 2° quod in aliquo deficiant a perfecta ratione ipsius. Cum vero perfecta ratio justitiæ consistat in hoc quod alteri reddatur *a*) ad æqualitatem, *b*) quod ei stricte debetur, dupliciter deficere possunt virtutes annexæ, *a*) vel ex defectu æqualitatis, *b*) vel ex defectu debiti stricti.

Ex primo capite adsunt : *religio, pietas* et *observantia* quæ reddunt debitum Deo, parentibus, personis excellentia præditis. Ex secundo capite : *veritas, gratia, vindicatio, liberalitas, affabilitas.*

*Religio* reddit Deo quod ipsi debetur, scilicet cultum latriæ. — Actus ejus sunt interiores et principales, *devotio* et *oratio;* exteriores et secundarii, *adoratio,* qua quis suum corpus ad Deum venerandum exhibet; *sacrificium* et *oblationes,* quæ Deo dantur; *votum,* quo aliquid Deo promittitur; assumptio divini nominis *a*) per modum *juramenti,* ad propria verba confirmanda, *b*) per modum *adjurationis,* ad alios inducendum; *c*) per modum *invocationis* ad orandum vel laudandum. — Ex peccatis religioni oppositis, alia cum religione conveniunt in hoc quod exhibent cultum divinum, non tamen secundum quod debetur, et pertinent ad *superstitionem,* cujus species sunt : *indebitus cultus* veri Dei, *idololatria, divinatio, vanæ observationes;* alia manifestam contrarietatem habent ad religionem per contemptum eorum quæ pertinent ad divinum cultum, et sub *irreligiositate* continentur; pertinent ad contemptum sive ad irreverentiam vel ipsius Dei : *tentatio Dei, perjurium, blasphemia;* vel rerum sacrarum : *sacrilegium, simonia.*

*Pietas* exhibet parentibus quod ipsis debetur, vel etiam patriæ.

*Observantia* reddit debitum illis personis quæ in aliqua excellentia constituuntur, in qua duo continentur : *dulia,* quæ exhibet honorem personis superioribus, et *obedientia,* per quam earum obeditur imperio.

*Gratia* sive *gratitudo* benefactoribus gratiam recompensat, cui opponitur *ingratitudo.*

*Vindicatio* qua homo se defendit contra injurias ne inferantur, vel illatas jam ulciscitur ut nocumentum removeatur.

*Veritas* sive *veracitas,* quæ dicit verum; cui opponuntur : in verbis, *mendacium;* in factis, *simulatio* vel *hypocrisis;* et insuper *jactantia* et *ironia,* quæ sunt partes mendacii : jactantia, per quam homo verbis se extollit; ironia, cum aliquis dicit minora de se a veritate declinans.

*Amicitia* sive *affabilitas* ordinat hominem ad alios homines in communi conversatione tam in factis quam in dictis, ut scilicet ad unumquemque se habeat secundum quod decet. Cui opponitur per excessum *adulatio,* et per defectum *litigium.*

*Liberalitas* ordinat hominem ad alios homines quoad res hujus mundi nobis concessas ad sustentationem vitæ, maxime quoad pecunias dandas. Cui opponitur per defectum *avaritia,* et per excessum *prodigalitas.*

### III. — Fortitudo.

282. **Fortitudo** definitur : *Mediocritas inter audaciam et timorem constituta*[1]. Ordinat appetitum irascibilem quem in malis arduis et periculis ita confirmat, ut non succumbat nec a bono rationis recedat, et cum maximum periculum sit periculum mortis quod maxime imminet in bello, ad hoc proprie pertinet fortitudo. — Hujus virtutis duo sunt actus : *aggredi et sustinere; aggredi* pertinet ad fortitudinem quatenus est audaciæ moderativa, sed *sustinere* sequitur repressionem timoris, et ideo principalior (et difficilior) actus fortitudinis est sustinere. Peccata vero opposita sunt *timor* et *intimiditas* vel etiam *audacia.*

**Partes subjectivæ** non sunt. Fortitudo enim censetur virtus atoma, eo quod circa materiam valde specialem versatur.

**Partes quasi integrales** sunt quatuor. Cum enim Fortitudo duos actus habeat scilicet aggredi animose et constanter sustinere, ut aggredi perfecte fiat duo requiruntur scilicet magnitudo quædam animi, quam præstat *magnanimitas,* et magnorum externa executio, quæ pertinet ad *magnificentiam.* Ut vero mala perfecte sustineantur duo etiam concurre debent : 1° ut animus magnitudine mali non frangatur, et hoc pertinet ad *patientiam;* 2° ut diuturnitate ejusdem mali non fatigetur, et hoc pertinet ad *perseverantiam.*

**Partes potentiales** sunt eædem quatuor virtutes prædictæ, quæ, dum attingunt materiam fortitudini propriam versanturque circa gravissima pericula, habentur quasi partes integrales fortitudinis; in quantum versantur circa pericula minoris momenti sunt distinctæ tanquam partes ejus potentiales.

*Magnanimitas* modum rationis ponit circa magnos honores : ad ipsam pertinent *fiducia* et *securitas.* — Peccata opposita sunt *a*) per excessum : *præsumptio, ambitio* et *inanis gloria; b*) per defectum, *pusillanimitas.*

*Magnificentia* modum rationis ponit circa magnos sumptus; cui opponitur *parvificentia.*

*Patientia* bonum rationis conservat adversus tristitiam, ne scilicet ratio tristitiæ succumbat.

1. Arist., 3 *Ethic.*, c. 9.

*Perseverantia* in bonis operibus sustinet diuturnitatem prout necesse est. Huic conjungitur *constantia,* sed perseverantia sustinet difficultatem ex ipsa diuturnitate actus, constantia vero difficultatem ex exterioribus impedimentis. Peccata opposita sunt *a*) per defectum, *mollities; b*) per excessum, *pertinacia.*

### IV. — Temperantia.

283. **Temperantia** definitur : *Mediocritas in voluptatibus corporalibus.* Et sicut fortitudo est circa timores et audacias respectu maximorum malorum, quibus ipsa natura extinguitur, quæ sunt pericula mortis, ita temperantia est circa concupiscentias maximarum delectationum. Et quia delectatio consequitur operationem naturalem, tanto aliquæ delectationes sunt vehementiores, quanto consequuntur operationes magis naturales. Maxime autem naturales animalibus sunt operationes quibus conservatur natura individui per cibum et potum, et natura speciei per conjunctionem maris et feminæ. Et ideo circa delectationes ciborum et potuum et circa delectationes venereorum est proprie temperantia. — Vitia opposita sunt *a*) per defectum, unum innominatum, utpote valde infrequens, et dici potest *insensibilitas; b*) per excessum, *intemperantia.*

**Partes integrales** sunt *verecundia,* per quam aliquis refugit turpitudinem temperantiæ contrariam, et *honestas,* per quam aliquis amat pulchritudinem temperantiæ.

**Partes subjectivæ,** seu species, diversificantur secundum diversitatem materiæ. Materia temperantiæ sunt delectationes tactus, ex quibus quædam ordinantur ad nutrimentum, et in his quantum ad cibum est *abstinentia* (abstinentiæ proprius actus est *jejunium,* peccatum vero oppositum est *gula*); quantum ad potum *sobrietas,* cui opponitur *ebrietas.* Aliæ ordinantur ad vim generativam, et quantum ad actum principalem est *castitas,* quantum vero ad delectationes circumstantes attenditur *pudicitia. Virginitas* vero est quædam virtus se habens ad castitatem sicut magnificentia se habet ad liberalitatem. Castitati opponitur *luxuria,* cujus multæ sunt species.

**Partes** vero **potentiales** sunt tres principales. Partes potentiales sunt virtutes quædam secundariæ, quæ aliquam similitudinem habent cum virtute principali, quatenus unaquæque circa suam materiam eum tenet modum quem tenet virtus principalis circa principalem materiam; a principalis tamen virtutis ratione deficiunt quatenus earum materia non habet eamdem difficultatem ac materia virtutis principalis. Et quia pertinet ad temperantiam moderari delectationes

tactus in quo maxima est difficultas, quæcumque virtus moderationem quamdam operatur in aliqua materia et refrænationem appetitus in aliquid tendentis, poni potest pars temperantiæ, sicut virtus ei adjuncta. Quod quidem contingit tripliciter 1° in interioribus motibus animi : *continentia;* 2° in exterioribus motibus et actibus corporis : *mansuetudo;* 3° in exterioribus rebus : *modestia.*

*Continentia* differt a virtute sicut imperfectum a perfecto, eo quod appetitus sensitivus non ita subditur rationi ut in eo non insurgant vehementes passiones rationi contrariæ; convenit tamen cum temperantia, et in materia, quia est circa delectationes tactus, et in modo, quia in quadam refrænatione consistit. Huic opponitur *incontinentia.*

*Clementia* et *mansuetudo* refrænant iram. Differunt ab invicem in quantum *clementia* est moderativa exterioris punitionis, *mansuetudo* autem proprie diminuit passionem iræ. Mansuetudini opponitur *iracundia,* et clementiæ *crudelitas.*

*Modestia* ponit moderationem quoad passiones non adeo vehementes. Plures habet species : 1° *humilitatem,* quæ refrænat animum ne immoderate tendat in excelsa; huic opponitur *superbia;* 2° *studiositatem,* quæ refrænat appetitum cognoscendi : huic opponitur *curiositas;* 3° modestiam *in exterioribus corporis motibus;* 4° modestiam *in exteriori corporis apparatu.*

Quæ omnia a S. Thoma fuse exponuntur in Secunda Secundæ.

## ARTICULUS VI

### *De vitiis.*

284. **Vitium** definitur : *habitus operativus malus.*

Directe et proprie contrariatur virtuti. Contraria enim proprie et directe, juxta definitionem communiter receptam, sunt *quæ sub eodem genere maxime distant et eidem subjecto insunt a quo mutuo se expellunt*[1].

Vitium dividitur ut habitus. Vitia igitur specifice distinguuntur ex parte objecti, generice ex parte potentiæ.

*Conclusio* 1ª. **Peccatum est simpliciter pejus vitio; — vitium tamen est secundum quid pejus peccato** (1ª 2æ, q. 71, a. 3).

*Probatur* 1ª *pars.* In tantum unumquodque perfectum est in quantum est actu. *Atqui.* Actus secundus seu operatio est actus simplici-

1. 10 *Metaph.*, c. 6.

ter, habitus vero medius est inter potentiam et actum. *Ergo*. Operatio simpliciter perfectior est habitu; *et ideo* sicut actui bono perfectius competit ratio boni quam virtuti, ita peccato perfectius competit ratio mali quam vitio. — *Confirmatur*. Pro peccato aliquis juste punitur, non pro vitio si non procedat in actum.

*Probatur* 2ª *pars*, 1° *quia* virtus diutius durat quam actus; 2° *quia* unum vitium est causa multorum peccatorum. *Ergo* est secundum quid pejus peccato.

*Conclusio* 2ª. **Plura sunt vitia quam virtutes.**

*Probatur*. Cum bonum sit ex integra causa, malum vero ex quocumque defectu, bonum contingit in uno et malum in multis, et ideo facilius est et frequentius. Exemplum in sagittante. — *Insuper* cum virtus sit in medio, ipsi opponitur vitium vel per excessum vel per defectum.

*Conclusio* 3ª. **Vitia omnia non sunt, ut virtutes, connexa.**

*Probatur*. Duplici ex causa oritur virtutum connexio : 1° ex parte prudentiæ, 2° ex parte unius principii activi radicalis (n. 271). *Atqui*. 1° In vitioso abest prudentia; 2° licet verum sit ex uno vitio aliqualiter debilitari activitatem moralem hominis in generali, sæpius tamen contingit vitium impediri ab alio vitio, sicut gula refrænatur ab avaritia. *Ergo*.

*Conclusio* 4ª. **Vitia non sunt omnia æqualia**. Contra Stoicos.

*Probatur* ex dictis de inæqualitate peccatorum (n. 220).

*Quæres :* Undenam mensuretur gradus malitiæ in vitiis?

*Respondeo :* 1° et proprie, ex parte objectorum : unde pejus erit vitium quod privat excellentiori bono; 2° etiam in aliquo sensu, ex parte ipsius habitus, si sit majoris inhæsionis : unde pejora sunt vitia quæ difficilius corriguntur.

## CAPUT VII

### DE LEGIBUS

Agemus 1° de obligatione morali, quæ est effectus legis moralis (art. 1) ; 2° de ipsa lege morali (art. 2-11) ; 3° de conscientia, quæ est applicatio legis moralis ad singulos actus (art. 12).

### ARTICULUS I

### *De obligatione morali.*

#### § 1. — Quid sit obligatio moralis.

285. *Conclusio.* **Obligatio moralis est necessitas moralis aliquid agendi vel omittendi categorica.** Ubi tria sunt exponenda : 1° *necessitas,* 2° *moralis,* 3° *categorica.*

*Dicitur* 1° **necessitas**. *Necesse* est quod non potest non esse.

Necessarium opponitur contingenti. « Contingens a necessario differt secundum quod unumquodque in sua causa est. Contingens enim sic in sua causa est ut non esse ex ea possit et esse. Necessarium autem ex sua causa non potest non esse[1]. »

Et cum sint quatuor causæ, tot modis dicitur necessitas. I. Aliquando enim dicitur aliquid necessarium « ex principio intrinseco : 1° sive materiali, sicut cum diximus quod omne compositum ex contrariis necesse est corrumpi ; 2° sive formali, sicut cum dicimus quod necesse est triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis. Et hæc est *necessitas naturalis.* II. Alio modo convenit alicui quod non potest non esse ex aliquo extrinseco, vel 1° fine, vel 2° agente. 1° Fine quidem, sicut cum aliquis non potest sine hoc consequi aut bene consequi finem aliquem, ut cibus dicitur necessarius ad vitam et equus ad iter. Et hæc vocatur *necessitas finis,* quæ etiam utilitas di-

1. *Contra Gent.*, l. 1, c. 67.

citur. 2° Ex agente autem hoc alicui convenit, sicut cum aliquis cogitur ab aliquo agente ita quod non possit contrarium agere. Et hæc vocatur *necessitas coactionis*[1] ».

*Dicitur* 2° **moralis**. Licet enim in aliquo sensu latiori obligatio possit etiam extendi ad ordinem physicum, sic v. g. grave non sustentatum *obligatur* ad cadendum et piscis extra aquam *debet* mori, tamen in sensu proprio pertinet solum ad ordinem moralem, id est ad ordinem libertatis. Ideo statim excluditur *necessitas naturalis* quæ contrariatur libertati, et etiam *necessitas coactionis* quæ destruit voluntarium. Unde obligatio debet intelligi *de necessitate finis* quæ non tollit libertatem : « Duplex est necessitas : una coactionis, et hæc quia repugnat voluntati tollit rationem meriti. Alia autem est necessitas ex obligatione præcepti, sive ex necessitate finis, quando scilicet aliquis non potest consequi finem virtutis, nisi hoc faciat ; et talis necessitas non excludit rationem meriti, in quantum aliquis hoc quod sic est necessarium voluntarie agit[2]. » « Ea quæ voluntate fiunt necessitatem habere non possunt nisi ex sola finis suppositione[3]. »

Item hæc necessitas, cum se tenat ex parte finis, non confunditur cum illa necessitate morali quæ fundat certitudinem moralem. Sicut enim certitudo vel metaphysica vel physica sequitur necessitatem quamdam vel metaphysicam vel physicam, ita certitudo moralis procedit ex quadam necessitate morali, sic v. g. moraliter necessarium est quod unus dimicans adversus decem, succumbat. Talis vero necessitas moralis se tenet ex parte agentis, non ex parte finis sicut obligatio.

*Dicitur* 3° **categorica** seu *absoluta*. Equidem a S. Thoma absoluta necessitas dicitur solum de necessitate naturali vel de necessitate coactionis ; necessitas vero finis dicitur conditionata, id est ex finis suppositione, unde sæpius ponit S. Doctor oppositionem inter necessitatem absolutam et necessitatem finis. Attamen etiam necessitas finis potest aliquando dici absoluta, et hoc dupliciter : 1° quando agitur de medio simpliciter seu absolute necessario ad finem. Dupliciter enim potest medium esse necessarium ad finem, vel ad simpliciter esse vel ad melius esse : « Necessarium respectu finis de quo nunc loquimur dicitur aliquid dupliciter : uno modo, sine quo non potest haberi finis, sicut cibus est necessarius vitæ humanæ, et hoc est simpliciter (et absolute) necessarium ad finem. Alio modo dicitur necessarium sine quo non habetur finis ita convenienter, sicut equus necessarius est ad

1. 1, q. 87, a. 2.
2. 2ª 2æ, q. 58, a. 3, ad 2.
3. *Cont. Gent.*, l. 2, c. 29.

iter; hoc autem non est simpliciter necessarium ad finem[1]. » — 2° quando agitur de fine simpliciter et absolute necessario. Navis quidem est medium absolute necessarium ad transfretandum. Transfretare vero non est necessarium absolute, sed in hypothesi quod velis hoc vel illud. Ideo navis non est necessaria nisi hypothetice. Si vero detur finis simpliciter et absolute necessarius, tunc medium erit etiam simpliciter et absolute necessarium. Porro unus finis est simpliciter et absolute necessarius, scilicet finis ultimus. Unde longe differt necessitas finis ultimi a necessitate cujuslibet alterius finis. Et sic patet quomodo obligatio moralis possit esse simul et necessitas ex parte finis et necessitas absoluta, et ea est necessitas quæ dicitur categorica.

Obligatio igitur moralis resultat ex duplici necessitate : ex absoluta necessitate actus, — per respectum ad finem ultimum absolute necessarium[2]. Et sic manifestatur quomodo talis necessitas non noceat libertati. Est quidem vinculum, ut ipsum nomen indicat : *obligatio,* sed vinculum morale. Voluntatem ligat, sed quatenus intellectus finem proponit et media, intactam relinquens potentiam physicam agendi vel non agendi.

In linguis modernis, sæpe exprimitur moralis obligatio per vocabulum desumptum ex radice *debere* (*il dovere, le devoir*), quod jam indicavit S. Thomas : « Præceptum importat rationem *debiti :* in tantum ergo aliquid cadit sub præcepto, in quantum habet rationem *debiti*[3]. » Et : « Præceptum importat rationem *debiti.* Debitum autem aliquid est dupliciter. Uno modo, secundum se : et hoc modo finis est debitus in unoquoque negotio ; medicus enim propter se debet quærere sanitatem. (Et hoc etiam modo debet homo quærere finem ultimum.) Alio modo est aliquid debitum propter aliud, scilicet id sine quo non potest perveniri ad finem : sicut medicus debet indicere diætam infirmo sine qua non potest sanari. Illud vero quod ordinatur in finem ut melius aut facilius finem consequatur, si sine hoc aliqualiter possit haberi finis, non habet rationem debiti[4]. »

286. **De formali constitutivo obligationis.** Ex dictis obligatio afficit *et* personam *et* ipsum actum. Ratione ipsius, homo dicitur obligatus seu moraliter necessitatus ; actus vero dicitur obligatorius seu moraliter necessarius.

Sed sub utroque respectu *obligatio formaliter* est *relatio realis transcendentalis ad finem ultimum.*

1. 3, q. 65, a. 4.
2. Taparelli, *Saggio teoretico di dritto naturale*, n 89 ss.
3. 2ª 2æ, q. 44, a. 1.
4. *Quodlt.* 5, a. 19.

De primo, scilicet de obligatione prout afficit personam scribit S. Thomas : « Lex non imponitur ab aliquo domino nisi suis subditis, et ideo præcepta legis præsupponunt *subjectionem* cujuslibet recipientis legem ad eum qui dat legem[1]. » Præsupponit quidem obligatio relationem quamdam subjectionis in homine qui obligatur, sed insuper obligatio formaliter sumpta consistit in nova quadam relatione reali transcendentali.

De secundo, scilicet de obligatione prout afficit actum, item habet S. Thomas : « Præceptum legis, cum sit obligatorium, est de aliquo quod fieri debet. Quod autem aliquid debeat fieri, hoc provenit ex necessitate alicujus finis. Unde manifestum est quod *de ratione præcepti est quod importet ordinem ad finem,* in quantum scilicet illud præcipitur quod est necessarium vel expediens ad finem[2]. » *De ratione præcepti est quod importet ordinem ad finem,* et hoc est quod dicimus : de ratione obligationis moralis est quod importet relationem realem transcendentalem ad finem ultimum.

De utroque vero, id est de ipsa obligatione, dicit iterum S. Thomas : « In nomine debiti importatur quidam ordo exigentiæ vel necessitatis alicujus ad quod ordinatur[3]. »

**Definitio.** Moralis obligatio, quatenus se tenet ex parte actus, definiri potest : Proprietas actuum humanorum secundum quam dicuntur necessario ponendi vel necessario vitandi per respectum ad finem ultimum[4].

### § 2. — An sit admittenda moralis obligatio.

287. Ablegandum esse conceptum moralis obligationis docent plures recentiores, præcipue inter fautores Ethicæ sic dictæ scientificæ, his motivis innixi : 1° Conceptus obligationis est vel a priori, vel ab instinctu affectivo productus, et in utroque casu parvipendendus; 2° non datur in universo mundo aliud exemplum talis obligationis : absolutæ enim omnes aliæ obligationes sunt hypotheticæ. Inter illas, ea quæ forte magis accedit ad obligationem moralem, sc. obligatio hygienica, non est ita absoluta : adsunt enim casus in quibus homo potest et debet se exponere periculo mortis. Sola obligatio moralis gaudet necessitate absoluta, universali, indispensabili.

1. 2ª 2æ, q. 16, a. 1.
2. 1ª 2æ, q. 99, a. 1.
3. 1, q. 21, a. 1, ad 3.
4. Cf. Taparelli : « Il dovere morale, ossia obbligazione, potrà dunque definirsi : un dovere secondo ragione risultante da final necessità, cioè da necessaria connessione di mezzi con fine necessario. » *Saggio teoretico di dritto naturale,* n. 94.

*Conclusio.* **Admittenda est moralis obligatio.**

*Probatur.* 1° *Ex testimonio conscientiæ.* Unusquisque in se apprehendit judicium conscientiæ ex quo novit, ante factum, se teneri ad actum ponendum vel omittendum, et post factum, exinde se reputat dignum laude vel vituperio. Haud secus judicamus de actibus aliorum hominum, idemque reperitur apud alios homines. *Atqui.* Hoc est factum morale seu phænomenon morale quod nobis innotescit aliter quam phænomenon physicum, non tamen minori certitudine gaudet. *Ergo.* Admittenda est moralis obligatio.

2° *Ex ratione ordinis.* In universo manifestus relucet ordo vi cujus res omnes ad invicem colligantur, et istud ligamen vel vinculum quod exprimitur per verbum *debet,* aliquo sensu dici potest obligatio, sic aqua cum tali gradu frigoris debet congelari, ut germinet frumentum terra debet præparari, vitis debet putari tali et tali modo, etc... Homo, cum sit pars universi, non effugit illam universalem rerum ordinationem, sed subjacet illi colligationi qua res omnes ad invicem ratione suarum essentiarum obligantur. *Sed* homo, ratione suæ essentiæ præter obligationem physicam alia obligatione ligatur. *Ergo.* Admittenda est moralis obligatio.

*Probatur minor.* Solus homo præ aliis entibus, gaudet libertate sui arbitrii. *Atqui.* Ex libertate arbitrii sequitur hominem subdi legi morali. *Ergo*[1].

*Objectionibus satisfit : ad* 1^am^. Phænomenon morale quod est obligatio moralis, non est aliquid mere ideale seu ens rationis, sed est factum realiter existens, cujus ratio investiganda est; non est effectus instinctus affectivi solum, sed procedit a ratione practica et sic pari jure considerari debet ac cetera facta psychologica. *ad* 2^um^. Unaquæque scientia pratica vel ars obligationem quamdam importat fini cujuslibet scientiæ vel artis proportionatam et ab obligatione aliarum scientiarum vel artium diversam : sic agricultura obligationem agricolam, hygiene obligationem hygienicam. Ita moralis, moralem : Versatur enim moralis scientia circa finem ultimum qui ex omnibus finibus solus est simpliciter et absolute necessarius.

*Nota.* 1° Obligatio moralis non est vinculum logicum, afficiens solum intellectum ; sed est vinculum morale, afficiens voluntatem.

1. « On pourrait très bien comparer la nécessité physique à une barrière rigide de fer ou de bois; tant qu'elle subsiste, vous ne pouvez la forcer ; si vous passez outre, c'est qu'elle est abattue ou brisée. Le devoir, l'obligation morale, c'est une barrière aussi, mais une barrière éthérée; vous pouvez la traverser comme on traverse un rayon de soleil. La ligne éclatante nous trace nettement la limite qu'il ne faut pas franchir; si vous la violez, elle vous laisse passer, mais derrière vous elle se referme et continue de marquer entre le bien et le mal une frontière de lumière. » D'Hulst, *Conférences de N.-D.*, 4^e^ conf. 1891. p. 166.

2° Non creatur a conscientia, sed habet necessitatem objectivam anteriorem ad judicium conscientiæ.

3° Est necessitas alternativa, sc. vel ad ordinem legis libere acceptandum, vel ad subeundum ex necessitate quod sequitur ex lege. Invenitur eadem alternativa in legibus physicis : sic, ex lege æquilibrii, non debet inclinari grave ita ut centrum gravitatis sit extra basim sustentationis ; quod si inclinetur, cadet in terram. Piscis debet vivere in aqua ; quod si maneat extra aquam, moritur.

**Divisio.** Cum obligatio sit effectus legis, distinguitur obligatio moralis *naturalis* vel *positiva,* prout sequitur ex lege naturali vel positiva.

**Dubium.** Si obligatio est effectus legis, prius videtur tractandum de lege quam de obligatione, prius de causa scilicet quam de effectu.

*Respondeo.* Rectus ordo doctrinæ est ut procedatur a notioribus ad minus nota. Ideo non necessario confunditur ordo logicus cum ordine ontologico. Aliquando enim procedit cognitio effectus a cognitione causæ, et tunc præmitti debet tractatus de causa. Aliquando vero e converso procedit cognitio causæ ex cognitione effectus, sic cognoscitur Deus ex creaturis.

Si agatur de obligatione positiva, procedit quidem cognitio obligationis ex cognitione legis.

Econtrario quando agitur de obligatione naturali, notior est ipsa obligatio quam lex naturalis. Obligationis enim cognitio constituit id quod a modernis dicitur *phænomenon morale,* phænomenon plane sui generis, distinctum a phænomeno physico et etiam a phænomeno psychologico, et consequenter attente considerandum cum propria methodo. Et cum ex cognitione obligationis moralis assurgamus ad cognitionem legis naturalis, postulat ordo logicus ut præmittatur obligationis consideratio.

### § 3. — Quomodo se habeant inter se moralitas et obligatio.

288. Moralitas et obligatio valde intime ad invicem connectuntur. Unde de utraque intelligi debent verba S. Thomæ supra citata (n. 145) : « Regula voluntatis humanæ est duplex : una propinqua et homogenea, scilicet ipsa humana ratio ; alia vero est prima regula, scilicet lex æterna quæ est quasi ratio Dei[1]. » Regula voluntatis, ait S. Doctor, id est regula tam quoad moralitatem quam quoad obligationem.

Item ex moralitate simul et obligatione integratur Problema morale, de quo diximus (n. 145), licet aliquando sub uno alte-

rove respectu consideretur. Nec mirum esse debet : Utraque enim est relatio realis transcendentalis actus.

Imo quidam, ut *Kant, Galluppi, Janet* docuerunt honestatem omnino confundi cum obligatione.

Ex Catholicis plures etiam insudaverunt in assignanda ratione differentiæ inter utramque, sed minus feliciter. *Cathrein* et *Meyer* dicunt differentiam consistere in hoc quod moralitas pendet ab intellectu Dei, obligatio vero a divina voluntate. Sed contra, cum S. Thoma (n. 319) propugnabimus obligationis fundamentum ultimum esse non voluntatem sed intellectum Dei. — Scribit *Tanquerey :* « Norma moralitatis est Deus supremum bonum et ultimus finis, norma obligationis est Deus supremus legislator. » — Sed contra, suprema regula moralitatis, ut diximus supra (n. 149), est lex æterna, ergo Deus etiam ut legislator.

*Conclusio.* **Differt obligatio ab honestate.**

*Probatur.* Utraque quidem consistit in relatione reali transcendentali, sed moralitas consistit in relatione convenientiæ (n. 121) et obligatio in relatione necessitatis (n. 286). *Atqui.* Differt necessitas a convenientia. *Ergo.* Differt actus obligatorius ab honesto, sicut necessarium a conveniente. Unde licet omnis actus malus seu inconveniens sit necessario vitandus, non tamen actus bonus seu conveniens est necessario ponendus[1].

## ARTICULUS II

### *De lege in communi.*

De legibus, agemus I) de lege in communi (art. 2), II) de singulis legibus (art. 3-11) sc. 1° de lege æterna (art. 3); 2° de lege naturali (art. 4-8); 3° de lege Dei positiva (art. 9 et 10); 4° de lege humana (a. 11).

#### § 1. — Definitio legis (1ª 2æ, q. 90).

289. **Quid sit lex.** 1° *Quantum ad nomen,* volunt alii etymologiam legis trahi a *legendo,* quia ferebatur lex quando legebatur ut

1. « Le bien et le devoir peuvent être représentés sous la figure de deux cercles concentriques, qui, ayant le même centre, diffèrent par leur circonférence. Le devoir, c'est la limite au-dessous de laquelle il ne nous est pas permis de descendre sans perdre dans l'ordre moral notre qualité d'homme. » Franck, *Morale pour tous,* p. 13, cit. ap. de Pascal qui subjungit : « Mais au-dessus de cette limite s'étend presque à l'infini le champ de la perfection. » *Philosophie morale et sociale,* t. I, p. 140.

populo innotesceret, ita *Varro;* alii ab *eligendo,* quia lex eligit quod melius est, ita *Cicero;* alii a *ligando,* eo quod lex obligat ad agendum, ita *S. Thomas.* Hodierni vero philologi censent legem provenire a radice communi cum verbo græco λέγειν, dicere.

2° *Quantum ad rem,* « lex est quædam regula et mensura actuum secundum quam inducitur aliquis ad agendum vel ab agendo retrahitur[1] ». Res est notissima.

Definitur lex : **Rationis ordinatio — ad bonum commune — ab eo qui curam habet communitatis — promulgata,** in qua definitione *quatuor* sunt membra declaranda.

290. *Dicitur* 1° **rationis ordinatio.** *a*) quid sit ordinatio? Notandum quod verbum *ordinare* in linguis modernis duo significat : aliquando *ordinem ponere,* aliquando *præcipere.* Unde plures existimant in definitione S. Thomæ *ordinationem* significare *præceptum*[2]. Sed, licet lex sit vere præceptum, hic tamen S. Thomas non ponit *ordinationem* ad significandum *præceptum,* sed ad significandum *impositionem ordinis.* Quod probatur, tum ex usu linguæ latinæ in qua nec *ordo* nec *ordinatio* dicit *præceptum,* tum ex usu S. Thomæ qui nunquam adhibuit *ordinem* vel *ordinationem* in sensu *præcepti.* — In quo vero consistat hæc ordinis impositio, vel dispositio? Respondemus cum S. Thoma : *Duo* continet, quia est dispositio *I*) ad debitum finem, *II*) per media proportionata : « Ad hoc autem quod aliqua sint ordinata, duo requiruntur. Primo quidem quod aliqua ordinentur ad debitum finem, qui est principium totius ordinis in rebus agendis : ea enim quæ casu eveniunt, præter intentionem finis, vel quæ non serio fiunt sed ludo, dicimus esse inordinata. Secundo, oportet quod id quod est ad finem sit proportionatum fini, et ex hoc sequitur quod ratio eorum quæ sunt ad finem sumitur ex fine, sicut ratio dispositionis serræ sumitur ex sectione quæ est finis ejus, ut dicitur in 2 *Physic*[3]. » In definitione igitur legis ponitur *ordinatio,* quia lex tendere debet ad debitum finem per media proportionata.

Additur *b*) ordinatio *rationis :* Et hoc quia ut sæpius ait S. Thomas : « rationis est ordinare ad finem[4] », nam « ordo unius ad alterum non est nisi per intellectum, cujus est ordinare[5] ». Unde supra

1. 1ª 2æ, q. 90, a. 1.

2. Ita Meyer : « A ratione procedit lex non quomodocumque, sed tanquam aliqua ejus *ordinatio,* quæd esignat *voluntatis* rationalis actum seu decretum, i. e. jussionem legislatoris secundum ductum rationis. » *Instit. Jur. nat.,* t. I, n. 230.

3. 1ª 2æ, q. 102, a. 1.

4. 1ª 2æ, q. 90, a. 1.

5. 2, d. 38, q. 1, a. 3.

(n. 110) probatum est imperium esse essentialiter actus intellectus et non voluntatis. Idem tamen breviter probari potest argumento S. Thomæ ($1^a$ $2^{æ}$, q. 90, a. 1) : Lex quædam regula est et mensura actuum secundum quam inducitur aliquis ad agendum vel ab agendo retrahitur : dicitur enim lex a ligando, quia obligat ad agendum. *Atqui*. Regula et mensura humanorum actuum est ratio. *Ergo*. Relinquitur quod lex sit aliquid pertinens ad rationem. *Probatur minor*. Ratio est principium primum actuum humanorum : rationis enim est ordinare ad finem, qui est primum principium in agendis. *Atqui*. In unoquoque genere id quod est principium est mensura et regula illius generis : sicut unitas in genere numeri et motus primus in genere motuum. *Ergo*. — *Idem confirmatur* ex comparatione quam sæpius instituunt inter legem seu regulam morum et regulam artis : lex enim est velut quoddam exemplar morum, sicut et ars est exemplar rerum faciendarum, ideo lex ad intellectum legislatoris referenda est, sicut exemplar seu idea ad intellectum artificis.

Post Suaresium[1] qui docuit legem potius pertinere ad voluntatem quam ad rationem, plures recentiores ne videantur abjicere definitionem legis a S. Thoma traditam asserunt in hac definitione rationem poni pro voluntate. Ita *Cathrein* : « Quamvis ordinare in finem pertineat ad rationem directive, effective tamen pertinet ad voluntatem quæ in finem movet[2]. » *Castelein* : « En disant *ordonnance efficace* (ordinatio) *de la raison*, S. Thomas veut signifier un ordre de la volonté, issu primitivement de la raison, comme règle de cette volonté[3]. » — Sed contra, hic ratio sumitur in sensu proprio, quod patet tum ex titulo articuli et ipsius conclusione, tum maxime ex argumento allato, quod modo transcripsimus : in hoc syllogismo, si quis verbo *ratio* substituat *voluntas*, videbit quid inde resultet. *Cathrein* vero novam addit confusionem cum ait : « ordinare effective pertinet ad voluntatem quæ in finem movet ». Ordinare enim non est movere.

Dicunt *alii* rationem hic accipi objective, quasi lex sit aliquid ordinans rationem subditorum; — sed contra, ut patet ex contextu, intendit S. Thomas quod lex est aliquid ordinatum a ratione legislatoris.

*Quærit Ferretti* : « Cum duo concurrant actus, rationis et voluntatis, curnam S. Thomas expressam hoc in loco mentionem non facit nisi actus rationis? » *Respondet* : « Cum satis compertum omnibus sit, actum voluntatis ad legem condendam requiri, non sit autem eodem modo omnibus perspectum actum voluntatis non sufficere, sed necessarium esse actum rationis a qua superioris voluntas regatur : idcirco de voluntatis actu silet et diserte tantum loquitur de actu rationis[4]. » — *Sed contra*, in definitionibus, non consuevit S. Thomas silere de elemento essentiali definitionis propter hoc solum quod nimis manifeste continetur istud elementum in re definita. Unde si *actus voluntatis* sit adeo essentialis legi, ut tenent moderni sequa-

1. *De legib.*, l. 1, c. 5.
2. *Philos. mor.*, n. 148.
3. *Morale* (1904), p. 389.
4. *Instit. Philos. mor.*, t. I, p. 317.

ces Suaresii, nimis manca foret S. Thomæ definitio. Ideo quæsito melius respondetur recolendo doctrinam S. Thomæ supra traditam de actu imperii (n. 110). Imperium est essentialiter actus intellectus præsupponens tamen actum voluntatis. Lex proprie non est ipsemet actus imperii, nam « sicut in actibus exterioribus est considerare operationem et operatum, puta ædificationem et ædificatum, ita in operibus rationis est considerare *a*) ipsum actum rationis et *b*) aliquid per hujusmodi actum constitutum[1] ». *a*) Ipse actus rationis est actus imperii; *b*) illud vero *per hujusmodi actum constitutum* est lex. Ideo lex essentialiter pertinet ad rationem, præsupponens tamen actum voluntatis. Unde recte posuit S. Thomas in definitione legis rationem et non voluntatem, posuit enim id in quo consistit essentia legis.

Ex his manifestum est in quo differunt recentiores sequaces Suaresii a Thomistis. Dicunt illi : Lex essentialiter pertinet ad voluntatem, præsupponens tamen rectam rationem. Dicunt Thomistæ : Lex essentialiter pertinet ad rationem, præsupponens tamen motionem voluntatis. Recole jam dicta de imperio : Imperium essentialiter non est motio ordinata, sed ordinatio motiva (n. 110). Ita et lex.

291. *Dicitur* 2° **ad bonum commune,** et quidem *a*) *ad bonum,* quia quod ordinatur ad malum non habet rationem veræ legis; *b*) *commune,* quia lex non ordinatur ad bonum unius vel paucorum, vel unius factionis, sed ad bonum totius communitatis : nec obstat quod lex aliquando statuat aliquid quod est in bonum principis vel aliquorum, quia revera istud ordinatur ad bonum commune. Cæterum quid sit bonum commune, fusius declarabitur in Sociologia.

Hoc definitionis membrum desumptum est ex verbis Aristotelis in 3 *Ethicor.* : « Quare secundum unum quidem modum justa dicimus factiva et conservativa felicitatis et particularum ipsius, politica communicatione », quæ sic exponit S. Thomas : « Et quia omnis utilitas humana finaliter ordinatur ad felicitatem, manifestum est quod secundum unum modum justa legalia dicuntur ea quæ sunt factiva felicitatis et particularum ipsius, id est eorum quæ ad felicitatem ordinantur vel principaliter sicut virtutes, vel instrumentaliter sicut divitiæ et alia hujusmodi exteriora bona : et hoc per comparationem ad communitatem politicam ad quam respicit legis positio. » Unde ratio *justi legalis* duplex includit elementum : I) quod sit factivum felicitatis et particularum ipsius, II) per comparationem ad communitatem politicam, quod utrumque exponitur in $1^a\ 2^{ae}$, q. 90, a. 2. *De primo* : « Lex pertinet ad id quod est principium humanorum actuum, ex eo quod est regula et mensura. *Atqui.* Sicut ratio est principium humanorum actuum, ita in ipsa ratione est aliquid quod est principium respectu omnium aliorum. *Ergo.* Ad hoc oportet quod principaliter et maxime pertineat lex. *Subsumo, Atqui.* Primum principium in operativis, quorum est ratio practica, est finis ultimus : est autem ultimus

1. $1^a\ 2^{ae}$, q. 90, a. 1, ad 2.

finis humanæ vitæ felicitas vel beatitudo. *Ergo*. Oportet quod lex maxime respiciat ordinem qui est ad beatitudinem. » — *De secundo :* Rursus, omnis pars ordinatur ad totum, sicut imperfectum ad perfectum. *Atqui*. Unus homo est pars communitatis perfectæ. *Ergo*. Necesse est quod lex proprie respiciat ordinem ad felicitatem communem. — Et concludit S. Thomas : « Unde et Philosophus præmissa definitione legalium mentionem facit et de felicitate et de communione politica : Dicit enim in 5 *Ethicor*. quod legalia justa dicimus factiva et conservativa felicitatis et particularum ipsius ; perfecta enim communitas civitas est, ut dicitur in 1 *Politic*. »

Ne quis tamen objiciat multa legum præcepta versari circa actus particulares qui non respiciunt bonum commune, subjungit S. Doctor : « In quolibet autem genere id quod maxime dicitur, est principium aliorum et alia dicuntur secundum ordinem ad ipsum. Unde oportet, cum lex maxime dicatur secundum ordinem ad bonum commune, quod quodcumque aliud præceptum de particulari opere non habeat rationem legis, nisi secundum ordinem ad bonum commune. Et ideo omnis lex ad bonum commune ordinatur. »

292. *Dicitur* 3° **ab eo qui curam habet communitatis,** *et probatur*. 1° Lex proprie primo et principaliter respicit ordinem ad bonum commune. *Atqui*. Ordinare aliquid in bonum commune est vel totius multitudinis, vel alicujus gerentis vicem totius multitudinis, *et ratio est quia* et in omnibus aliis ordinare in finem est ejus cujus est proprius ille finis. *Ergo*. Condere legem vel pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad personam publicam quæ totius multitudinis curam habet[1]. — 2° Lex debet habere vim coactivam ad hoc quod efficaciter inducat ad virtutem ut Philosophus dicit in 10 *Ethic*. *Atqui*. Hanc virtutem coactivam habet multitudo vel persona publica ad quam pertinet pœnas infligere. *Ergo*. Solius personæ publicæ est leges facere[2].

*Corollarium*. Ex his sequuntur duo effectus legis, quia lex habet et vim obligandi et vim cogendi : « Lex de sui ratione duo habet : primo quidem quia est regula humanorum actuum (*regula, inquam, et quoad moralitatem et quoad obligationem*), secundo quod habet vim coactivam[3]. » Primum, scilicet vis obligandi, continetur his verbis *ad bonum commune,* quia obligatio oritur ex necessitate qua ligatur pars ad totum. Secundum, scilicet vis coactiva, continetur his verbis *ab eo qui curam habet communitatis,* quia sola persona publica potest pœnas infligere.

1. 1ª 2æ, q. 90, a. 3.
2. *Ibid.*, ad 2.
3. 1ª 2æ, q. 96, a. 5.

293. *Dicitur 4°* **promulgata**. Promulgatio est publica legis intimatio. Disputant juristæ utrum promulgatio sit de essentia legis an solum conditio sine qua non, omnes tamen concordant eam requiri absolute ad valorem legis. *Quod probatur :* « Lex imponitur aliis per modum regulæ et mensuræ. *Atqui.* Regula et mensura imponitur per hoc quod applicatur his quæ regulantur et mensurantur. *Ergo.* Ad hoc quod lex virtutem obligandi obtineat, quod est proprium legis, oportet quod applicetur hominibus qui secundum eam regulari debent. *Subsumo, Atqui.* Talis applicatio fit per hoc quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione. *Ergo.* Promulgatio ipsa necessaria est ad hoc quod lex habeat suam virtutem[1]. »

*Nota.* Legem promulgari non esse idem ac legem innotescere. Lex promulgata obligat, nec requiritur quod sit cognita. Equidem inculpabiliter ignorans promulgationem immunis erit a peccato si agat contra legem, quia propter impedimentum excusatur ab obligatione legis in actu secundo, obligatur tamen in actu primo : si enim posuerit actum cujus nullitas pronuntiatur a lege invincibiliter ignorata, actus erit nullus. Omni igitur effectu non caret lex ignorata.

294. **Aliae definitiones legis**. Huic definitioni S. Thomæ voluit *Suarez* alteram substituere : *Lex est commune præceptum, justum ac stabile, sufficienter promulgatum*[2].

Alteram definitionem tradit *Montesquieu :* « Les lois sont les rapports nécessaires qui dérivent de la nature des choses[3] », quæ desumpta videtur ex *Tullio :* « Lex est ratio ex rerum natura profecta[4]. »

295. **Lex et praeceptum**. Præceptum non uno modo dicitur. Aliquando designat rationem genericam communem duabus speciebus, quæ sunt : lex et merum præceptum. Lex enim est quoddam præceptum, et ad hunc sensum reducitur quod dicimus : Lex naturalis habet plura præcepta. Quorum unumquodque proprie et formaliter participat rationem legis. — Aliquando vero per præceptum designatur aliquid quod deficit a perfecta ratione legis; sic lex procedit a persona publica. Pater familias, cum non sit persona publica, præceptum filiis potest imponere, non vero legem condere.

296. **Lex et consilium**. « Hæc est differentia inter consilium et præceptum, quod præceptum importat necessitatem, consilium autem in optione ponitur ejus cui datur[5]. » Nam « diversimode bona se habent

1. 1ª 2æ, q. 90, a. 4.
2. *De legib.*, l. c., 12.
3. *Esprit des lois*, l. 1, c. 1.
4. *De legib.*, l. 2, c. 4.
5. 1ª 2æ, q. 108, a. 4.

ad bonitatem divinam : quia quædam sunt sine quibus fruitionem divinæ bonitatis consequi non possumus, et respectu horum est præceptum. Quædam vero sunt quibus perfectius consequimur, et respectu horum est consilium [1] ».

*Consilia evangelica* dicuntur, utpote specialiter in Evangelio inculcata : paupertas, castitas et obedientia, quæ magis immediate ad perfectionem disponunt. De quibus cf. *Cont. Gent.*, l. 3, c. 130 et ss. et Opuscula pro defensione status religiosi.

### § 2. — Divisiones legis.

297. 1° *Ex parte originis,* lex distinguitur *æterna* vel *temporalis.*

Lex temporalis distinguitur *naturalis* vel *positiva,* secundum quod necessitatem ponit ortam vel ex natura rerum, vel ex positiva et libera voluntate legislatoris.

Lex positiva distinguitur *divina* vel *humana.*

Lex positiva divina distinguitur lex *Veteris,* vel *Novi Testamenti.*

Lex humana distinguitur *ecclesiastica* vel *civilis.*

Ulteriores divisiones pertinent ad scientiam juridicam et non amplius ad philosophiam.

2° *Ex parte actuum,* distinguit Papinianus quatuor actus legis qui sunt *imperare, vetare, permittere, punire.* Ratio est quia leges sunt de actibus humanis. *Atqui.* Actus humani sunt in triplici differentia, actus boni, qui imperantur; mali, qui vetantur; indifferentes, qui permittuntur, et additur punire, quia per timorem pœnæ inducit lex ad obedientiam. *Ergo.* Recte distinguitur lex imperans, prohibens, permittens, puniens.

3° *Ex parte formæ* qua enunciatur, distinguitur præceptum *affirmativum* et *negativum.* Negativum obligat semper et pro semper; affirmativum obligat semper sed non pro semper.

Insuper lex negativa potest esse vel *mere prohibens,* vel prohibens simul et *irritans,* quando scilicet pronunciat non solum illiceitatem, sed invaliditatem actus. Iterum lex irritans aliquando pronunciat actum esse ipso facto invalidum et nullum, aliquando vero solum rescindibilem.

1. 1, q. 19, a. 12, ad 4.

## ARTICULUS III

### *De lege æterna.*

§ 1. — **An sit et quid sit** (1ª 2æ, q. 91, a. 1).

298. Lex æterna est « ipsa ratio gubernationis rerum in Deo sicut in principe universitatis existens ». Quæ notio manifestior erit ex sequenti conclusione.

*Conclusio.* **Admittenda est lex æterna.**

*Probatur.* In divina sapientia continetur ordinatio secundum quam gubernatur tota communitas universi. *Atqui.* Hæc divinæ Sapientiæ ordinatio *a*) habet rationem legis, *b*) et est æterna. *Ergo.* Datur in Deo lex æterna.

*Major probatur,* ex dictis de providentia. Supposito enim quod mundus divina providentia regatur, manifestum est quod tota communitas universi gubernatur ratione divina.

*Minor, quoad* 1^am^ *partem, probatur,* quia in ista divinæ sapientiæ ordinatione inveniuntur omnes conditiones expressæ in definitione legis; — *quoad* 2^am^ *vero partem, probatur,* quia divina ratio nihil concipit ex tempore, sed habet æternum conceptum.

*Quæres* 1°. **An lex æterna sit una vel plures et quomodo se habeat ad ideas divinas?**

*Respondeo.* Ideæ sunt exemplaria rerum, ideo sunt multæ; lex æterna est exemplar ordinis, ideo est una.

*Quæres* 2°. **Quomodo se habeat ad Providentiam?**

*Respondeo.* Lex æterna est exemplar ordinis. Providentia etiam est exemplar ordinis, non tamen est idem ac lex æterna. « Providentia in Deo proprie non nominat legem æternam, sed aliquid ad legem æternam consequens. Lex enim æterna est consideranda in Deo, sicut accipiuntur in nobis principia operabilium naturaliter nota, ex quibus procedimus in consiliando et eligendo, quod est prudentiæ sive providentiæ : unde hoc modo se habet lex intellectus nostri ad prudentiam sicut principium in demonstratione. Et similiter etiam in Deo lex æterna non est providentia, sed providentiæ quasi principium : unde et convenienter legi æternæ attribuitur actus providentiæ, sicut et omnis effectus demonstrationis principiis indemonstrabilibus attribuitur[1]. »

In duobus igitur differt providentia a lege æterna : 1° quia divina

1. *Verit.*, q. 5, a. 1, ad 6.

providentiæ subjacent omnia « non in universali tantum, sed etiam in singulari[1] », item non necessaria tantum sed et contingentia ; lex vero æterna respicit ordinem essentialem rerum inter se et consequenter ordinem universalem et necessarium. 2° Providentia pertinet ad intellectum divinum, sed præsupposito libero decreto divinæ voluntatis a quo dependet[2] ; lex æterna connotat tantum liberum decretum et ab illo nullimode dependet.

Unde rejicienda est *Suarezii* opinio qui censet legem æternam esse actum liberum voluntatis Dei : « Dicendum est legem æternam non dicere actum necessarium in Deo, sed liberum... Satis convenienter dici posse legem æternam esse decretum liberum voluntatis Dei[3]. » — *Sed contra,* lex æterna non pendet a libero Dei decreto, nam sicut essentiæ non pendent a voluntate Dei libera, ita nec ordo inter varias essentias. Unde quando pronuncio hoc legis æternæ præceptum, Filii debent honorare parentes suos, a voluntate quidem libera Dei pendet quod sint parentes et filii ; posito vero quod sunt, filii habent necessitatem honorandi parentes non a libero Dei decreto, sed ab actu necessario divini intellectus.

Objicit *Suarez :* « Lex æterna habet pro materia opera Dei ad extra. Ergo sicut hæc opera libera sunt, ita et lex æterna involvit respectum liberum. Confirmatur, quia non potest lex esse sine respectu ad ea quæ per illam gubernanda sunt. Sed lex æterna est propter creaturas, ergo dicit respectum liberum ad illas[4]. » — *Respondeo.* Lex æterna involvit respectum liberum, *distinguo :* Respectum liberum qui præcedat legem æternam eamque determinet, *nego ;* Respectum liberum qui sequatur legem æternam et ab ea pendeat, *concedo.* Et sic profundius attenditur ratio differentiæ inter legem æternam et providentiam. Utraque pertinet ad divinum intellectum et de utraque dici potest quod involvit respectum liberum, sed aliter et aliter. Respectus liber præcedit providentiam, quia providentia præsupponit liberum decretum de creatione mundi et determinatur ab eo : « Providentia est in intellectu, sed præsupponit voluntatem finis. Nullus enim præcipit de agendis propter finem, nisi velit finem[5]. » Respectus vero liber non præcedit legem æternam, sicut non præcedit ideas divinas : Lex enim æterna est idea ordinis et se habet ad ordinem essentiarum sicut se habent ideæ ad essentias sigillatim sumptas. Et sicut ideæ non pen-

1. 1, q. 22, a. 2.
2. 1, q. 22, a. 1.
3. *De legib.*, l. 2, n. 3 et 6.
4. *Ibid.*
5. 1, q. 22, a. 1, ad 3.

dent a libera Dei voluntate, cum sint necessariæ ex se, ita lex æterna habet necessitatem ex se et independenter a voluntate Dei.

Idea tamen divina duplici munere fungitur[1]. Est *ratio* et est *exemplar;* 1° ut *ratio,* pertinet ad scientiam speculativam et se habet ad omnia possibilia ; 2° ut *exemplar,* pertinet ad scientiam practicam et se habet ad omnia quæ a Deo fiunt secundum aliquod tempus. Sub hoc respectu, idea « includit respectum liberum » nam non est exemplar possibilium, sed eorum quæ a Deo fiunt secundum aliquod tempus ; iste tamen respectus non præcedit ideam nec determinat eam, nam entia creata quæ sunt exemplata ideæ divinæ, necessitatem habent in ordine essentiæ quatenus pendent ab idea exemplari necessaria, et contingentiam in ordine existentiæ quatenus pendent a libera Dei voluntate. Ita ordo essentialis rerum, qui est exemplatum legis æternæ, necessitatem habet in ordine essentiæ, quatenus pendet a lege æterna necessaria, et contingentiam in ordine existentiæ, quatenus pendet a libera Dei voluntate.

Sic, posito quod non fuisset mundus, æqualiter necessarium fuisset *Filios honorare parentes,* sed necessitate speculativa : *idea-ratio.* Posito libero decreto de existentia mundi, necessitas hæc fit practica : *idea-exemplar;* non tamen a decreto accipit quod fiat practica, sed hoc habet ex se, supposito decreto, quod se habet ut causa consequentiæ in inferendo, non in essendo.

*Quæres* 3°. **An sit lex in sensu proprio ?**

Negat *Thomasius;* dubitant *Suarez, Tanquerey,* propter defectum promulgationis : unde licet sit fons legum, non tamen est lex, sicut fons, licet principium fluminis, non est flumen.

*Conclusio.* **Lex æterna est lex in sensu proprio.**

*Probatur.* 1° Lex æterna continet omnes conditiones legis. Difficultati quæ movetur circa promulgationem, respondemus legem æternam esse promulgatam modo suo. Leges humanæ requirunt promulgationem *receptam,* et consequenter communitatem existentem, quia qui curam habet communitatis non est auctor illius. In Deo vero qui est auctor communitatis, sufficit promulgatio *facta,* sc. in Verbo, nec requiritur promulgatio *recepta.* « Promulgatio fit et verbo et scripto, et utroque modo lex æterna habet promulgationem ex parte Dei promulgantis, quia et Verbum divinum est æternum, et scriptura libri vitæ est æterna; sed ex parte creaturæ audientis aut inspicientis non potest esse promulgatio æterna[2]. »

2° Dicitur lex æterna fons legum non solum materialiter, sicut fons

1. 1, q. 15, a. 3.
2. 1ª 2æ, q. 1, a. 9 1, ad 2.

est principium fluminis, sed formaliter, quatenus ab ipsa participant aliæ leges formalem rationem legis, scilicet et rectitudinem et vim obligandi.

*Corollarium* 1^m. Lex æterna non est inventum scolasticorum. — Contra *Thomasium*.

De lege enim æterna sic præclare loquitur *Cicero :* « Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec scitum aliquod esse populorum; sed *æternum quiddam* quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia. Ita *principem legem illam et ultimam mentem esse dicebant omnia ratione aut agentis aut vetantis Dei :* ex qua illa lex, quam dii humano generi dederunt, recte est laudata ... Erat enim ratio profecta a rerum natura et ad recte faciendum impellens et a delicto avocans, quæ non tum denique incepit lex esse, cum scripta est, sed tum cum orta est. *Orta est autem simul cum mente divina.* Quamobrem lex vera atque princeps apta ad jubendum et ad vetandum *ratio est recta summi Jovis*[1]. »

*Corollarium* 2^m. Ex adverso lex æterna non est ethnica doctrina quam incaute acceptaverint scholastici, non satis caventes a confusione inter ordinem moralem et physicum[2].

Hæc nostra doctrina non est ethnicorum inventum, sed veræ philosophiæ fructus. Item non confundimus ordinem moralem cum ordine physico : nam licet ordo physicus sit distinctus ab ordine morali, tamen non est ab eo separatus, et ex utriusque ordinis unione resultat ordo naturæ universalis (n. 15). Lex vero æterna regit ordinem universalissimum.

### § 2. — Ad quæ se extendat lex æterna (1ª 2æ, q. 93, a. 4-6).

**299.** *Conclusio* 1ª. **Legi æternæ subjiciuntur omnia entia creata** (a. 4).

1. *De Legibus*, l. 2, c. 4.

2. Fonsegrive, *Morale et société :* « Chose étrange ! la plupart des moralistes spiritualistes ou chrétiens, tout en réprouvant cette assimilation de la morale à une physique amorale, prétendent conserver la même conception de la loi morale considérée comme une formule générale à laquelle devraient se conformer les actes humains pour être moraux. Le traité des lois par lequel s'ouvrent les traités de morale est tout entier basé sur la conception stoïcienne — toute physique par conséquent — et empruntée à Cicéron d'une loi éternelle qui ordonne et condamne tout, les pensées et les volitions dans le cœur des hommes comme la marche des astres dans le ciel... Et presque tous les auteurs classiques passent ainsi comme sans effort et sans remarquer l'hiatus, en tout cas sans le faire remarquer, de la loi morale conçue comme loi physique à la conception de cette même loi regardée comme sociale. » Ch. 3, p. 94.

*Probatur.* Cum lex æterna sit ratio divinæ gubernationis, quæcumque divinæ gubernationi subduntur, subduntur legi æternæ. *Atqui.* Divinæ gubernationi subduntur omnia entia a Deo creata. *Ergo.*

*Nota.* « Ea vero quæ pertinent ad naturam vel essentiam divinam legi æternæ non subduntur, sed sunt realiter ipsa lex æterna. »

*Conclusio* 2ª. **Aliter tamen subjiciuntur creaturæ rationales et aliter irrationales** (a. 5).

*Probatur.* Dupliciter aliquid subjicitur legi æternæ, vel per modum simplicis motionis, vel per intellectum divini præcepti. *Atqui.* Creaturæ irrationales subjiciuntur primo modo tantum, et creaturæ rationales utroque modo. *Ergo.*

*Probatur major ex differentia inter legem humanam et legem divinam;* lex enim humana non attingit subditos nisi mediante cognitione, lex vero divina attingit subditos etiam sine cognitione. *Quod probatur :*

*a) Quoad* 1ᵃᵐ *partem :* lex dirigit actus non ipsius legislatoris sed eorum quæ ejus gubernationi subduntur. *Atqui.* Quæcumque aguntur circa usum rerum irrationalium sunt actus hominis, non actus ipsarum rerum : quia res irrationales non agunt seipsas, sed ab aliis aguntur. *Ergo.* « Rebus irrationabilibus homo legem imponere non potest, quantumcumque ei subjiciantur; rebus autem rationalibus sibi subjectis potest imponere legem, in quantum suo præcepto imprimit menti eorum quamdam regulam, quæ est principium agendi. »

*b) Quoad* 2ᵃᵐ *partem.* « Sicut autem homo imprimit denunciando quoddam interius principium actuum homini sibi subjecto, ita etiam Deus imprimit toti naturæ principia propriorum actuum. Et ideo per hunc modum Deus dicitur præcipere toti naturæ, secundum illud psalmi 148 : *Præceptum posuit et non præteribit;* et per hanc etiam rationem omnes motus et actiones totius naturæ legi æternæ subduntur. »

*Objicit Suarez :* Nulla creatura irrationalis capax est legis proprie sumptæ. *Ergo.* Sub eo respectu quo præcipit naturæ irrationali, lex æterna non est lex proprie dicta.

*Respondeo. Distinguo antecedens.* Creatura irrationalis non est capax legis : eodem modo ac creaturæ rationales, *concedo;* non est capax legis proprie dictæ, *nego.* A lege enim æterna recipit etiam creatura irrationalis directionem et necessitatem actuum suorum, in quo consistit ratio legis proprie dictæ.

*Conclusio* 3ª. **Etiam inter homines aliter subjiciuntur boni et mali** (a. 6).

*Probatur*. Subduntur homines legi æternæ in quantum participant eam dupliciter : et per modum cognitionis, et per modum simplicis motionis ad actionem vel passionem. *Atqui. a*) In malis, uterque modus est imperfectus et quasi corruptus, quia et inclinatio naturalis ad virtutem depravatur per habitum vitiosum, et ipsa naturalis cognitio boni obtenebratur per passiones et habitus vitiorum. *b*) In bonis econtra, uterque modus invenitur perfectior, nam et naturali cognitioni superadditur supernaturalis cognitio fidei et sapientiæ, et naturalis inclinatio ad bonum juvatur ex auxilio gratiæ et virtutis supernaturalis. *Ergo*... « Sic igitur boni subsunt perfecte legi æternæ tanquam semper secundum eam agentes. Mali autem subsunt : imperfecte quidem quantum ad actiones ipsorum, prout imperfecte cognoscunt et imperfecte inclinantur ad bonum ; sed quantum deficit ex parte actionis, suppletur ex parte passionis, prout scilicet in tantum patiuntur quod lex æterna dictat de eis, in quantum deficiunt facere quod legi æternæ convenit. »

§ 3. — **An sit fons omnium aliarum legum.** (1ª 2æ, q. 93, a. 3).

300. *Conclusio*. **Omnes aliæ leges derivantur a lege æterna.**

*Probatur*. In omnibus gubernantibus videmus quod ratio gubernationis a primo gubernante ad secundos derivatur (*quod probatur ratione :* in omnibus enim moventibus ordinatis oportet quod virtus secundi moventis derivetur a virtute moventis primi, quia movens secundum non movet nisi in quantum movetur a primo ; *et declaratur duplici exemplo*, et regis « sicut ratio eorum quæ sunt agenda in civitate derivatur a rege per præceptum in inferiores administratores » ; et architecti « et in artificialibus etiam ratio artificialium actuum derivatur ab architectore ad inferiores artifices qui manu operantur »). *Atqui*. Lex æterna est ratio gubernationis in supremo gubernante. *Ergo*. Omnes rationes gubernationis quæ sunt in inferioribus gubernantibus a lege æterna derivantur. *Subsumo, Atqui*. Hujusmodi rationes inferiorum gubernantium sunt quæcumque aliæ leges præter æternam. *Ergo*. Omnes leges, in quantum participant de ratione recta, in tantum derivantur a lege æterna, quatenus a lege æterna recipiunt quod sint ipsæ et norma rectitudinis et norma obligationis.

*Scholion* 1m. Ex lege æterna omnia in hoc mundo mirabiliter illustrantur. « Per legem æternam, omnia quæ a Deo exeunt, inter se conspirant et maxima unitate et harmonia ad suum principium

reducuntur. Materialistæ nunquam poterunt mirabilem ordinem, unitatem, solidaritatem, si ita loqui fas est, omnium rerum in hoc mundo explicare. Pantheistæ vicissim, nimis hanc unitatem et solidaritatem urgentes, in contrarium errorem incidunt et rerum multitudinem et varietatem ac proinde ordinem etiam negant, qui est plurium dispositio secundum aliquam unitatem. Philosophia vero sana, præsertim lumine revelationis adjuta, per legem æternam, unitatem harmonicam rerum multitudine et varietate distinctarum modo facillimo, simplicissimo et qui intellectui undequaque satisfaciat, explicat[1]. »

*Scholion* 2[m]. Lex æterna est proprius fons ad evertendum Modernismum. Modernismus, ut uno verbo definiatur, nihil aliud est quam error relativismi subjectivi seu kantismus in ordine religioso : non cognoscuntur res prout sunt in se, sed prout sunt in cognitione nostra; inde agnosticismus, e cujus tenebris eximus per immanentiam vitalem. Inde conscientia religiosa, quæ, idem est ac revelatio; ipsa creat Deum et religionem quæ per evolutionem quotidie perficitur. — Sed contra, res omnes sive in ordine naturali, sive maxime in ordine supernaturali, sunt vere id quod sunt in se, idque habent non ex cognitione nostra, sed ex determinatione supremi Conditoris. Ideo cujuslibet absoluti fundamentum ultimum est ipsa lex æterna.

## ARTICULUS IV

### *De lege naturali quoad se.*

De lege naturali tractantes agemus 1° de lege naturali secundum se (art. 4); 2° de proprietatibus legis naturalis (a. 5); 3° de fundamento obligationis legis naturalis (a. 6 et 7); 4° de sanctione legis naturalis (art. 8).

*Definitio.* Per legem naturalem hic intelligitur « legis æternæ participatio in creatura rationali[2] ».

#### § 1. — An sit (1ª 2æ, q. 91, a. 2).

301. *Errores.* Legis naturalis existentiam negant : 1° Materialistæ, qui nihil admittunt præter materiam; 2° omnes fautores Positivismi moralis (n. 140); 3° Traditionalistæ, qui vim rationis naturalis plus æquo extenuant.

1. Cathrein, *Philosophia moralis*, n. 154.
2. 1ª 2æ, q. 91, a. 2.

*Conclusio.* **Datur in homine lex naturalis.**

*Probatur.* 1° *ex naturali participatione legis æternæ.* Lex, cum sit regula et mensura, dupliciter potest esse in aliquo : uno modo, sicut in regulante et mensurante, alio modo sicut in regulato et mensurato, quia in quantum participat aliquid de regula vel mensura, sic regulatur vel mensuratur. *Atqui.* Omnia quæ divinæ providentiæ subduntur, a lege æterna regulantur et mensurantur. *Ergo.* Manifestum est quod omnia participant aliqualiter legem æternam, in quantum scilicet ex impressione ejus habent inclinationes in proprios actus et fines. *Subsumo, Atqui.* Inter cætera rationalis creatura excellentiori quodam modo divinæ providentiæ subjacet; in quantum et ipsa fit providentiæ particeps, sibiipsi et aliis providens. *Ergo.* Et in ipsa participatur ratio æterna per quam habet rationalis creatura naturalem inclinationem ad debitum actum et finem. *Iterum subsumo, Atqui.* Talis participatio legis æternæ in creatura rationali lex naturalis dicitur : omnes enim habet conditiones contentas in definitione legis, et est naturalis. *Ergo.* Datur in homine lex naturalis.

*Brevius sic proponi potest argumentum :* Unaquæque creatura in se habet suo modo inclinationem ad debitum finem per participatam impressionem a lege æterna. *Atqui.* Hæc inclinatio naturaliter impressa in creatura rationali habet rationem legis. *Ergo.* Datur lex naturalis.

2° *ex ordine essentiali rerum.* Determinatam naturam sequuntur determinatæ operationes naturæ convenientes vel necessariæ. *Atqui.* Humana natura est determinata. *Ergo.* Oportet esse operationes secundum se homini convenientes vel necessariæ[1]. *Subsumo, Atqui.* Humanarum operationum principium est ratio. *Ergo.* Sicut in aliis creaturis naturalis inclinatio ad proprium bonum est per formam vel instinctum, in homine inclinatio ad bonum humanum seu morale est per modum rationalem, id est per judicium, et in hoc consistit lex naturalis.

3° *ex testimonio conscientiæ.* Experientia constat dari in homine judicium quoddam naturale (id est voluntatem præcedens) vi cujus quædam actiones discernuntur ut necessario ponendæ, aliæ ut necessario vitandæ. *Atqui.* Naturale, cum immediate procedat ab Auctore naturæ, non potest esse falsum. *Ergo.* Judicium naturale vere nos obligat, et sic habet rationem legis naturalis.

1. *Cont. Gent.*, l. 3, c. 129 (Cf. sup., n. 141).

§ 2. — **Quid sit** (1ª 2æ, q. 94, a. 1).

302. Plurimæ sunt sententiæ :

1° *Quidam dicunt :* lex naturalis est lex æterna. — *Sed contra.* Lex æterna est in Deo, lex naturalis in homine.

2° *Alii dicunt :* est natura rationis secundum se. — *Sed contra.* Natura rationalis subjicitur legi naturali ut mensuratum mensuræ ; sed mensuratum non est idem ac mensura.

3° *Alii dicunt :* est habitus. — *Sed contra.* Habitus est principium actionis, « lex naturalis est aliquid per rationem constitutum »[1].

4° *Alii dicunt :* est lumen naturale, id est ipse intellectus; ex verbis S. Thomæ : « est lumen intellectus insitum nobis a Deo, per quod cognoscimus quid agendum et quid vitandum. Hoc lumen et hanc legem dedit Deus homini in creatione[2] ». — *Sed contra.* « Lex naturalis est aliquid per rationem constitutum, sicut etiam propositio est quoddam opus rationis[3]. » S. Thomæ vero citata verba intelligi possunt de lumine objective, seu de eo quod procedit ex illuminatione intellectus.

5° *Alii dicunt :* est dictamen rationis ostensivum boni. — *Sed contra.* Lex æterna non solum ostendit bonum, sed etiam decernit obligationem.

6° *Alii dicunt :* est dictamen actuale, seu ipse actus judicii. — *Sed contra.* Lex naturalis est in dormientibus, amentibus et infantibus, qui non habent actum judicii.

303. *Conclusio* 1ª. **Lex naturalis est essentialiter dictamen, id est propositio dictans obligationem.**

*Probatur.* Ex definitione legis. Lex, cum sit ordinatio rationis, « est aliquid per rationem constitutum, sicut etiam propositio est quoddam opus rationis[4] ». — Insuper ad legem pertinet non solum monere, sed etiam « inducere efficaciter ad virtutem[5] », sc. per obligationem et etiam per vim coactivam. Unde « propositiones universales rationis practicæ ordinatæ ad actiones habent rationem legis[6] ».

*Corollarium.* Falsam igitur interpretationem S. Thomæ tradit *Suarez* cum scribit : « Multi volunt (legem naturalem) esse actum secundum. ..... Hæc est sententia communis Thomistarum, 1ª 2æ, q. 94, a. 1, ita interpretantium sententiam D. Thomæ ibi... D. Thomas autem dicit

1. 1ª 2æ, q. 94, a. 1.
2. *Opusc.* 4, c. 1.
3. 1ª 2æ, q. 94, a. 1.
4. 1ª 2æ, q. 94, a. 1.
5. 1ª 2æ, q. 90, a. 3. Cf. q. 92, a. 1.
6. 1ª 2æ, q. 90, a. 1, ad 2.

legem naturalem proprie significare actum seu judicium rationis..... Mihi sane videtur quæstio de modo loquendi, et non dubito, quin in actuali judicio mentis propriissime existat lex naturalis[1]. » — *Sed contra,* ex loco citato S. Thomæ et q. 90, a. 1, ad 2, tria distingui debent : id quod est principium operationis, id quod est operatio, id quod est effectus operationis. Lex naturalis non est principium operationis, nam « non est idem quod quis agit et quo quis agit » ; sed est opus rationis : « Sicut in actibus exterioribus est considerare operationem et operatum, ita in operibus rationis. » Lex ergo naturæ se habet non ut operatio, sed ut operatum. Et consentiunt omnes Thomistæ. Cf. Cajetan., Soto, etc... Nec magis verum est quæstionem esse *de modo loquendi :* magnopere interest determinare in quo proprie consistat lex naturalis.

*Conclusio* 2ª. **Legis naturalis præcepta quandoque subduntur actuali considerationi rationis, et tunc sunt lex in actu secundo.**

*Declaratur.* Subditur homo legi naturali in actu secundo, non solum quando actu considerat præcepta legis naturalis, sed quotiescumque debet illa considerare, quia omnis actio humana, ex eo quod humana, essentialem dicit ordinem ad legem actionis humanæ, id est ad legem moralem.

*Conclusio* 3ª. **Quandoque vero sunt in ratione habitualiter tantum, et tunc sunt lex in actu primo ; non tamen sunt habitus proprie.**

*Declaratur,* « sicut etiam principia indemonstrabilia in speculativis non sunt ipsi habitus principiorum, sed sunt principia quorum est habitus[2] ». Sicut igitur in intellectu speculativo habitualiter tenentur principia indemonstrabilia, quæ sunt objecta intellectus principiorum et tamen non sunt habitus, ita in ratione practica habitualiter tenentur quædam principia quorum statim manifesta est veritas, v. g. parentes sunt colendi, neminem injuste lædere debes, quæ ut objecta pertinent ad synderesim, non tamen sunt synderesis.

*Objicies.* Lex naturalis invenitur etiam in infantibus. Sed non dantur species innatæ, multo magis non dantur propositiones innatæ. — *Respondeo.* Non dantur propositiones innatæ. Sed sicut in ordine speculativo sunt quædam axiomata cujus veritas statim innotescit ac intelligitur sensus terminorum, ita in ordine morali ; et ista axiomata moralia sunt præcepta legis naturalis.

1. *De Legib.*, l. 2, c. 5, n. 13 et 14.
2. 1ª 2æ, q. 94, a. 1.

### § 3. — De variis præceptis et de primo principio legis naturalis (1ª 2æ, q. 94, a. 2).

304. *Conclusio* 1ª. **Plura sunt præcepta in lege naturali, — tamen ipsa est una.**

*Probatur* 1ª *pars.* Jam decem enumerantur præcepta in Decalogo, et non continentur omnia præcepta explicite in Decalogo.

*Probatur* 2ª *pars.* Una est lex naturalis ex eo quod procedunt omnia præcepta ex uno primo principio, ut dicemus in conclusione sequenti, et tendunt ad eumdem finem ultimum. « Lex enim dirigit sicut ostendens qualis debeat esse actus proportionatus fini ultimo : non enim quilibet actus cuilibet fini proportionatus est[1]. »

305. De primo principio legis naturalis. Sicut in scientiis speculativis unum existit principium primum, ad quod omnia alia principia reducuntur et ex quo ordinem et unitatem recipit quælibet scientia, ita et in philosophia morali unum primum principium est admittendum.

Hujusmodi principium vocari solet primum legis naturalis principium *cognoscitivum,* seu in ordine cognitionis, quia apprehenditur tanquam prima lex universalissima ex qua dimanant et in quam resolvuntur omnia legis naturalis præcepta quæ « in quantum referuntur ad unum primum principium habent rationem unius legis naturalis[2] ». — Distinguitur a principio legis naturalis quod vocant *constitutivum,* seu in ordine ontologico, quo nomine designatur principium ex quo originem et vim obligandi habent præcepta legis naturalis, scilicet lex æterna. De hoc principio agemus art. 6, ubi tractabimus de ultimo fundamento obligationis moralis.

Hanc investigationem plures reputant inutilem eo quod peculiaria hominis officia etiam sine illo cognosci possunt. *Respondeo.* Licet peculiaria officia aliqualiter cognosci possint, non tamen cognitione scientifica cognoscuntur conclusiones nisi evidenter resolvantur in principia : « Certitudo scientiæ tota oritur ex certitudine principiorum : tunc enim conclusiones per certitudinem sciuntur, quando resolvuntur in principia[3]. »

Varia auctorum placita circa hoc primum principium videri possunt apud *Signoriello*[4] vel apud *Meyer*[5].

306. *Conclusio* 2ª. **Primum legis naturalis principium**

1. 2, d. 41, q. 1, a. 1, ad 4.
2. 1ª 2æ, q. 94, a. 2, ad 1.
3. *Verit.*, q. 11, a. 1, ad 13.
4. *Philos. mor.*, t. I, n. 279.
5. *Instit. Jur. nat.*, t. I, n. 279.

**cognoscitivum est : Bonum est faciendum et malum vitandum.**

*Probatur.* 1° Primum legis naturalis principium cognoscitivum seu præceptum universalissimum quod aliorum præceptorum nobis rationem præbet, versari debet circa illud *a*) quod primo a ratione practica apprehenditur, et *b*) ex quo primum judicium ab ipsa efformatur. *Atqui. a*) Primum quod a ratione practica apprehenditur est bonum, et consequenter *b*) primum judicium quod ab ea efformatur, est : omnia non appetere nisi bonum. *Ergo.*

*Major declaratur* ex comparatione cum intellectu speculativo qui primo apprehendit ens, et cujus primum principium indemonstrabile est principium contradictionis, quod fundatur supra rationem entis et non entis.

*Minor probatur.* Ratio practica respicit operationes exequendas. *Atqui.* Operatio ad finem dirigitur sub ratione boni. *Ergo.* Primum quod a ratione practica apprehenditur est bonum, cui opponitur malum, sicut non ens enti.

Ita S. Thomas : « Illud quod primo cadit in apprehensione est ens, cujus intellectus includitur in omnibus quæcumque quis apprehendit ; et ideo primum principium indemonstrabile est quod *non est simul affirmare et negare,* quod fundatur supra rationem entis et non entis, et super hoc principio omnia alia fundantur, ut dicitur in 4 *Metaphys.* Sicut autem ens est primum quod cadit in apprehensione simpliciter, ita bonum est primum quod cadit in apprehensione practicæ rationis, quæ ordinatur ad opus : omne enim agens agit propter finem qui habet rationem boni. Et ideo primum principium in ratione practica est quod fundatur supra rationem boni quæ est, *bonum est quod omnia appetunt.* Hoc est ergo primum præceptum legis quod *bonum est faciendum et prosequendum, et malum vitandum;* et super hoc fundantur omnia alia præcepta legis naturæ, ut scilicet omnia illa facienda vel vitanda pertineant ad præcepta legis naturæ, quæ ratio practica naturaliter apprehendit esse bona humana[1]. »

2° Primum principium debet esse 1° irreducibile ad aliud, secus non esset primum; 2° universalissimum, quia omnium præceptorum tanquam communis expressio est; 3° simplicissimum, quia conceptus, quo generalior est, eo majori simplicitate gaudet; 4° cognitu facillimum, quia cætera minus cognita ex eo illustrantur; 5° velut implicita ratio ceterorum præceptorum quæ varia sunt quoad materiam, sed in ipso conveniunt quoad communem rationem formalem. —

1. 1ª 2æ, q. 94, a. 2.

*Atqui.* Hoc principium est 1° irreductibile ad aliud, quia non subjicitur ulli altiori principio, altiorem enim tradit obligationis rationem; 2° est universalissimum, quia cætera omnia legis præcepta complectitur; 3° est simplicissimum, quia bonum et malum sunt primæ notiones rationis practicæ; 4° est cognitu facillimum, quia ex notione boni et mali exsurgit, quæ omnibus communes sunt; 5° est implicita ratio cæterorum præceptorum, ideo enim aliquid est prosequendum quia bonum, et ideo fugiendum quia malum. — *Ergo.*

*Objicies.* Videtur hæc conclusio incidere in errorem confutatum supra n. 288, confundendo scilicet moralitatem cum obligatione. — *Respondeo.* Non confunditur moralitas cum obligatione : nam bonum eo modo se habet ad intellectum practicum quo modo est bonum. Unde bonum necessarium ordinem dicit ad actionem necessariam seu ad obligationem, et, bonum non necessarium ad actionem convenientem quidem sed non necessariam.

307. De diversorum præceptorum classificatione. Distingui possunt diversa præcepta legis naturalis, sive *ex parte materiæ,* sive *formaliter,* id est ex parte modi quo in ea continentur.

*Conclusio* 3ª. **Ex parte materiæ distinguuntur præcepta secundum diversas hominis inclinationes vel prout est substantia, vel prout est animal, vel prout est rationalis** (a. 2).

*Probatur.* Secundum ordinem inclinationum naturalium est ordo præceptorum legis naturæ. *Atqui.* Triplex est ordo inclinationum naturalium : « Inest enim primo inclinatio homini ad bonum secundum naturam, in qua communicat cum omnibus substantiis : prout scilicet quælibet substantia appetit conservationem sui esse ; et secundum hanc inclinationem pertinent ad legem naturalem ea per quæ vita hominis conservatur et contrarium impeditur. Secundo inest homini inclinatio ad aliqua magis specialia secundum naturam, in qua communicat cum aliis animalibus; et secundum hoc dicuntur ea esse de lege naturali quæ natura omnia animalia docuit, ut est commixtio maris et feminæ, et educatio filiorum et similia. Tertio modo inest homini inclinatio ad bonum secundum naturam rationis quæ est sibi propria, sicut homo habet naturalem inclinationem ad hoc quod veritatem cognoscat de Deo et ad hoc quod in societate vivat; et secundum hoc ad legem naturalem pertinent ea quæ ad hujusmodi inclinationem spectant, utpote quod homo ignorantiam vitet, quod alios non offendat cum quibus debet conversari, et cetera hujusmodi quæ ad hoc spectant. » *Ergo.*

*Conclusio* 4ª. **Formaliter, id est ex parte modi quo in**

**lege naturali continentur, præcepta sunt in triplici differentia; principia communia, conclusiones immediatæ, conclusiones mediatæ.**

*Probatur.* Præcepta legis naturæ se habent ad rationem practicam sicut principia prima ad rationem speculativam : utraque enim sunt quædam principia per se nota. *Atqui.* Principia per se nota talia sunt aliquando et quoad se et quoad nos, aliquando quoad se tantum et non quoad nos. Et sic distinguuntur *principia* et *conclusiones.* — Iterum, ex conclusionibus, quædam sunt adeo explicitæ quod statim cum modica consideratione possunt approbari vel reprobari per illa communia et prima principia; et quædam sunt quæ subtiliori consideratione rationis a sapientibus judicantur esse observanda. Et sic distinguuntur *conclusiones immediatæ* et *conclusiones mediatæ.*

*Exempla.* Principia : *Bonum est faciendum, homo nullum debet lædere.* Conclusiones immediatæ : præcepta Decalogi. Conclusiones mediatæ : alia præcepta.

*Corollarium.* Hinc oritur distinctio præceptorum in *primaria* et *secundaria,* ita ut præcepta primaria sint principia et conclusiones immediatæ; præcepta secundaria, conclusiones mediatæ.

## ARTICULUS V

### *De proprietatibus legis naturalis* (1ª 2æ, q. 94, a. 4-6).

Tres recensentur proprietates legis naturalis : universalitas, cognoscibilitas, immutabilitas.

#### § 1. — Universalitas.

308. *Conclusio* 1ª. **Lex naturalis ad omnes homines se extendit.** Contra *Nietzche.*

*Probatur.* Lex naturalis est proprietas naturæ rationalis. *Atqui.* Natura rationalis eadem est in omnibus hominibus. *Ergo.*

*Conclusio* 2ª. **Infantes et amentes obligantur non in actu secundo, — sed in actu primo.**

*Probatur* 1ª *pars.* Ad obligationem in actu secundo requiritur intellectualis cognitio actualis. *Atqui.* Infantes et amentes non habent intellectualem cognitionem actualem. *Ergo.*

*Probatur* 2ª *pars.* Obligatio in actu primo sequitur ex natura rationali. *Atqui.* Infantes et amentes habent naturam rationalem. *Ergo...*

Unde non peccant tales formaliter, quando exercent actionem in se malam; peccaret tamen qui illos induceret ad peccatum.

### § 2. — Cognoscibilitas.

309. *Conclusio* 1ª. **Principia communissima a nemine possunt ignorari.**

*Probatur*. Si quis apprehensa ratione partis et ratione totius non intelligat totum esse majus sua parte, dubitare liceret an ipse gaudeat usu rationis. Item in ordine morali, si quis apprehensa ratione boni et mali non intelligat bonum esse faciendum et malum vitandum.

*Conclusio* 2ª. **Conclusiones immediatæ a paucis et vix invincibiliter ignorari possunt.**

*Probatur*. Naturalia contingit ut in pluribus adesse et ut in paucioribus deficere. *Atqui*. Legis naturalis cognitio est naturalis : non est voluntaria, sed sequitur ex natura. *Ergo*. Adest ut in pluribus et deficit ut in paucioribus.

*Nota*. Hanc cognitionem aliquando deficere contingit « propter hoc quod aliqui habent depravatam rationem ex passione seu ex mala consuetudine, seu ex mala habitudine naturæ; sicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum, cum tamen sit expresse contra legem naturæ, ut refert Julius Cæsar, in libro de Bello Gallico ». Quod contingit non solum in moralibus, sed etiam in naturalibus, nam « etiam naturæ generabiles et corruptibiles deficiunt ut in paucioribus propter impedimenta[1] ».

*Conclusio* 3ª. **Conclusiones vero mediatæ facilius ab incultis ignorantur.**

*Probatur ex differentia inter processum rationis speculativæ et rationis practicæ*. Utraque quidem ratio procedit ab universalibus ad particularia. Sed ratio speculativa considerat necessaria quæ impossibile est aliter se habere; ideo eadem invenitur necessitas in conclusionibus particularibus ac in principiis universalibus : sic apud omnes verum est quod triangulus habet tres angulos rectos æquales duobus rectis, quamvis hoc non sit omnibus notum. Ratio vero practica versatur circa contingentia in quibus sunt operationes humanæ; ideo si in principiis generalibus sit aliqua necessitas, quanto magis ad particularia descenditur, tanto magis invenitur defectus. Exemplum de medicina. Aliquando tenebant medici optimum esse ad sanandam

1. 1ª 2æ, q. 94, a. 4.

appendicitem devenire ad operationem chirurgicam. Sed non raro versatur ægrotus in conditionibus quæ non permittant dictam operationem, et sic propositio quoad se spectata est quidem vera generaliter, in casu vero particulari non est vera. Item, in moralibus : « Apud omnes hoc rectum est et verum, ut secundum rationem agatur. Ex hoc autem principio sequitur quasi conclusio propria quod deposita sint reddenda. Et hoc quidem ut in pluribus verum est; sed potest in aliquo casu contingere quod sit damnosum et per consequens irrationabile si deposita reddantur : puta si aliquis petat ad impugnandam patriam. Et hoc tanto magis invenitur deficere quanto magis ad particularia descenditur, puta si dicatur quod deposita sunt reddenda cum tali cautione vel tali modo : quanto enim plures conditiones particulares apponuntur, tanto pluribus modis poterit deficere, ut non sit rectum vel in reddendo vel in non reddendo[1]. »

### § 3. — Immutabilitas.

310. *Mutari* intelligi potest vel *per additionem,* et sic additur legi naturali per legem positivam sive divinam sive humanam : additur quidem legi naturali, non tamen immutatur ipsa lex in se; — vel *per subtractionem,* ita scilicet ut aliquid pertinens ad legem naturalem desinat esse de lege naturæ.

Iterum lex aliqua mutari potest dupliciter : *ab intrinseco,* v. g. elapso tempore determinato, vel si de justa et utili fiat injusta et noxia, aut viceversa : — *ab extrinseco,* per actum legitimæ auctoritatis. Tunc quando totaliter tollitur lex, habetur *abrogatio;* quando vero manente lege partialiter derogatur obligationi legis, est *dispensatio.*

Tandem mutatio vel dispensatio intelligi potest *proprie,* seu formaliter, quando contingit immutari ipsa lex in se vel obligatio legis; *improprie* seu per mutationem materiæ, quatenus id quod erat materia legis desinit esse vel econverso : sic excusantur a furto Israelitæ secum asportantes ex præcepto Dei thesauros Ægyptiorum. Furtum est ablatio rei alienæ; sed Israelitæ non abstulerunt rem alienam sed rem propriam, quia Deus vi supremi sui dominii in eos transtulerat proprietatem et dominium Ægyptiorum.

Hic nobis agendum est, et cum Theologis qui difficultatem præcipue movebant sub hac forma : An Deus dispensare possit circa præcepta legis naturæ? et cum modernis fautoribus Positivismi moralis qui

1. Ar. 4.

tenent legem naturalem esse simpliciter mutabilem secundum principia Evolutionismi. Ideo duplex sequitur solvendum dubium :

**Dubium I^m. An Deus dispensare possit in præceptis legis naturæ?**

311. *Sententiæ.* 1° Pauci antiqui, ut Okhamus, Gerson, Petrus de Alliaco dixerunt Deum posse simpliciter dispensare. 2° Scotus et Scotistæ tenent Deum non posse dispensare in præceptis primæ tabulæ, bene vero in præceptis secundæ tabulæ. Ex eodem capite aliquando S. Thomas[1] excusat factum prophetæ Oseæ[2], juxta sententiam S. Bernardi[3], cujus sententiæ non amplius meminit S. Thomas in Summa Theologica[4]. 3° Quidam Thomistæ respondent cum distinctione quam sub hac forma proponit *Billuart :* « Deus non potest dispensare in lege naturæ, *distinguo :* quoad prima et universalissima præcepta, *concedo;* quoad secundaria præcepta, *subdistinguo :* dispensatione propria, *concedo;* dispensatione impropria, mutando scilicet materiam præcepti, *nego*[5]. » Quæ tamen non omnino videntur ad mentem S. Thomæ. Ideo duplici conclusione dicemus, 1° de facto, quid fecerit Deus, juxta S. Thomam; 2° de jure, quid respondendum sit quæsito.

*Conclusio* 1ª. **Ex S. Thoma : in quibusdam præceptis primariis dispensavit Deus improprie, scilicet mutando materiam præcepti; — in quibusdam vero præceptis secundariis dispensavit proprie.**

*Probatur* 1ª *pars.* Ex S. Thoma, præcepta Decalogi sunt ex præceptis primariis legis naturæ[6]. *Atqui.* Ex S. Thoma, quoad plura præcepta Decalogi Deus dispensavit improprie. *Ergo... et probatur minor a*) quoad homicidium, in Abraham qui jussus est immolare filium suum[7]; *b*) quoad furtum, in Israelitis tempore egressionis ex Ægypto[8]; *c*) quoad fornicationem, in Osea[9] (posset addi : quoad mendacium in Jacob[10], Judith[11], Angelo Tobiæ[12]).

1. 1, d. 45, q. 1, a. 6. Cf. *Malo*, q. 3, a. 1, ad 17.
2. *Oseæ*, I, 2.
3. *De præc. et disp.*
4. 1ª 2æ, q. 94, a. 5, ad 2; 2ª 2æ, q. 154, a. 2, ad 2.
5. *De Matrim. Diss.* V, a. 2, § 1, obj. 1ª.
6. 1ª 2æ, q. 100, a. 11.
7. *Gen.*, XXII, 2.
8. *Exod.*, XI, 2.
9. *Oseæ*, I, 2.
10. *Gen.*, XXVII, 19.
11. *Judith*, XI, 4 ss.
12. *Tobiæ*, V, 18.

*Probatur* 2ª *pars.* Ex S. Thoma, polygamia et divortium prohibentur a præceptis secundariis legis naturæ. *Atqui.* Ex S. Thoma, in utraque dispensavit Deus dispensatione propria. *Ergo... et probatur minor.* Polyandria[1] et fornicatio[2] sunt contra primaria præcepta legis naturæ et ideo simpliciter indispensabilia; polygamia[3] et divortium[4] sunt contra præcepta secundaria et ideo Deus dispensare potuit et de facto dispensavit in antiqua lege : « Si autem lex sit divinitus posita, auctoritate divina dispensatio fieri potest; sicut in veteri lege, ex dispensatione indultum videtur uxores plures habere, et concubinas, et uxoris repudium[5]. » Quæ dispensatio fuit propria, nam impropria dispensatio « non fit communiter ad omnes, sed ad aliquas singulares personas, sicut etiam in miraculis accidit[6] ». Dispensatio autem circa polygamiam et divortium facta est non ad aliquas singulares personas, sed per concessionem generalem et hoc per multa sæcula.

*Conclusio* 2ª. **In præceptis primariis legis naturæ Deus dispensare non potest proprie, sed improprie tantum. — In præceptis secundariis dispensare potest proprie.**

*Probatur* 1ª *pars,* quia essentiæ rerum sunt absolute immutabiles, nec pendent a libera Dei voluntate. *Atqui.* Necessitas præceptorum primariorum est proprietas immediate sequens naturam. *Ergo.* Deus in ea dispensare non potest.

*Probatur* 2ª *pars,* quia in contingentibus necessitas in conclusionibus mediatis non habet eamdem vim ac in principiis.

### Dubium IIm. An lex naturæ ex naturali evolutione mutationem patiatur.

312. Hic iterum agitur de unitate Ethicæ. Ethica, ut jam diximus, n° 24, licet sit formaliter una, quamdam tamen admittit diversitatem in variis hominibus. Obligatio moralis omnes æqualiter afficit, unde Ethica est formaliter una. Variæ tamen sunt obligationes virorum et puerorum et divitum et operariorum, et sic Ethica quamdam admittit diversitatem et mutabilitatem. Ideo duplex excessus est cavendus : Quidam, ut J.-J. Rousseau, naturam hominis considerantes in abs-

1. *Suppl.*, q. 65, a. 1, ad 8.
2. 2ª 2æ, q. 154, a. 2.
3. *Suppl.*, q. 65.
4. *Suppl.*, q. 67.
5. *Cont. Gent.*, l. 3, c. 125.
6. *Suppl.*, q. 67, a. 2.

tracto, non satis attenderunt ad circumstantias concretas in quibus evolvitur vita humana, et ideo tum in ordine morali tum in ordine politico stulte voluerunt universo generi humano imponere suum conceptum de homine abstracto, qui fuit unus ex gravioribus erroribus Revolutionis. Alii, ut Positivistæ et Evolutionistæ ex manifesta immutatione quam notavimus, concludunt legem naturalem esse simpliciter mutabilem.

*Conclusio.* **Lex naturalis est immutabilis ab intrinseco; unde mutari non potest ex naturali evolutione.**

*Probatur.* Lex naturalis est proprietas immediate sequens naturam humanam. *Atqui.* Natura humana est immutabilis. *Ergo.* Et lex naturalis.

Ethica, sicut et Hygienica, non est absolute eadem pro omnibus hominibus, quia homines respicit realiter existentes in concreto, homo vero realiter existens in concreto habet et naturam et accidentia individuantia, quæ, licet varia sint et multiformia, relinquunt ipsam naturam humanam in omnibus hominibus immutatam, naturam dico non metaphysicam sed physicam. Lex vero naturalis comprehendit principia Ethicæ quæ profluunt immediate ex natura humana : « ad legem naturæ pertinet omne illud ad quod homo inclinatur secundum suam naturam[1] ». Ideo sicut natura in omnibus hominibus eadem est, ita et lex naturalis. Facta vero quæ a Positivistis in contrarium adducuntur, sufficienter explicantur ex his quæ diximus de ignorantia (n. 309). Recole dicta de ratione recta (n. 151).

## ARTICULUS VI

### *De fundamento obligationis legis naturalis.*

313. Hæc est secunda pars *Problematis moralis* (n. 145). Quæstio est inter omnes gravissima. Nisi enim statuatur obligationis fundamentum firmum, indubium, inconcussum, ruit ipsa obligatio, ruit ordo moralis, nec amplius stare potest ordo socialis. Inde tot conatus modernorum Philosophorum ut dictum stabiliant fundamentum, qui tamen conatus hucusque incassi fuerunt. Aliquando, manifesta laboris sui sterilitate devicti, impotentiam suam fateri cogentur, nisi forsan, doctrice experientia, senserint quot et quantas calamitates in mundum induxerit affectata ignorantia solius veri fundamenti totius ordinis moralis, quod Deus est.

1. 1ª 2æ, q. 94, a. 3 ; Cf. a. 4 : « Ad legem naturæ pertinent ea ad quæ homo naturaliter inclinatur. »

Duplex est obligatio moralis : naturalis scilicet et positiva, et de utraque movetur quæstio.

De fundamento obligationis positivæ. *Conclusio.* **Obligatio positiva fundatur super obligatione naturali.**

*Probatur.* Obligatio positiva sequitur ex hoc principio : Superiori præcipienti debetur obedientia. *Atqui.* Hoc est unum ex præceptis legis naturalis : considerata enim essentia superioritatis et inferioritatis, statim manifestum est superiori deberi obedientiam. *Ergo.*

314. De fundamento obligationis naturalis. Non agitur hic de *regula* obligationis, cum ipsa lex sit regula, sed de *fundamento* ex quo lex naturalis habet quod sit regula obligans.

*Nota.* In relatione tria sunt : subjectum, terminus et fundamentum. Subjectum est id in quo est relatio, terminus est id ad quod dicit ordinem, fundamentum est causa ex qua exsurgit relatio ipsa. Exemplum : in paternitate, subjectum est persona patris; terminus, persona filii; fundamentum, generatio. Cum obligatio sit quædam relatio, scilicet relatio necessitatis, subjectum ejus erit ipse actus obligatorius vel homo obligatus et terminus erit finis ultimus. Unde quærere de fundamento obligationis est quærere causam ex qua exsurgit talis relatio inter actum et finem ultimum.

Fundamentum hoc distinguitur duplex : *proximum* seu immediatum, et *ultimum* seu supremum.

### I. — De fundamento proximo.

315. *Conclusio.* **Fundamentum proximum obligationis moralis est ordo essentialis rerum.**

*Declaratur.* Ordo essentialis est illa ordinatio quæ existit inter duas vel plures essentias et quidem ratione dictarum essentiarum.

*Probatur.* Fundamentum relationis est causa ex qua exsurgit relatio. *Atqui.* Causa proxima obligationis actus est quia objectum actus essentialiter dicit connexionem necessariam cum fine ultimo, — in quo consistit ordo essentialis rerum. *Ergo.*

*Corollarium.* Ergo sive lex naturalis sive ordo essentialis obligat vere et proprie. Adversus quosdam Catholicos qui dicunt : lex naturalis non facit obligationem sed supponit[1].

*Probatur.* Ordo enim essentialis, licet non agat nisi tanquam causa secunda et dependenter a causa prima, ut dicemus n. 318, tamen est

1. Ita objectio citata apud Suarez, *De Legib.*, l. 2, c. 9, n. 4. Similia habentur apud Liberatore : « ratio in nobis principium est obligationis non gignendæ sed cognoscendæ ». *Instit. Ethicæ*, n. 91.

vere et proprie causa in suo ordine, essentialiter enim causat connexionem necessariam inter actum humanum et finem ultimum. Et ex hoc augetur gloria Dei, quod ipse non ex propria indigentia sed ex superabundanti bonitate voluerit creaturas elevare ad hoc quod participes sint divinæ virtutis. Unde « detrahere perfectioni creaturarum est detrahere perfectioni divinæ virtutis[1] ».

316. *Conclusio* 2ª. **Finis ultimus, licet sit terminus relationis, etiam dici potest fundamentum obligationis.** Non agitur hic de fundamento diverso a præcedente, sed est idem alio modo significatum :

*Probatur.* Obligatio exsurgit ex duplici necessitate, scilicet ex eo quod medium absolute necessarium est ad finem necessarium absolute. *Atqui.* Hæc duplex necessitas includitur in hoc quod dicitur finem ultimum esse fundamentum obligationis. *Ergo.*

*Probatur minor.* Includitur prima necessitas, scilicet finis, quia finis ultimus est simpliciter et absolute et universaliter necessarius ; includitur secunda, quia ut sæpissime ait S. Thomas, ex fine desumitur ratio eorum quæ sunt ad finem. Et ea est proprie ratio quare specialiter in hac relatione, necessitatis scilicet ad finem, idem possit esse simul et terminus et fundamentum relationis.

*Quæres.* An debeat intelligi de fine ultimo objectivo vel formali ? — *Respondeo,* intelligi de fine ultimo sive beatitudine *formali,* cum agatur de propria et necessaria perfectione hominis ; beatitudo vero *objectiva* melius pertinet ad fundamentum ultimum, de quo dicemus modo.

*Objicit Cathrein*[2]. 1° In hoc confundi obligationem cum sanctione : sanctio enim consistit in illo necessario nexu ; sanctio autem obligationem jam ut quid ratione prius supponit, sanctionis scilicet est urgere obligationem. 2° Non potest explicari natura peccati ; in hac enim sententia peccatum ex se esset solum contemptus beatitudinis nostræ, et sic peccatum esset potius malum nostrum quam malum Dei.

*Respondeo. Ad* 1ᵐ. Non confundimus sanctionem cum obligatione, sed retinemus doctrinam S. Thomæ supra expositam, quod « in omnibus honestis utilitas honestati coincidit[3] ». Cf. quæ diximus n. 84 et 159, obj. 4ª ; unde licet coincidant obligatio et sanctio, tamen non confunduntur, quia non considerant eamdem relationem necessitatis sub eodem respectu : obligatio enim in legislatore magis pertinet ad ordinem intentionis et sanctio ad ordinem executionis. — *Ad* 2ᵐ, *dico* daretur quidem præfatum inconveniens si finis ultimus esset unicum fundamentum obligationis ; sed, ut dicemus modo, finis ultimus ita est fundamentum proximum ut essentialiter postulet fundamentum alterum supremum, quod non potest esse nisi Deus, et ideo pec-

1. *Cont. Gent.*, l. 3, c. 69.
2. *Philosophia moralis,* n. 163.
3. 2, d. 21, q. 1, a. 3.

catum proprie est simul et malum hominis et malum Dei, quia « in omnibus honestis utilitas honestati coincidit ».

## II. — De fundamento ultimo.

317. **Errores et Sententiæ.** Duplex hic occurrit adversariorum classis. Ad primam pertinent omnes Acatholici, *Kantius* et *Rationalistæ* omnes, qui volunt obligationem ultimatim fundari extra Deum. Ad alteram multi Catholici qui fundamentum illud reponunt in voluntate divina. Ideo in 1ª conclusione dicemus ultimum fundamentum obligationis esse ipsum Deum seu legem æternam; in 2ª vero dicemus legem æternam quæ est ultimum fundamentum obligationis pertinere non ad divinam voluntatem sed ad divinum intellectum.

318. De primo. **Ratio autonoma.** Rationis autonomæ parens est *Kantius*, cujus systema exponetur in articulo sequenti. Sed præter ejus sequaces, plurimi Acatholici rejiciunt legem æternam, alii quia hæc doctrina theologica est vel mystica, alii quia non subjacet positivæ methodo quam solam admittunt. Ratio igitur humana non admittit superiorem, sibiipsi est lex et sic est supremum obligationis fundamentum.

*Conclusio* 1ª. **Ultimum obligationis fundamentum non est aliud ab ipso Deo, sed est lex æterna.**

*Probatur.* 1° In omnibus causis ordinatis, plus dependet effectus a causa prima quam a causa secunda, quia causa secunda non agit nisi in virtute primæ. *Atqui.* Quod ordo essentialis rerum sit fundamentum obligationis, id habet ex lege æterna. *Ergo.* Lex æterna est obligationis fundamentum.

*Probatur minor.* Ab eodem habet ordo essentialis rerum quod sit et quod sit principium obligationis, ab eodem enim profluit essentia et proprietas immediate sequens essentiam. *Atqui.* Ordo essentialis non est a se, sed est propria derivatio legis æternæ (n. 160). *Ergo.* Etiam a lege æterna accipit quod sit fundamentum obligationis et sic lex æterna est ultimum fundamentum.

2° *confutando rationem autonomam.* *a*) Illud est fundamentum obligationis quod est causa necessariæ connexionis inter actum et finem ultimum. *Atqui.* Ratio humana non est causa necessariæ connexionis inter actum et finem ultimum. *Ergo.* Ratio humana non est ultimum fundamentum obligationis.

*Probatur minor.* Finis enim ultimus non est a ratione sed ab Auctore naturæ (n. 54, Cor. 1ᵐ) et similiter relatio inter media et finem non profluit a ratione, quæ solum cognoscit et non causat eam, sed ab eodem Auctore naturæ.

*b*) Obligatio præsupponit subjectionem ejus qui obligatur ad eum qui obligat[1]. *Atqui.* Persona hominis non subjicitur rationi. *Ergo.* Ratio humana non est ultimum fundamentum obligationis.

*Probatur minor.* Ratio humana potest intelligi dupliciter : vel pro ratione quæ in singulis hominibus existit, et sic falsum est uniuscujusque rationem superiorem esse personæ hominis, pars enim subordinatur ad totum ; vel pro ratione universaliter sumpta, in abstracto, et sic etiam falsum est hominem realem inferiorem esse entitati abstractæ.

*c*) Cum operatio sequatur esse, illud solum potest esse independens in operando quod est independens in essendo. *Atqui.* Ratio humana non est independens in essendo, pendet a Creatore tum quoad essentiam, tum quoad existentiam. *Ergo.* Ratio humana non est independens in operando, non est autonoma sed legem suæ activitatis accipit ab Auctore naturæ, non est supremum obligationis fundamentum.

*Confirmatur.* In Syllabo, prop. 3 : *Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibiipsi est lex.....* Prop. 56 : Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanæ leges ad naturæ jus conformentur, aut *obligandi vim a Deo accipiant.*

*Objiciunt :* Sublata causa, tollitur effectus. *Atqui.* Sublato Deo, non tollitur obligatio : multi enim, etiam ex his qui negant Deum esse, admittunt obligationem moralem. *Ergo.* Obligatio non pendet a Deo.

*Respondeo. Ad majorem.* Sublata causa, tollitur effectus, *distinguo :* in eo ordine secundum quem effectus pendet a causa, *concedo ;* in omni ordine, *nego. Ad minorem.* Sublato Deo, non tollitur obligatio, *distinguo :* Sublata cognitione Dei, non tollitur cognitio obligationis, *concedo ;* sublata existentia Dei, non tollitur existentia obligationis, *nego. Ad consequens.* Ergo obligatio non pendet a Deo, *distinguo :* in ordine cognitionis, *concedo ;* in ordine existentiæ, *nego.*

319. De secundo. **Opiniones**. Deus igitur ipse, seu lex æterna, est ultimum fundamentum obligationis. Sed ulterius, cum in Deo secundum nostrum concipiendi modum distinguatur intellectus et voluntas, quæri potest utrum prædictum fundamentum pertineat ad intellectum divinum vel ad voluntatem divinam.

Tenet *Suarez*[2] legem æternam esse actum divinæ voluntatis *liberæ,*

1. 2ª 2æ, q. 16, a. 1 : « Lex non imponitur ab aliquo domino nisi suis subditis, et ideo præcepta legis *præsupponunt subjectionem* cujuslibet recipientis legem ad eum qui dat legem. »

2. *De Legib.*, l. 2, c. 3. Cf. c. 2, n. 8. *Recole dicta*, n. 298.

talemque sententiam attribuit S. Thomæ[1], sed falsissime. Sæpius enim declarat S. Thomas legem esse ordinationem *rationis*[2], idque explicite affirmat de lege æterna : « Lex æterna nihil aliud est quam *ratio divinæ sapientiæ*, secundum quod est directiva omnium actuum et motionum[3]. » Divina vero sapientia pertinet non ad voluntatem sed ad intellectum divinum. Item, in textu jam pluries citato : « Regula voluntatis humanæ est duplex. Una propinqua et homogenea, scilicet ipsa humana ratio. Alia vero est prima regula, scilicet lex æterna, quæ est quasi ratio Dei[4]. » Ista Suaresii opinio præclare refutata est a *Taparelli*[5]. *Meyer* illud fundamentum reponit in divinæ voluntatis decreto vi rationis hypothetice necessario, controversiamque censet adeo diremptam in hoc sensu ut superfluum sit illam tractare[6]. *Cathrein* etiam reponit illud in divinæ voluntatis decreto, sed omittit determinare utrum in decreto necessario vel libero[7]. Ita plures alii qui tenent in hoc obligationem a moralitate differe quod moralitas ultimatim pendet ab intellectu divino, obligatio vero a voluntate divina (n. 288).

*Conclusio* 2ª. **Lex æterna, quæ est ultimum fundamentum obligationis, non pertinet ad divinam voluntatem sed ad divinum intellectum.** Ita S. Thomas (loc. sup. cit.) et Thomistæ.

*Probatur* 1°. Divinæ voluntatis decretum est vel liberum vel necessarium. *Atqui*. Neutrum potest esse ultimum fundamentum obligationis. *Ergo*. Lex æterna non pertinet ad divinam voluntatem.

1. *De Legib.*, c. 3, n. 3. Cf. l, 1 c. 5.
2. Cf. supra, n. 290.
3. 1ª 2æ, q. 93, a. 1.
4. 1ª 2æ, q. 71, a. 5.
5. *Saggio teoretico di diritto naturale*, § 116. Nec inutile erit referre quid de hac controversia sentiant ipsi Positivistæ : « La critica si assomma in questo : se l'etica e il diritto derivano dal puro et semplice volere divino, è evidente che essi non hanno un fundamento intrinseco e non contengono nessuna necessità, che tutto si reduce al fatto dell' arbitrio, il quale implica contingenza, ossia esprime quello che può anche non essere o che può essere diversamente... Questa critica fatta dal razionalismo al sistema teologico è irrefutabile, ma vale solo per quella forma di questo fonda l'etica sul volere divino. Non vale però riguardo a quelle più perfette forme del sistema che riconducono a Dio il principio del bene e della giustizia. L'ammettere che vi sia un intrinseca giustificazione dell' etica e del diritto non esclude che essi possano riportarsi ad un principio assoluto. Di per sè il razionalismo non è in grado di compiere la critica dell' idea teologica. Per farlo bisogna collocarsi dal punto di vista del positivismo critico..... Dal punto di vista del positivismo critico, che l'etica prenda radice in uno principio assoluto non si afferma, come non si nega; esso non è un problema che la scienza possa risolvere, perchè è un problema metempirico. » I. Vanni, *Lezioni di filosofia di diritto*, p. 4, c. 1, 1°. Ubi tamen nimia levitate difficultatem removet, eo quod sit problema *metempiricum*, id est metaphysicum.
6. *Institut. Juris naturalis*, t. I, n. 257.
7. *Philosophia moralis*, n. 163 et ss.

*Probatur minor quoad* 1^am^ *partem,* sc. decretum liberum non potest esse ultimum fundamentum. *a*) Id quod immediate ac necessario sequitur ex essentia, haud secus ac ipsa essentia, pendet non a voluntate Dei libera, sed a divino intellectu. *Atqui.* Obligatio est proprietas immediate et necessario profluens ex essentia actus humani : procedit enim ex ordine essentiali tanquam principio proximo. *Ergo.* — *b*) Id quod pendet a libera Dei voluntate potest fieri aliter ac fit. *Atqui.* Obligatio præceptorum primariorum legis naturæ est immutabilis. *Ergo.* Non procedit a libera Dei voluntate. — Insuper ista doctrina est ipsemet Positivismus moralis quem impugnavimus n. 140 et contra illam directe valent verba S. Thomæ : « Dicere quod ex simplici voluntate dependeat justitia est dicere quod divina voluntas non procedat secundum ordinem sapientiæ, quod est blasphemum[1]. »

*Probatur minor quoad* 2^am^ *partem,* sc. decretum necessarium non est ultimum fundamentum obligationis. 1° Decretum necessarium habet rationem suæ necessitatis ex determinatione anteriori. *Ergo.* Ultimum fundamentum non est ipsum decretum voluntatis necessarium, sed id ex quo voluntas recipit rationem suæ necessitatis, et hoc est divina sapientia. Ita S. Thomas : « Oportet quod ex hoc primo dependeat ratio justitiæ, ubi primo invenitur ratio regulæ secundum quam æqualitas et rectitudo justitiæ constituitur in rebus. *Atqui.* Voluntas non habet rationem primæ regulæ, sed est regula recta : dirigitur enim per rationem et intellectum, non solum in nobis sed in Deo. *Ergo.* Primum ex quo pendet ratio omnis justitiæ est sapientia divini intellectus, quæ res constituit in debita proportione et ad se invicem et ad suam causam : in qua quidem proportione ratio justitiæ creatæ consistit[2]. »

2° In sententia quam impugnamus, pendet omnis obligatio ab hoc principio : voluntati Dei præcipientis obedire debemus. *Ergo.* Saltem hujus principii obligatio non pendet ultimatim a divina voluntate, quia esset idem causari ab eodem ; unde ultimum fundamentum non pendet a voluntate Dei.

3° In creaturis rationalibus lex naturalis habet rationem legis proprie, quia est participatio formalis legis æternæ : licet enim participetur lex æterna in omnibus creaturis (n. 299), in solis tamen creaturis rationalibus participatur formaliter. *Atqui.* Lex naturalis pertinet ad rationem hominis et non ad voluntatem. *Ergo.* Lex æterna pertinet ad intellectum Dei et non ad voluntatem divinam.

*Respondent adversarii* distinguendo obligationem duplicem. Prior,

1. *Verit.*, q. 26, a. 6.
2. *Ibid.*

quæ dicitur imperfecta, speculativa, hypothetica et quæ consistit in convenientia actus, pendet ab intellectu Dei. Altera quæ dicitur perfecta, absoluta et quæ est obligatio proprie dicta, pendet a divina voluntate. — *Sed contra.* Inopportuna est ista distinctio. Convenientia actus est moralitas et moralitas non est idem ac obligatio. Et licet concedatur moralitatem esse obligationem improprie dictam, non sequitur obligationem proprie dictam ultimatim procedere a divina voluntate. Econtrario, si moralitas, ideo pendet ab intellectu Dei, quia est relatio transcendentalis, ex eodem motivo obligatio quæ est etiam relatio transcendentalis pendere debet a divino intellectu et non a divina voluntate.

Alias Suaresii objectiones exposuimus supra n. 298.

*Corollarium.* Cum lex æterna non sit actus divinæ voluntatis, superfluum est quærere cum Suarez : utrum pertineat ad voluntatem antecedentem vel consequentem, utrum ad voluntatem signi vel beneplaciti.

## ARTICULUS VII

### *De systemate morali Kantii.*

320. I. **Exponitur systema Kantii.** 1° Nihil est simpliciter bonum nisi *bona voluntas.* Voluntas autem posset concipi bona vel ex *parte materiæ* (id est ex parte rei volitæ), vel *ex parte formæ* (id est independenter a materia). — Porro Ethica materialis est impossibilis. Nam lex moralis debet esse universalis. Ethica vero materialis non potest esse universalis, quia Ethica materialis est *a*) vel eudæmonistica, id est bonitatem actionum concludit ex ordine ad felicitatem, sed non omnes habent eamdem felicitatem ; *b*) vel desumitur ex ordine ad quoddam summum bonum, sed hæc opinio contradicit naturali appetitui felicitatis. Ideo voluntas non erit bona nisi ex parte formæ, quæ sola potest esse universalis, et consistit in hoc quod servetur lex propter unicum motivum legis. Unde Ethica debet esse *pura* ab omni experientia, excludere psychologiam, procedere a priori.

2° Istud principium a priori est **Imperium categoricum,** id est *absolutum,* per oppositionem ad hypotheticum, quod esset v. g. : si non vis mendicare in senectute, debes laborare in juventute. Imperativum hypotheticum pertinet ad utilitatem vel ad prudentiam, nullimode ad moralitatem. Unde bona voluntas ea est quæ agit et secundum legem et solum propter legem, id est ex sola *reverentia :* omne aliud motivum esset egoisticum et consequenter moralitatis destructivum. Actus,

si sit conformis legi, erit quidem *legalis,* non tamen moralis nisi procedat ex sola reverentia legis.

5° Istud imperativum categoricum est quid unicum in mundo : imperat alte, clare, absque periculo confusionis. Unde triplici formula exprimitur : *a*) Sic age ut maxima voluntatis tuæ simul semper valere possit ut principium legislationis universalis ; ex qua sequuntur duæ aliæ : *b*) Sic age ut personam humanam habeas tanquam finem et nunquam utaris ea tanquam medio ; *c*) Sic age ut consideres voluntatem tuam ut legislatricem universalem.

4° Unde *duo postulata.* Primum postulatum est *libertas :* absque libertate enim non potest concipi moralitas. In Critica rationis puræ demonstrabatur impossibilitas libertatis et hic ejusdem libertatis asseritur necessitas. Solvitur *antinomia,* quia sola libertas *phenomenalis* est impossibilis, sed datur libertas *noumenalis* quæ determinat operationes phenomenales. Ex libertate sequitur *autonomia* rationis et voluntatis ; supposita enim *heteronomia,* moveremur ex motivo eudæmonistico et egoistico. Unde ratio practica est *nomothetica, sibi lex* et *finis in se.*

5° Secundum postulatum : *Summum bonum,* quod efficere debemus, consistit in unione felicitatis et virtutis, quæ quidem unio in mundo phenomenali inutilis et fere impossibilis est : sed erit in mundo noumenali immortalitas animæ et existentia Dei.

Hoc systema in duobus præcipue differt ab aliis theoriis ethicis : 1° Apud alios auctores a bono proceditur ad obligationem : Kantius exorditur ab obligatione a priori. 2° Ex imperativo categorico existimavit instaurari posse ordinem cognitionis nostræ, quem destruxerat in Critica rationis puræ.

321. II. **Reprobatur.** 1° *falso fundamento nititur :* non negamus imperativum categoricum, quod potest esse vel lex naturalis vel testimonium conscientiæ, sed negamus illud esse clarius vel manifestius quacumque alia re, ita ut ab ipso solo instaurari possit ædificium cognitionis nostræ. Ideo a multis rejicitur ex eo quod exigat fidem cæcam. Unde non potest veram astruere obligationem. Insuper Imperativum categoricum est judicium syntheticum a priori, quod repugnat[1].

2° *Falso asserit : a*) ethicam materialem non esse universalem : sicut in ordine physico universaliter verum est malam esse homini carentiam unius oculi, ita in ordine morali universaliter verum est homicidium esse ex se malum (Cf. n. 28) ; *b*) moralitatem universa-

1. Zigliara, *Summa Phil.*, t. I, L. 19. Hugon, *Logic.*, pp. 124 ss.

lem desumi non posse ex motivo eudæmonistico, eo quod non omnes habent eamdem felicitatem : Econtrario, una est vera felicitas hominis (n. 54 et 58) ex qua ratio recta universaliter judicat de moralitate (n. 151) ; *c*) dari oppositionem inter felicitatem et virtutem, Cf. dicta n. 84 ; *d*) ethicam non juvari a psychologia et heteronomiam repugnare moralitati, Cf. n. 26 ; *e*) rationi esse essentialem autonomiam, Cf. n. 317 ; *f*) hominem esse finem in se, Cf. n. 318 ; *g*) Summum bonum nobis esse efficiendum : tendimus quidem ad summum bonum nostrum sed summum bonum in se, quod est Deus, non est nobis efficiendum ; *h*) sanctionis conceptum repugnare moralitati, Cf. infra n. 327.

3° *Apertas contradictiones involvit : a*) si materia nullimode confert ad moralitatem, undenam dignoscetur *Maximam* esse aptam ut fiat universalis regula ; *b*) quomodo potest ratio practica esse simul nomothetica et quidem categorice, et simul subdita et non raro rebellis? *c*) requiritur libertas ad moralitatem actionum quæ sunt phenomenales : quomodo sufficit libertas noumenalis?

4° Explicare nequit discrimen inter actiones præceptas et non præceptas, cf. n. 288.

5° Inducit pantheismum, si ratio est ens necessarium, absolutum, a se.

322. III. **Alii errores.** 1° *Rationalismus.* Ordo essentialis est quidem fundamentum obligationis, sed utrum ex se et independenter a Deo. Jam respondimus (n. 317) solum Deum esse supremum obligationis fundamentum. Errant igitur rationalistæ omnes qui sistere volunt in ordine essentiali rerum, exclusa lege Dei æterna.

2° *Evolutionismus.* Obligatio procedit ex sanctione tum intrinseca, tum extrinseca (id est ex timore pœnarum). Extrinseca sanctio est triplex : *socialis,* qua fortiores imponunt suam voluntatem ; *civilis,* qua timetur princeps necessarius ordini sociali ; *religiosa,* qua timentur animæ defunctorum. Completa evolutione, non amplius erit obligatio, sed omnes ex delectatione agent bonum. — *Sed contra,* istud systema non tam est explicatio quam destructio obligationis.

3° *Solidaritas.* Homo vivit in societate : hoc est factum certum. Societas est principium omnis boni : unde homo quidquid boni habet, illud debet societati. Et sic explicatur debitum morale obligationis, quia qui plus habet, plus accepit et consequenter plus rependere tenetur. — *Sed contra :* 1° Lex est naturæ quod homo vivat in societate, *concedo ;* sed non omnes leges naturæ inducunt obligationem, v. g. frigus hiemale est lex naturæ, sed non obligatur homo ad non vitandum frigus. 2° Certe homo debet aliquid societati, sed determinare quantitatem istius debiti non adeo facile est. 3° Multi homines æsti-

mant societatem esse male ordinatam ex eo quod ab ipsa plus mali quam boni acceperint : tales non admittunt societatem esse justum fundamentum obligationis.

## ARTICULUS VIII

### *De sanctione legis naturalis.*

323. **Notiones.** *Sancitur* lex quando decernitur sancta, id est inviolabilis, quod fit appositione præmii vel pœnæ.

Sanctio est vel *activa* vel *passiva*. Sanctio *activa* est ipsemet actus legislatoris decernentis legem. Sanctio *passiva* consistit in præmio vel pœnis a legislatore statutis in illos qui vel observant vel transgrediuntur legem. *Pœna* est malum physicum inflictum propter malum morale; *præmium* est bonum physicum concessum propter bonum morale.

Sanctio passiva integratur ex duplici respectu, scilicet ex respectu *præventivo* et respectu *retributivo*, pro duplici momento vel modo sub quo considerari potest ejus influxus : sub respectu *præventivo* consideratur, quando ante actus positionem, ope promissionis vel minarum inducit hominem ad servandam legem[1]; sub respectu *retributivo*, quando post factum retribuitur præmium vel pœna bene vel male agentibus. Unde sanctionis scopus est ut lex servetur. « Legislatores per præmia et pœnas observantiam legis inducunt[2]. »

324. **Divisiones.** 1° Ex parte *originis*, distinguitur sanctio *interna* et sanctio *externa*. Sanctio *interna* procedit naturaliter et ipso facto ex ipsa actione, v. g. indispositio corporalis ex ebrietate; sanctio *externa* provenit a causa extrinseca, v. g. quando ebriosus a judice punitur mulcta.

2° Ex parte *effectus*, *a*) sub respectu *præventivo*, distinguitur sanctio *sufficiens* vel *insufficiens* ad inducendum, prout præmium vel pœna habet ex se aut non habet vim efficaciter movendi; *b*) sub respectu *retributivo*, distinguitur sanctio *perfecta* vel *imperfecta*, prout retribuitur secundum debitum justitiæ vel non secundum debitum.

325. *Conclusio* 1ª. **Lex naturalis necessario includit divinam sanctionem.**

*Probatur*. 1° *ex ordine essentiali rerum*. Ubicumque est debitus ordo

1. « Non enim pœnæ sunt ad correctionem solum quando infliguntur, sed etiam quando determinantur. » *Suppl.*, q. 99, a. 1, ad 3.

2. *Cont. Gent.*, l. 3, c. 140. Cf. 1ª 2æ, q. 92, a. 2 : « Id per quod inducit lex ad hoc quod sibi obediatur, est timor pœnæ. »

ad finem, oportet quod ordo ille ad finem ducat, recessus autem ab ordine finem excludat. *Atqui.* Ex justa Dei dispositione actus humani essentialiter ordinantur ad finem boni. *Ergo.* Oportet quod incedentes per illum ordinem consequantur finem boni, quod est præmiari; recedentes autem ab illo ordine per peccatum a fine boni excludi quod est puniri[1]. — *Confirmatur,* comparando ordinem moralem cum ordine physico, nam sicut res naturales ordini divinæ providentiæ subduntur, ita et actus humani : Utrobique convenit debitum ordinem servari vel etiam prætermitti; hoc tamen interest quod observatio vel transgressio debiti ordinis est in potestate humanæ voluntatis constituta, non autem in potestate naturalium rerum est quod a debito ordine deficiant vel ipsum sequantur. *Atqui.* Oportet effectus causis per convenientiam respondere. *Ergo.* Sicut in rebus naturalibus, quum in eis debitus ordo naturalium principiorum et actionum servatur, sequitur ex necessitate naturæ conservatio et bonum in ipsis, corruptio autem et malum, cum a debito et naturali ordine receditur; ita etiam in rebus humanis oportet quod, cum homo voluntarie servat ordinem legis divinitus impositæ, consequatur bonum non velut ex necessitate, sed ex dispensatione gubernantis, quod est præmiari, et e converso malum, cum ordo legis fuerit prætermissus, et hoc est puniri[2].

2° *ex respectu præventivo.* Ideo legislator leges condit ut a subditis serventur. *Atqui.* Deus est sapientissimus et providentissimus. *Ergo.* Efficaciter inducit homines ad observantiam legis. *Subsumo, Atqui.* Hoc fit per præmia et pœnas. *Ergo..... Minor subsumpta probatur :* « Divina providentia non solum disponit rerum ordinem, sed etiam movet omnia ad ordinis ab ea dispositi executionem. Voluntas autem a suo objecto movetur quod est bonum vel malum. Ad divinam igitur providentiam pertinet quod hominibus bona proponat in præmium ut voluntas ad recte volendum moveatur, et mala proponat in pœnam ad hoc quod inordinationem vitet[3]. »

3° *ex respectu retributivo.* Homines ab invicem discriminantur actibus suis, quibus competit et imputabilitas et meritum vel demeritum. *Atqui.* Sanctitas divina exigit ut discrimen resultans ex imputabilitate actuum humanorum servetur, et justitia divina exigit ut præmium merito, pœna demerito tribuatur. *Ergo.*

326. *Conclusio* 2ª, specialiter de pœna : **Peccatum inducit reatum pœnæ** (1ª 2æ, q. 87, a. 1 et *Cont. Gent.*, l. 3, c. 140).

1. *Cont. Gent.*, l. 3, c. 140.
2. *Ibid.*
3. *Ibid.*

*Probatur.* 1° Quidquid contra ordinem aliquem insurgit, consequens est ut ab eo ordine et principe ordinis deprimatur. *Atqui.* Cum peccatum sit actus inordinatus, manifestum est quod quicumque peccat, contra aliquem ordinem agit. *Ergo.* Ab ipso ordine consequens est quod deprimatur, quæ quidem depressio pœna est. *Subsumo, Atqui.* Secundum tres ordines subditur humana voluntas. *Ergo.* Triplici pœna potest homo puniri.

*Probatur major.* Ex rebus naturalibus ad res humanas derivatur ut id quod contra aliquid insurgit ab eo detrimentum patiatur : videmus enim vulneratam arborem statim omnes vires suas colligere ad superandum malum; manifestius adhuc animalia ad repellandam agressionem impetunt; unde in hominibus hoc ex naturali inclinatione invenitur ut unusquisque deprimat eum qui contra ipsum insurgit. *Atqui.* Manifestum est quod quæcumque continentur sub aliquo ordine sunt quodammodo unum in ordine ad principium ordinis. *Ergo...*

*Declaratur minor subsumpta.* Primo quidem subditur humana natura ordini propriæ rationis; secundo ordini exterioris hominis gubernantis vel spiritualiter, vel temporaliter, politice seu œconomice; tertio subditur universali ordini divini regiminis. Quilibet autem horum ordinum per peccatum pervertitur, dum ille qui peccat, agit et contra rationem et contra legem humanam et contra legem divinam.

*Declaratur ultimum consequens.* Unde triplicem pœnam incurrit : unam quidem a seipso, quæ est conscientiæ remorsus; aliam vero ab homine; tertiam vero a Deo.

*Nota.* In hac profunda ratione tradit S. Thomas principium fundamentale totius philosophiæ juris pœnalis. Nihil igitur novi invenerunt moderni quando dixerunt justitiam pœnalem esse naturalem reactionem ordinis socialis adversus delictum. Deficiunt tamen a doctrina S. Thomæ in hoc quod sistunt in ordine sociali, id est in secundo ordine, nec assurgere norunt usque ad supremum ordinem, scilicet ad universalem ordinem divini regiminis, unde manca remanet eorum doctrina.

*Corollarium.* Ergo pœna non pendet ab arbitraria Dei voluntate, sed est naturalis sequela peccati. Sicut enim qui prosequitur viam Ostiensem naturaliter perveniet Ostiam et non Tusculum, sic malum culpæ naturaliter perducit ad malum pœnæ et hoc ex ordine essentiali rerum. Et sic evanescunt plurimæ ex difficultatibus quæ adversus justitiam divinam, utpote crudeliorem, moveri solent[1].

1. 2, d. 37, q. 3, a. 2, ad 3 : « Sicut præmium est ordinativum meriti, ita et pœna est

2° *ex eo quod ad perfectam Dei bonitatem pertinet quod nihil inordinatum in rebus relinquat.* In rebus naturalibus videmus contingere quod omne malum sub ordine alicujus boni concluditur, sic corruptio unius est generatio alterius et occisio ovis est pastus lupi; et ratio est quia ad perfectam Dei bonitatem pertinet quod nihil inordinatum in rebus relinquat. *Atqui.* Actus humani divinæ providentiæ subduntur sicut et res naturales. *Ergo.* Oportet malum quod accidit in malis actibus sub ordine alicujus boni concludi. *Subsumo, Atqui.* Hoc convenientissime fit per hoc quod peccata puniuntur : sic enim sub ordine justitiæ comprehenduntur. *Ergo.* Oportet quod peccata humana puniantur divinitus.

*Declaratur minor subsumpta,* scilicet quomodo per punitionem reducantur peccata ad ordinem justitiæ : Justitia ad æqualitatem reducit ea quæ debitam quantitatem excedunt. *Atqui. a*) Excedit homo debitum suæ quantitatis gradum, dum voluntatem suam divinæ voluntati præfert, satisfaciendo ei contra ordinem Dei; et *b*) hæc inæqualitas tollitur, dum contra voluntatem suam homo aliquid pati cogitur secundum ordinationem Dei. *Ergo...* Unde « quod recedere videtur a divina voluntate secundum unum ordinem relabitur in ipsam secundum alium. Sicut peccator qui quantum in se est recedit a divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis dum per ejus justitiam punitur[1] ». Et « divina intentio non frustratur, nec in his qui peccant, nec in his qui salvantur. Utrorumque enim eventum Deus præcognoscit, et ex utroque habet gloriam, dum hos ex sua bonitate salvat, illos ex sua justitia punit[2] ».

*Objiciunt* 1°. Deus peccato non læditur, ergo non debet exigere pœnam pro peccato.

*Respondeo.* Deus non læditur in propria persona, *concedo;* in opere suo, id est in ordine essentiali rerum, *nego.* Et cum sit infinite sapiens et justus, nihil inordinatum tolerare debet : ideo inordinatio peccati exigit ordinis restitutionem per pœnam. « Peccator peccando Deo

ordinativa culpæ. Unde utrumque, sc. præmium et pœna quamdam bonitatem habet ex hoc quod ordinatum est. » Deus igitur non est crudelis, nam « pœnæ inferuntur a Deo non propter se, quasi Deus in ipsis delectetur, sed propter aliud, sc. propter ordinem imponendum creaturis, in quo bonum universi consistit ». *Cont. Gent.*, l. 3, c. 144. Unde pœna, licet secundum quid malum, est simpliciter bonum, et sic est volita a Deo. *Malo*, q. 1, a. 1, ad 18 : « Pœna, in quantum est pœna, est malum alicujus; in quantum est justa, est bonum simpliciter », et a. 3, ad 10 : « non enim in puniendo intendit Deus malum ejus qui punitur, sed ordinem suæ justitiæ imprimere rebus. ad quod sequitur malum hujus qui punitur ». Ideo fatendum est pœnam esse naturalem et necessariam reactionem ordinis contra inordinationem.

1. 1, q. 19, a. 6.

2. 1, q. 63, a. 7, ad 2.

nihil nocere potest effective, tamen ex parte sua dupliciter contra Deum agit. Primo quidem, in quantum eum in suis mandatis contemnit. Secundo, in quantum nocumentum aliquod infert alicui vel sibi vel alteri, quod ad Deum pertinet : prout ille cui nocumentum infertur sub Dei providentia et tutela continetur[1]. »

*Objiciunt* 2°. Pœna, cum sit malum physicum, non potest restituere ordinem moralem : nulla enim datur relatio inter malum physicum et legem moralem. Sicut si homo habens crus ligneum, dolorem pateretur in altero crure, insipienter adhiberetur remedium circa crus ligneum. Unde malum physicum, nedum corrigat malum morale, superaddit alterum malum, et tunc jam sunt duo mala.

*Respondeo.* Uterque ordo, scilicet et physicus et moralis est pars ordinis universalis et ex hac dependentia aptum est malum physicum ad reparationem ordinis moralis læsi per peccatum.

*Objiciunt* 3°. Pœna non reparat ordinem justitiæ : Contra justitiam est quod puniatur innocens pro reo. *Atqui.* Peccati rea est voluntas, pœna vero physica afficit non voluntatem sed sensibilitatem. *Ergo.* Pœnam infligens sensibilitati pro voluntatis peccato æque injuste agit ac Lacedemonenses, cum flagellarent servos ad correctionem juvenum liberorum.

*Respondeo.* 1° Non omnis pœna afficit sensibilitatem, sic privatio beatitudinis directe afficit voluntatem ; 2° etiam pœna sensibilis afficit voluntatem quæ unitur sensibilitati in unitate suppositi, unde sicut voluntas movet membra corporis, ita etiam voluntas patitur dolorem corporis.

*Objiciunt.* 4° Voluntas, cum sit creata ad bonum, jus strictum habet ad felicitatem.

*Respondeo.* Si adhibeat media convenientia, *concedo;* secus, *nego.*

*Objiciunt.* 5° Debilium est et insipientium velle vindicare injurias quas vir fortis et sapiens contemnit. Deus vero fortissimus et optimus et sapientissimus sibi derogat, vindictam exigendo ab hominibus quos habere videtur ut pares.

*Respondeo.* Debilium et insipientium est appetitus vindictæ, *distinguo :* appetitus inordinatus, *concedo :* ordinatus, *nego.* Princeps enim non sibi derogat exigendo vindictam pro reparatione læsi ordinis socialis, nec ex illa repetitione constituit subditos æquales sibi.

327. *Conclusio* 3ª. **Sanctionis conceptus non nocet moralitati.** Adversus *Kantium,* qui docet actum humanum non esse bonum

1. 1ª 2æ, q. 47, a. 1, ad 1. Cf. 2, d. 42, q. 2, a. 2, q. cl. 2, ad 1 : « Non dicitur homo in Deum peccare quod Deum in aliquo lædat, sed quia Deo subtrahit quod ei debet, et quantum in ipso est, ejus gloriam minuit, quamvis hoc facere non possit. »

nisi fiat ex solo motivo legis, ideoque ex qualicumque inclinatione egoistica destrui moralitatem.

*Probatur.* Bonum agere propter præmium, malumque propter pœnam vitare, dupliciter contingere potest : 1° ita ut præmium vel pœna sit unicum motivum actus absque ullo respectu ad rationem boni vel mali; 2° ita ut homo agens utatur spe præmii ad efficacius prosequendum bonum vel timore pœnæ ad efficacius vitandum malum. *Atqui.* Primus quidem modus agendi deordinatus est, non vero secundus : nam primus pervertit ordinem, cum medium accipiatur ut finis et vice versa; secundus vero conformat se ordini intento a legislatore, qui sanctionem apposuit ut medium ad efficaciter urgendam legis obligationem. *Ergo.*

*Confirmatur,* ex universali praxi in educandis pueris. « Maxime erudiunt pueros per delectationem et tristitiam. Volentes enim eos provocare ad bonum et revocare a malo, bene agentes eos student delectare, puta aliquibus munusculis, male autem agentes contristant, puta verberibus[1]. » Ratio est quia « delectationes augent operationes[2] ». Sic igitur ex delectatione superaddita conantur parentes et magistri assuefacere pueros ad operationem virtutis, ut tandem adepta virtute possint ex propria virtutis delectatione operari bonum virtutis.

*Corollarium.* Immerito igitur dicunt Ethicam Kantianam perfectiorem esse Ethica Christiana, quæ tenet pendere moralitatem a timore inferni vel spe Paradisi. — *Probatur.* 1° quia Ethica Christiana non docet moralitatem pendere a timore vel spe; 2° quia systema Kantianum renuit admittere ordinem essentialem rerum, de quo diximus. Porro ad Ethicam pertinet non corrigere naturam humanam, sed accipere naturam prout de facto existit, humanasque actiones dirigere ut sint humanæ naturæ conformes[3].

1. *In* 10 *Ethic.*, l. 1.

2. *Ibid.*, l. 7.

3. « Quand je les entends reprocher à la morale chrétienne d'amoindrir la vertu et d'en faire un marché, ah! je vous l'avoue, la patience m'échappe et je ne résiste plus au besoin de rappeler ces messieurs à la pudeur! Quoi? leur dirai-je : c'est vous qui allez défendre contre l'Évangile la dignité de la conscience humaine? Jésus a dit un jour cette parole que jusqu'ici on avait cru fière et qui avait inspiré de sublimes actions : *Ne craignez pas ceux qui peuvent tuer le corps, mais qui après cela n'ont plus de mal à vous faire. Je vais vous montrer qui vous devez craindre. Craignez celui qui après avoir tué le corps peut jeter l'âme en enfer. Oui, je vous le dis, craignez celui-là.* (*Luc*, XII, 4, 5.) Sur la foi de cette parole on avait vu des femmes, des enfants, des vierges de quinze ans résister aux proconsuls, refuser l'encens aux idoles, en présence des bûchers allumés et de l'appareil des supplices. On avait pris cela pour de l'héroïsme. Erreur! Ces réfractaires de l'apostasie n'étaient que des joueurs. Ils jouaient sur la félicité, et pour lever le titre du Paradis, ils payaient la différence du martyre. Vit-on jamais plus basse conduite, déguisée sous de plus honorables dehors? Oh! parlez-nous des modernes moralistes! Ce ne sont pas eux qui

328. *Conclusio* 4ª. **Existit jam in hac vita sanctio quædam legis naturalis, — sed imperfecta.**

*Probatur* 1ª *pars.* *a*) De præmio diximus supra, de beatitudine, ubi demonstratur veram felicitatem hujus vitæ consistere in virtute (n. 84). — *b*) De pœna, *probatur experientia :* Culpam enim sæpius sequuntur remorsus conscientiæ, dolor in anima, ægritudo in corpore; quæ mala naturaliter ex peccato profluentia dicuntur nunc justitia immanens. Sap. XI, 17 : *Per quæ peccat quis, per hoc et torquetur.*

Phænomenon morale *remorsus,* cujus existentia negari non potest : « Jussisti, Domine, et sic est, ut omnis animus inordinatus pœna sit suipsius[1] », a S. Thoma sic describitur : « Si non sit possibile quod homo pravus simul tristetur et delectetur, tamen parum post delectationem tristatur de hoc ipso quod delectatus est, et vellet quod hujusmodi delectabilia non recepisset. Homines enim pravi replentur pœnitentia, quia videlicet impetu malitiæ vel passionis cessante quo mala faciunt, secundum rationem cognoscunt se mala egisse et dolent[2]. » Ad explicandum quomodo vertatur delectatio in tristitiam, appellat Darwin ad colluctationem sensus altruistici cum egotismo, quæ tamen nihil explicat. Standum igitur explicationi traditionali quæ remorsum conscientiæ accipit tanquam vocem naturæ repugnantis malo morali suo modo, sicut dolor sensibilis testis est mali physici in corpore.

*Probatur* 2ª *pars.* Illa sanctio est imperfecta quæ *a*) non sufficienter inducit ad legis observantiam, et *b*) non retribuit unicuique secundum justitiam. *Atqui.* Ita est de sanctione hujus vitæ. *Ergo... et probatur minor, a*) *sub respectu præventivo,* sola sanctio hujus vitæ esset inductivum insufficiens, nam 1° aliquando ipsam vitam periculo tenemur exponere, et tunc fulciri debet obligatio moralis super sanctionem quæ sit ipsa vita præstantior; 2° tot sunt seductiones in hac vita ut facile possit obtenebrari judicium rationis, ad quas superandas requiritur sanctio quæ sit supra omnia bona præsentis vitæ; *b*) *sub respectu*

réduiraient la vertu à de vils calculs! Ils aiment mieux nous la montrer sortant des bas-fonds de l'animalité, par une génération spontanée, comme les abeilles de Virgile naissaient de la pourriture. La tempérance, la chasteté, la justice, la pitié, le dévouement, tout cela ce sont des appétits épurés par la sélection naturelle et par le frottement des égoïsmes. Qu'on ne nous parle plus de peines ou de récompenses. Cela nous gâterait notre idéal. Des raffinés comme nous peuvent bien cousiner avec les singes; ils ne sauraient, sans déroger, fraterniser avec les martyrs. » D'Hulst, *Confér. de N.-D.* 1891, p. 195. Ex eodem motivo tentaverunt quidam recentiores publicistæ anticlericales vilipendere, utpote egoismo infectas, curas maternas religiosarum erga pauperes et infirmos, sed hucusque pauperibus non placuit illo egoismo privari.

1. S. August., *Conf.*, l. 1, c. 1.
2. *In* 9 *Ethic.*, l. 4.

*retributivo,* sola sanctio hujus vitæ non esset retributio justa, nam ut experientia constat, non distribuuntur in hac vita bona et mala ad æqualitatem, juxta meritum uniuscujusque.

329. *Conclusio* 5ª. **Perfecta legis naturalis sanctio habetur in vita futura.**

*Probatur.* Exigit divina sapientia perfectam legis naturalis sanctionem fideliter observari. *Atqui.* Perfecta sanctio non habetur in hac vita. *Ergo.* Habebitur in vita futura.

*Corollarium.* Inde desumitur argumentum in Psychologia ad demonstrandam immortalitatem animæ.

330. *Conclusio* 6ª. **Perfecta legis naturalis sanctio consistit in finis ultimi consecutione vel amissione.**

*Probatur.* 1° Lex naturalis indicat viam rectam ad finem ultimum : « Lex dirigit sicut ostendens qualis debeat esse actus proportionatus fini ultimo [1]. » *Atqui.* Qui sequitur viam, pervenit ad terminum; qui recedit a via, deficit a termino. *Ergo.*

2° Materia non consequitur formam, nisi fuerit disposita convenienter. *Atqui.* Finis et bonum est perfectio voluntatis, sicut forma est perfectio materiæ. *Ergo.* Voluntas non consequetur finem ultimum, nisi fuerit disposita convenienter. *Subsumo, Atqui.* Disponitur voluntas ad finem per intentionem et desiderium finis. *Ergo.* Non consequetur finem ille cujus intentio a fine avertitur.

331. *Conclusio* 7ª. **Huic tamen privationi finis ultimi convenienter additur experientia alicujus nocivi.** Et sic ostenditur doctrinam catholicam de pœnis inferni non esse contra rationem.

*Probatur.* 1° *Ex analogia ad sanctionem naturalem.* Qui mediis inordinate utitur, non solum fine privatur, sed etiam aliud nocumentum incurrit : ut patet in cibo inordinate assumpto, qui non solum sanitatem non affert, sed etiam ægritudinem inducit. *Atqui.* Qui in rebus creatis finem constituit, mediis inordinate utitur, quia non refert ea ad ultimum finem. *Ergo.* Non solum debet puniri per hoc quod fine careat, sed etiam per hoc quod aliquod nocumentum ab ipsis experiatur.

2° *Ex respectu præventivo.* Perfecta sanctio debet efficaciter inducere ad obediendum legi. *Atqui.* Ut sit efficax inductio, oportet privationi finis addi aliquam pœnam, pro illis scilicet qui non timent exclusionem ab ultimo fine. *Ergo... et probatur minor.* Nullus timet amittere quod non desiderat adipisci. *Atqui.* Qui habent voluntatem aversam a

1. 2, d. 41, q. 1, a. 1, ad 4.

fine ultimo non timent excludi ab illo. *Ergo.* Non revocarentur efficaciter a peccato per solam exclusionem a fine ultimo.

3° *Ex respectu retributivo.* Pœna debet respondere culpæ proportionaliter. *Atqui.* In culpa sunt duo : aversio a vero fine ultimo et indebita conversio ad creaturas tanquam ad finem ultimum. *Ergo.* Sicut aversioni respondet privatio finis ultimi, conversioni respondere debet nocumentum ex creaturis [1].

332. *Conclusio* 8ª. **Præmia et pœnæ alterius vitæ non erunt pro omnibus æqualia** (*Cont. Gent.*, l. 3, c. 141-143).

*Probatur.* 1° *Ex diversa dispositione singulorum.* Sicut per dispositiones naturales aliquid disponitur ad formam, ita per opera bona et mala aliquis disponitur ad pœnas et præmia. *Atqui.* Hoc habet ordo quem divina providentia statuit in rebus quod magis disposita perfectiorem formam consequuntur. *Ergo.* Secundum diversitatem bonorum operum vel malorum, oportet quod sit diversitas pœnarum et præmiorum.

2° *Ex respectu præventivo.* Præmia et pœnæ a legislatore proponuntur ut homines a malis ad bona trahantur. *Atqui.* Oportet homines non solum trahi ad bona et retrahi a malis, sed etiam bonos allici ad meliora et malos retrahi a pejoribus, — quod non fieret si præmia et pœnæ essent æqualia. *Ergo.* Oportet et pœnas et præmia inæqualia esse.

3° *Ex respectu retributivo.* Talis est æqualitas distributivæ justitiæ ut inæqualia inæqualibus reddantur. *Atqui.* Merita et demerita non sunt in omnibus æqualia : contingit enim excessum esse in operibus bonis et malis *dupliciter :* uno modo secundum *numerum,* prout unus alio habet opera plura bona vel mala; alio modo, secundum *qualitatem* operum, prout unus alio vel melius vel pejus opus habet. *Ergo.* Oportet quod et excessui qui est secundum *numerum* operum respondeat excessus præmiorum vel pœnarum : alias non fieret recompensatio in divino judicio pro omnibus quæ quis agit, si aliqua mala remanerent impunita et aliqua bona irremunerata; et pari ratione excessui qui est secundum *inæqualitatem* operum inæqualitas præmiorum et pœnarum respondet.

333. *Conclusio* 9ª. **Præmia et pœnæ alterius vitae erunt æterna** (1ª 2æ, q. 87, a. 3 et *Cont. Gent.*, l. 3, c. 143 et 144). Demonstrabatur supra n. 19, beatitudinem esse essentialiter inamissibilem, ideo hic agitur principaliter de æternitate pœnarum, quam docet fides catholica et quam impugnant multi hodierni rationalistæ.

1. *Cont. Gent.*, l. 3, c. 145.

*Probatur.* 1° Eadem justitiæ ratione pœna peccatis redditur et bonis actibus præmium. *Atqui.* Præmium virtutis est beatitudo, quæ quidem est æterna. *Ergo.* Et pœna qua quis a beatitudine excluditur debet esse æterna.

2° *Ex respectu præventivo.* Pœna enim mere temporalis non esset sufficiens inductivum ad vitandum peccatum, ut scribit S. Hieronymus adversus Origenistas, qui negabant æternitatem pœnarum : « Finge quoslibet annos et tempora duplica et infinitas ætates congere cruciatibus : si finis omnium similis est, præteritum omne pro nihilo est ; quia non quærimus quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri sumus [1] ».

3° *Ex respectu retributivo.* Cum contra culpæ deordinationem ordinetur pœna, impossibile est, quamdiu manet culpa, cessare pœnam. *Atqui.* Talis conditionis est culpæ mortalis deordinatio ut *a*) durante vita absque gratia Dei reparari non possit, et *b*) post mortem absolute irreparabilis sit. *Ergo.* Culpæ mortali debetur pœna æterna.

*In minoris 1ª parte,* duo sunt : Culpæ mortalis deordinatio I) non potest reparari solis viribus hominis, II) etsi reparari possit virtute Dei, *quod utrumque declaratur* exemplo hominis qui solus cadit in puteum, inde vero non potest retrahi nisi auxilio alterius. — *Minor quoad Iᵐ membrum probatur :* Defectus quo subtrahitur principium irreparabilis est, non sic defectus circa media : sicut si corrumpatur principium visivum, non potest « fieri visionis reparatio, nisi sola virtute divina ; si vero salvo principio visivo aliqua impedimenta adveniant visioni, reparari possunt per naturam vel per artem [2] ». Item « qui errant circa principia revocari non possunt per aliqua certiora, sicut revocatur homo ab errore qui est circa conclusiones[3]. » *Atqui.* Per peccatum mortale subtrahitur principium ordinis quo voluntas hominis subditur Deo (*quod probatur :* Cujuslibet ordinis est aliquod principium per quod aliquis fit particeps illius ordinis. *Atqui.* Principium ordinis moralis est finis ultimus. *Ergo.* Peccatum quod avertit a fine ultimo inducit defectum irreparabilem). *Ergo.* Peccatum mortale est irreparabile solis viribus hominis. — *Quoad IIᵐ membrum probatur ex differentia naturæ humanæ cum natura Angelica :* Angelus est intellectualis naturæ, ideo sicut uno simplici intuitu cognoscit verum, ita unico actu voluntatis assequitur finem ultimum eique immobiliter inhæret. Homo vero est rationalis naturæ, et ideo sicut non attingit verum nisi mediante discursu ita non pervenit ad finem ultimum nisi mediantibus multis actibus,

1. *In Jonam*, III.
2. 1ª 2æ, q. 87, a. 3.
3. *Cont. Gent.*, l. 4, c. 59.

in quorum decursu, si contingat ipsum labi in peccatum mortale, ex hoc quidem privabitur potentia activa ad resurgendum, remanet tamen potentia passiva qua scilicet a Deo reparari possit : hujus potentiæ passivæ « signa sunt desiderium de bono et dolor de malo, quæ adhuc in homine remanent post peccatum[1] ».

*Minoris* vero *2ª pars probatur* argumento supra exposito n. 78.

*Objiciunt* 1°. Justa pœna proportionari debet delicto. *Atqui.* Nulla datur proportio inter delictum brevissimo tempore commissum et pœnam æternam. *Ergo.*

*Respondeo. Distinguo majorem,* debet proportionari in duratione, *nego :* « Sicut Augustinus dicit in nullo judicio requiritur ut pœna adæquetur culpæ secundum durationem : non enim quia adulterium vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea pœna punitur, sed quandoque quidem perpetuo carcere, vel exilio, quandoque etiam morte, in qua non consideratur occisionis mora, sed potius quod in perpetuum auferatur a societate viventium, et sic repræsentat suo modo æternitatem pœnæ inflictæ divinitus. » Imo recte dici posset pœnam æternam proportionari peccato mortali etiam in duratione, quia pœna non potest cessare, manente deordinatione peccati, peccati autem mortalis deordinatio est de se irreparabilis. « Justum tamen est secundum Gregorium quod qui in suo æterno peccavit contra Deum, in æterno Dei puniatur. Dicitur autem aliquis in suo æterno peccasse, non solum secundum continuationem actus in tota hominis vita durantis, sed quia ex hoc ipso quod finem in peccato constituit, voluntatem habet in æternum peccandi. Unde dicit Gregorius quod iniqui voluissent sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere[2]. »

*Objiciunt* 2°. Adeo atrox pœna sapit crudelitatem ex parte Dei.

*Respondeo.* Negative, nam « Deus non delectatur in pœnis propter ipsas, sed delectatur in ordine suæ justitiæ, quæ hoc requirit[3] ».

*Instant.* Saltem non conciliatur cum infinita Dei misericordia.

*Respondeo.* In Deo non datur oppositio inter infinitam misericordiam et infinitam justitiam.

*Instant iterum.* Saltem potuisset Deus punire pœna annihilationis.

*Respondeo.* « Licet Deus de justitia creaturæ contra se peccanti posset esse subtrahere et eam in nihilum dirigere, tamen convenientior justitia est ut eam in esse reservet ad pœnam. Et hoc propter duo. *Primo* quia illa justitia non haberet aliquid misericordiæ admixtum,

1. *Cont. Gent.*, l. 3, c. 156.
2. 1ª 2æ, q. 87, a. 3, ad 1.
3. *Ibid.*, ad 3.

cum nihil remaneret cui posset misericordia adhiberi; dicitur autem in Psal. 24 quod universæ viæ Domini misericordia et veritas. *Secundo,* quia ista justitia congruentius respondet culpæ in duobus. In uno quidem, quia in culpa voluntas contra Deum agit, non autem natura quæ ordinem sibi a Deo inditum servat; et ideo talis debet esse pœna, quæ voluntatem affligat naturæ nocendo qua voluntas abutitur. Si autem creatura omnino in nihilum redigeretur, esset tantum nocumentum naturæ et non afflictio voluntatis. In altero vero, quia cum in peccato duo sint, scilicet aversio ab incommutabili bono et conversio ad commutabile bonum, conversio post se aversionem trahit : nullus enim peccans intendit a Deo averti, sed quærit frui temporali bono, cum quo simul Deo frui non potest. Unde cum pœna damni aversioni culpæ respondeat, conversioni vero ejus pœna sensus pro actuali culpa, conveniens est ut pœna damni non sit sine pœna sensus. Si autem in nihilum creatura redigeretur, esset quidem pœna damni æterna, sed non remaneret pœna sensus [1] ».

*Objiciunt* 3°. Finis pœnæ est emendare delinquentem. *Atqui.* Pœna æterna non emendat. *Ergo.*

*Respondeo. Distinguo majorem :* Finis secundarius, *concedo;* finis unicus, *nego.* Imo, nec est finis principalis, nam pœna principaliter ordinatur ad reparandum ordinem læsum per peccatum.

## ARTICULUS IX

### *De lege Dei positiva* (1ª 2æ, q. 91, a. 4).

334. Per legem Dei positivam intelligitur hic legem illam quam Deus ex libera sua voluntate per positivam determinationem hominibus indixit. In præsenti œconomia lex illa per supernaturalem revelationem promulgata est. De revelationis necessitate et convenientia agitur in Apologetica; hic directe movetur quæstio de veritatibus revelatis quoad directionem humanæ vitæ.

*Conclusio* 1ª. **In præsenti statu elevationis ad ordinem supernaturalem, absolute necessaria fuit lex divina positiva circa præcepta ad vitam supernaturalem spectantia.**

*Probatur.* De facto, ex speciali Dei gratia, ordinatur homo ad finem excedentem vires naturæ. *Atqui.* Ad talem finem prorsus impar est directio legis naturalis. *Ergo.* Absolute necessaria est legis positivæ directio.

1. *Pot.*, q. 5, a. 4, ad 6.

*Conclusio* 2ª. **Etiam quoad præcepta ad ordinem naturalem spectantia, moraliter necessaria fuit lex divina positiva, quæ suppleret legis humanæ insufficientiam.**

*Probatur.* 1° *ut tollatur omnis dubitatio.* Propter incertitudinem humani judicii, præcipue de rebus contingentibus et particularibus, contingit de actibus humanis esse diversorum diversa judicia, ex quibus etiam diversæ et contrariæ leges humanæ procedunt ; ut ergo homo absque omni dubitatione scire possit quid ei sit agendum et quid vitandum, necessarium fuit ut in actibus propriis dirigeretur per legem divinitus datam, de qua constat quod non potest errare.

2° *ut etiam actus interiores legis ordinationi subdantur.* Lex humana non potuit cohibere et ordinare sufficienter interiores actus : quia judicium hominis non potest esse de actibus interioribus qui latent, sed solum de exterioribus qui apparent. *Atqui.* Ad perfectionem virtutis requiritur quod in utrisque actibus homo rectus existat. *Ergo.* Necessarium fuit quod superveniret lex divina.

3° *ut nihil præterfugiat divinam ordinationem.* Ex S. Augustino[1], lex humana non potest omnia quæ male fiunt, punire vel prohibere : quia dum auferre vellet omnia mala, sequeretur quod etiam multa bona tollerentur et impediretur utilitas boni communis, quod est necessarium ad conservationem humanam ; ut ergo nullum malum improhibitum et impunitum remaneat, necessarium fuit supervenire legem divinam per quam omnia peccata prohiberentur.

« Et istæ quatuor causæ tanguntur in psal. 18, ubi dicitur : *Lex Domini immaculata,* id est nullam peccati turpitudinem permittens; *convertens animas,* quia non solum exteriores actus, sed etiam interiores dirigit; *testimonium Domini fidele,* propter certitudinem veritatis et rectitudinis; *sapientiam præstans parvulis,* in quantum ordinat hominem ad supernaturalem finem et divinum[2]. »

*Objectiones* fieri solitæ generaliter contra Revelationem, solvuntur in Apologetica. Specialiter tamen adversus Ethicam, quam aiunt Theologicam, objiciunt Rationalistæ.

1° *Dicunt quidam :* Utilissima, imo necessaria est Ethica religiosa pro rudibus et plebe ; doctis vero et philosophis non amplius convenit. Ita *Renan.*

*Respondeo. a*) Quoad præcepta ordinis supernaturalis, omnibus æque absolute necessaria est lex revelata, cum omnium ratio naturalis

1. *De Lib. Arb.*, l. 1, c. 5.
2. 1ª 2æ, q. 91, a. 4.

æque improportionata sit ad bonum supernaturale. *b*) Quoad præcepta ordinis naturalis, philosophorum rationem non deceret tanta elatio, si consideraret quot et quantos errores docuerint etiam maximi philosophi luce Christianæ revelationis destituti.

2° Ex adverso, *dicunt alii :* Eximios quidem et heroicos virtutis fructus edidit Ethica religiosa in personis doctis; sed apud rudes, eadem Ethica religiosa tot produxit absurdas superstitiones, ut tanquam verum malum censenda sit.

*Respondeo.* Eximios virtutis fructus edidit Ethica religiosa, et quidem per se edidit; superstitiones vero nec edidit per accidens, quia nullimode procedunt a religione : multi enim etiam rudes vitam moralem ducunt irreprehensibilem, et multi etiam non religiosi putidis superstitionibus inficiuntur.

## ARTICULUS X

### *De Ethica independente.*

335. *Ethica independens,* ex vi ipsius nominis, quamdam importat immunitatem a dependentia. Ortum est nomen circa medium sæc. XIX, et tunc volebant assere Ethicam independentem a religione revelata; deinde per varios gradus processerunt, ita ut Ethica debeat admitti independens a conceptu Dei, ulterius declarata est independens a quocumque conceptu metaphysico, ut est v. g. libertas, immortalitas animæ, finis ultimus et hujusmodi; tandem independens ab ipso conceptu obligationis et sanctionis, ubi tanquam in erroris profundo consistere debuit, cum sit impossibilis ulterior negatio.

*Conclusio.* **Ethica independens sanæ philosophiæ repugnat.**

*Probatur quoad singulos gradus.*

I. *Quoad independentiam a religione revelata et lege Dei supernaturali* (Cf. n. 29). Sana philosophia docet Deo, titulo creationis, deberi ab homine famulatum. *Atqui.* Famulatus formam determinare pertinet non ad famulum sed ad dominum. *Ergo.* Famulatus formam determinare pertinet non ad hominem sed ad Deum. Supposito igitur quod Deus per revelationem voluerit hominibus imponere legem supernaturalem, tenentur homines obtemperare. Factum vero revelationis demonstratur in Apologetica.

II. *Quoad independentiam a conceptu Dei.* Ad Ethicam pertinet dirigere activitatem liberam hominis. *Atqui.* Sublato Deo, impossibilis est directio activitatis humanæ. *Ergo...*

*Probatur minor.* Directio activitatis humanæ requirit 1° finem humanæ vitæ, quia non concipitur motus sine termino (Cf. n. 48, et ss.), et 2° regulam ipsius activitatis seu legem moralem, quæ lex importat duo : *a*) et auctoritatem ad præcipiendum et *b*) potestatem ad applicandam sanctionem. *Atqui.* Sublato Deo, tollitur 1° finis ultimus vitæ humanæ (Cf. n. 70); tollitur 2° obligationis moralis *a*) et fundamentum (Cf. n. 318), *b*) et ipsa sanctio (Cf. n. 325). *Ergo.*

*Confirmatur.* Ethica, ut attingat scopum sum, debet esse *a*) *imperativa,* id est ita præcipere ut nullus obligationi se subtrahere possit; *b*) *persuasiva,* id est efficaciter movere intellectum et voluntatem hominis. *Atqui.* Ethica sine Deo *a*) non est *imperativa :* non enim potest constituere indefectibile obligationis fundamentum, ut constat ex tot inanibus modernorum tentamentis; *b*) non est *persuasiva :* experientia enim constat insufficiens esse abstractum motivum officii (le devoir pour le devoir) ad efficaciter movendos homines in omnibus circumstantiis vitæ moralis, præcipue quando commovetur appetitus sensitivus ad prosequendum bonum sensibile contra bonum rationis [1]. *Ergo.* Ethica sine Deo non potest attingere scopum secum.

III. *Quoad independentiam a quocumque conceptu metaphysico.* Ista doctrina contemnit et abjicit Metaphysicam. *Atqui.* Contemptus metaphysicæ sanæ philosophiæ repugnat. *Ergo.*

*Probatur minor.* Sic enim mutilatur intellectus humanus : Sana philosophia admittit omnem veritatem intellectu demonstratam. *Atqui.* Intellectualem demonstrationem efficit Metaphysica, tum quantum ad suum objectum, tum quantum ad suam methodum. *Ergo...*

*Objiciunt.* Aliæ scientiæ (physica, biologia, medicina) non pendent a Metaphysica. *Ergo,* nec Ethica.

1. « On comprend que l'on s'appuie ainsi sur la conscience seule, quand on mène une vie moyennement heureuse, quand on est honoré de ses concitoyens et que le devoir est facile. Mais supposez une mère de famille qui voit ses enfants près de mourir de faim sous ses yeux, et mettez à côté d'elle le moyen de les nourrir, soit par un acte contraire à la probité, soit par le sacrifice de sa vertu. Dites alors à cette personne qu'il n'y a ni Dieu, ni ciel, ni enfer, et que c'est par le devoir seul qu'elle doit résister à la tentation. Ajoutez que quoi qu'elle fasse, qu'elle ait supporté la misère et la faim, ou qu'elle ait acquis, je ne dis pas la richesse, mais l'aisance ou la nourriture d'un jour au prix du vice ou de l'infamie, son sort après cette vie sera exactement le même, croyez-vous que sa vertu résiste? N'est-il pas évident qu'il y aura disproportion entre la faiblesse du principe abstrait et la puissance de l'impulsion réelle vers le mal? Placez encore un de ces hommes dans une situation où lui sera possible de satisfaire par un acte coupable une passion très vive, à l'insu de l'univers entier, et il est bien difficile de croire que son stoïcisme puisse résister à une telle épreuve. S'il le fait, c'est qu'il sera un héros de la vertu. Or, la morale n'est pas faite pour les héros, elle est faite pour les hommes ordinaires; elle doit être assez efficace pour maintenir dans le bien ceux qui n'ont que des forces et un courage médiocres. » De Broglie, *La morale sans Dieu,* p. 119.

*Respondeo.* 1° A Metaphysica pendent scientiæ omnes plus minusve, id est ex parte altiorum principiorum. 2° Nec mirum esse debet si minus immediate pendeant scientiæ particulares quæ versantur circa objectum particulare. Ethica vero considerat naturam humanam, et quidem sub altiori respectu, unde plures exposuimus theses communes et Metaphysicæ et Ethicæ.

IV. *Quoad independentiam a conceptu obligationis et sanctionis.*

1° *A priori, ex necessitate normæ in qualibet activitate.* Non concipitur activitas quæ non habeat normam proportionatam. *Atqui.* Voluntas humana est activitas determinata. *Ergo.* Ipsi competit norma proportionata seu lex, quæ parit obligationem moralem. *Subsumo, Atqui.* Obligatio essentialiter importat sanctionem, quia est necessitas alternativa. *Ergo.*

2° *A posteriori, ex conceptu societatis,* quia de facto homo vivit in societate : Societas est quoddam totum cujus homo quilibet individuus est pars. *Atqui.* Pars, ut pars, essentialiter subordinatur ad totum. *Ergo.* Homo essentialiter subordinatur societati. *Subsumo, Atqui.* Hæc subordinatio parit obligationem : sublata enim obligatione impossibilis evadit societas. *Ergo.*

## ARTICULUS XI

### *De lege humana* (1ª 2æ, q. 95, a. 2).

336. Lex humana, cum sit unum ex elementis vitæ socialis, dimittitur tractanda quoad se in Sociologia. Hic consideratur solum in sua relatione cum lege naturali.

*Conclusio.* **Leges humanæ procedunt a lege naturali, — non tamen omnes eodem modo, sed cum aliqua differentia.**

*Probatur* 1ª *pars.* Lex humana in quantum habet de justitia, in tantum habet de virtute legis. *Atqui.* Justum dicitur id quod est rectum secundum regulam rationis, — quæ est lex naturalis. *Ergo.* Lex humana in tantum habet de ratione legis in quantum a lege naturæ derivatur; si vero in aliquo a lege naturali discordet, jam non erit lex, sed legis corruptio.

*Probatur* 2ª *pars.* A lege naturali dupliciter potest aliquid derivari : 1° sicut conclusiones ex principiis, v. g. ex principio *nulli esse faciendum malum,* ut conclusio derivatur : non esse occidendum ; 2° sicut determinationes quædam aliquorum communium, v. g. lex naturæ habet peccatorem esse puniendum, sed quod tali vel tali pœna punia-

tur, hoc est quædam determinatio legis naturæ. — Et utriusque differt derivandi modus : nam primus processus similis est ei quo in scientiis ex principiis conclusiones demonstrativæ producuntur; secundus similis est modo procedendi in artificiatis, in quibus formæ communes determinantur ad aliquid speciale, ut in fabricatione domus. — Quæ sunt primi modi, habent etiam aliquid vigoris ex lege naturali; sed ea quæ sunt secundi modi, ex sola lege humana vigorem habent. Intellige : *immediate,* quia omnes leges humanæ justæ obligant mediate vi hujus præcepti legis naturalis quod superioribus inferiores obedire debent (n. 313).

## ARTICULUS XII

### *De Conscientia.*

#### § 1. — Notio et divisiones.

337. Lex est universalis, actiones vero sunt circa singularia. Lex universalis singularibus applicatur per *conscientiam.*

« Nomen conscientiæ significat applicationem scientiæ ad aliquid; unde conscire dicitur quasi simul scire[1]. » Ex usu, conscientia designat applicationem scientiæ ad actus humanos.

Apud modernos distinguitur conscientia *psychologica* et conscientia *moralis.* Conscientia psychologica habet pro objecto facta interna; unde phænomena psychologica dicuntur *facta conscientiæ,* vel magis improprie *status conscientiæ* (états de conscience). In hoc sensu, conscientia est facultas ; imo non differt realiter ab intellectu, quia ista facta interna apprehenduntur sub ratione veri. Apud antiquos dicebatur *sensus intimus.* Hic non agimus de conscientia psychologica.

Conscientia moralis est applicatio scientiæ ad actus humanos non entitative spectatos, sed moraliter seu per respectum ad ordinem moralem.

**Conscientiæ tria munia.** Applicatio scientiæ ad actum moralem potest fieri tripliciter : 1° secundum quod recognoscimus aliquid nos fecisse vel non fecisse : et secundum hoc conscientia dicitur *testificari ;* 2° secundum quod per nostram conscientiam judicamus aliquid esse faciendum vel non faciendum : et secundum hoc dicitur conscientia *ligare* vel *instigare ;* 3° secundum quod per conscientiam judicamus quod aliquid quod est factum sit bene factum vel non bene

1. *Verit.*, q. 17, a. 1.

factum : et secundum hoc conscientia dicitur *excusare,* vel *accusare* seu *remordere.*

Unde actus conscientiæ considerari potest ante factum, et dicitur conscientia *antecedens :* ligare vel instigare ; vel post factum, et dicitur conscientia *consequens :* testificari, excusare vel accusare. Agitur hic principalius de conscientia antecedente.

338. *Conclusio* 1ª. **Conscientia est actus** (1, q. 79, a. 13).

*Probatur* 1° *ex ratione nominis.* Conscientia secundum proprietatem vocabuli importat applicationem scientiæ ad aliquid. *Atqui.* Applicatio scientiæ ad aliquid fit per aliquem actum. *Ergo.* Ex ipsa ratione nominis patet quod conscientia sit actus.

2° *ex his quæ secundum communem usum loquendi conscientiæ attribuuntur.* Dicitur enim conscientia testificari, ligare vel instigare, vel etiam excusare, aut remordere sive reprehendere. *Atqui.* Patet quod omnia hæc consequuntur actualem applicationem scientiæ ad ea quæ agimus. *Ergo.* Proprie loquendo conscientia nominat actum.

*Nota.* Quia tamen habitus est principium actus, quandoque nomen conscientiæ attribuitur synderesi : consuetum enim est quod causæ et effectus per invicem nominentur. Quomodo vero procedat conscientia a synderesi declaratur in conclusione sequenti.

*Conclusio* 2ª. **Conscientia est conclusio syllogismi practici, cujus Major est præceptum legis universale et Minor conditiones facti a ratione practica propositæ.**

*Probatur, exemplo :* Lex dicit : Proximum lædere non licet : *Major universalis,* quæ si pertineat ad legem naturalem traditur a synderesi. *Atqui. Hæc* actio proximum lædit : *Minor singularis. Ergo. Hanc* actionem ponere non licet : *Conclusio,* quæ est proprie dictamen conscientiæ.

339. *Conclusio* 3ª. **Conscientia est regula proxima moralitatis et obligationis** (*Verit.,* q. 17, a. 3).

Ad demonstrandam hanc conclusionem quam sic proponit S. Thomas : « Conscientia procul dubio ligat », argumentatur S. Doctor ex analogia inter necessitatem moralem quæ ex obligatione nascitur et necessitatem physicam quæ ligationem sequitur : « Ad videndum autem quomodo liget, sciendum est quod ligatio metaphorice a corporalibus ad spiritualia sumpta necessitatis impositionem importat. Ille enim qui ligatus est, necessitatem habet consistendi in loco ubi ligatus est et aufertur ei potestas ad alia divertendi. Unde patet quod ligatio non habet locum in illis quæ ex se necessaria sunt : non enim possumus dicere ignem esse ligatum ad hoc quod sursum feratur, quamvis necesse sit ipsum ferri ; sed in his tantum necessariis ligatio

locum habet quibus ab alio necessitas imponitur. Est autem duplex necessitas quæ ab alio agente imponi potest. Una quidem coactionis, per quam omnis absolute necesse habet facere hoc ad quod determinatur ex actione agentis ; alias coactio non proprie diceretur, sed magis inductio. Alia vero est necessitas conditionata, scilicet ex finis suppositione, sicut imponitur alicui necessitas ut, si non fecerit hoc, non consequatur suum præmium. Prima quidem necessitas, quæ est coactionis, non cadit in motibus voluntatis, sed solum in corporalibus rebus, eo quod voluntas naturaliter est a coactione libera. Secunda necessitas voluntati imponi potest, ut scilicet necessarium sit hoc eligere, si hoc bonum debeat consequi, vel si hoc malum debeat vitare : carere enim malo in idem computatur cum habere bonum in talibus, ut patet per Philosophum in 5 *Ethic.* »

*Probatur igitur conclusio* ex dicta analogia inter utramque ligationem : Sicut necessitas coactionis imponitur rebus corporalibus per aliquam actionem, ita necessitas moralis imponitur voluntati per aliquam actionem. *Atqui.* Actio qua voluntas movetur est imperium regentis et gubernantis ; unde dicitur in 5 *Metaphys.*, quod rex est principium motus per suum imperium. *Ergo.* Ita se habet imperium alicujus gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis illo modo ligationis qui voluntati accidere potest, sicut se habet actio corporalis ad ligandum res corporales necessitate coactionis. *Subsumo, Atqui.* Actio corporalis agentis nunquam inducit necessitatem in rem aliam nisi per contactum coactionis ipsius ad rem in qua agit. *Ergo.* Nec ex imperio alicujus regis vel domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum cui imperatur. *Iterum subsumo, Atqui.* Imperium attingit voluntatem per scientiam : unde nullus ligatur per præceptum aliquod nisi mediante scientia illius præcepti. *Ergo.* Sicut in corporalibus agens corporale non agit nisi per contactum, ita in spiritualibus præceptum non ligat nisi per scientiam. *Adhuc subsumo, Atqui.* Eadem est vis qua tactus agit et qua virtus agentis agit : cum tactus non agat nisi ex virtute agentis et virtus agentis nonnisi mediante tactu. *Ergo.* Eadem virtus est qua præceptum ligat et qua conscientia ligat : cum præceptum non liget nisi per virtutem scientiæ, nec scientia nisi per virtutem præcepti.

*Corollarium.* « Cum conscientia nihil aliud sit quam applicatio notitiæ ad actum, constat quod conscientia ligare dicitur vi præcepti divini. »

340. **Definitio.** Conscientia est *dictamen ultimo-practicum rationis quo judicamus quid hic et nunc agendum sit ut bonum vel vitandum ut malum.*

**Divisiones.** 1° Ex parte *materiæ,* distinguitur conscientia *permittens, consulens, præcipiens* aut *prohibens,* secundum quod permittit actus indifferentes, consulit actus bonos non necessarios, præcipit actus bonos necessarios, prohibet actus malos.

2° ex parte *objecti,* distinguitur conscientia *recta* vel *erronea. Recta,* quæ dictat verum (id quod est vere bonum aut vere malum); *erronea* quæ dictat falsum (id quod est falso bonum aut falso malum). Error vero in syllogismo practico sicut in speculativo dupliciter contingere potest, vel ex parte materiæ, quando deducitur recte conclusio ex præmissis falsis; vel ex parte formæ, quando ex præmissis veris deducitur conclusio male, id est contra formam syllogisticam. De facto in utroque casu sequitur error, ideo solum distinguimus conscientiam per rectam et erroneam, licet quidem velint non confundi conscientiam falsam cum erronea. Distinctio tamen non est tanti momenti.

3° Ex parte *assensus,* distinguitur conscientia *certa, dubia* vel *probabilis,* pro gradu adhæsionis ad judicium. *Certitudo* est firma adhæsio intellectus alicui cognoscibili absque formidine oppositi. *Dubium* est status mentis in neutram contradictionis partem declinantis propter errandi formidinem. *Opinio* vero (ex qua dicitur conscientia *probabilis*) est adhæsio mentis uni parti contradictionis cum formidine oppositi. His addi debet, propter specialem conditionem rationis practicæ, conscientia *perplexa,* quæ apprehendit peccatum in utroque termino, id est sive in agendo, sive in non agendo.

4° Ex parte *habitualis modi judicandi* in rebus practicis, distinguitur conscientia *tenera, scrupulosa, laxa.*

Agemus specialiter 1° de conscientia erronea (§ 2); 2° de conscientia dubia et probabili (§ 3).

341. *Quæres :* Quisnam sit proprius locus tractatus de Conscientia in Ethica?

Theologia Moralis S. Alphonsi incipit a Tractatu de Conscientia : sed forsan ex ea ratione quod præposuerit S. Alphonsus hunc tractatum a se ex integro compositum aliis tractatibus in quibus scribebat ut commentator Medullæ Busembaum. — Censet *Beaudouin*[1] propriam sedem esse in tractatu de moralitate, exemplo S. Thomæ qui tractat de Conscientia in q. 19, a. 5 et 6. Ad hoc dici potest, ita quidem fuisse tempore S. Thomæ, quando tota quæstio de conscientia reducebatur ad illa duo dubia : an conscientia erronea liget, an conscientia erronea excuset. Sed cum hodie multum amplificatus fuerit tractatus de Conscientia, dubitari potest : Secundum ordinem logicum, quis præ-

1. *Tract. de Conscientia,* qu. procem. n. 1.

poni debet, utrum tractatus de Legibus an tractatus de Conscientia?

*Conclusio.* **Secundum ordinem logicum, primum poni debet tractatus de Legibus, et deinde tractatus de Conscientia.**

*Probatur.* 1° Ad conscientiam pertinet applicare leges universales casibus particularibus. *Atqui.* « Nullus potest convenienter alteri aliquid applicare, nisi utrumque cognoscat, scilicet et id quod applicandum est, et id cui applicandum est[1]. » *Ergo.* Tractatui de conscientia præxigitur cognitio legis.

2° Moderni tractatus de conscientia præcipue consistunt in quæstione de Probabilismo, quæ, tota quanta est, versatur circa conflictum inter jura legis et jura libertatis; unde sæpius auditur *Possidet lex, possidet libertas. Atqui.* Ad juste dirimendam litem debet judex prudens cognoscere jura utriusque contendentis. *Ergo.* Præpostero ordine dirimeretur controversia Probabilismi antequam exponerentur jura legis.

### § 2. — De conscientia erronea (1ª 2æ, q. 19, a. 5 et 6).

342. Distinguitur error ut ignorantia (Cf. n. 94): 1° error juris vel facti; 2° vincibilis vel invincibilis.

Conscientia, quod aliquando erret, manifesto constat ex experientia. Nam « licet in cognitione primorum principiorum juris naturalis non sit error, tamen, quia in aliis principiis juris humani vel divini potest error accidere, ideo conscientia hominis errare potest[2] ».

De conscientia erronea duo dubia moveri solent: 1° *utrum conscientia erronea liget,* seu aliis verbis, utrum voluntas discordans a ratione errante sit mala; 2° *utrum conscientia erronea excuset,* seu aliis verbis, utrum voluntas concordans rationi erranti sit bona. Quibus respondetur duabus sequentibus conclusionibus.

343. *Conclusio* 1ª. **Nunquam licet agere contra conscientiam, licet fortasse erroneam.**

*Probatur.* I. *Sacra Scriptura.* Loquens Apostolus de carnibus idolothytorum, quæ de se indifferentes erant, sed a multis erronee reputabantur immundæ, id est prohibitæ, scribit Rom. XIV, 14: *Scio et confido in Domino Jesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est. 20..... Omnia quidem sunt munda, sed malum est homini qui per offendiculum manducat..... 23. Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est: quia non ex fide.*

1. 2ª 2æ, q. 47, a. 3.
2. *Quodlt.* 3, a. 26.

*Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.* 1 Cor. VIII, 7 : *Quidam autem cum conscientia usque nunc idoli, quasi idolothytum manducant : et conscientia ipsorum, cum sit infirma, polluitur.* Unde principium ab omnibus Catholicis admissum : Omne quod non est ex fide peccatum est.

II. *Rationibus.* 1° Conscientia est regula proxima agendi (n. 339). *Atqui.* Agere contra regulam est peccatum. *Ergo.* Non licet agere contra conscientiam.

2° Voluntas est facultas cæca, quæ naturaliter sequi debet ductum rationis. *Atqui.* Inordinate agit cæcus reluctans suo ductori. *Ergo.*

3° Ille peccat qui vult peccatum. *Atqui.* Agens contra conscientiam etiam errantem vult peccatum. *Ergo.* Peccat.

*Probatur minor.* Ille vult peccatum qui vult id quod judicat esse peccatum. *Atqui.* Agens contra conscientiam etiam errantem vult id quod judicat esse peccatum. *Ergo.* Vult peccatum.

*Hujus secundæ majoris ratio* desumitur ex eo quod objectum specificans voluntatem non est objectum prout est in se, sed objectum apprehensum seu prout est in apprehensione, unde objectum apprehensum ut bonum facit voluntatem bonam, et objectum apprehensum ut malum facit voluntatem malam, quidquid sit de ipso objecto in se. « Id quod est bonum potest accipere rationem mali, vel illud quod est malum rationem boni, propter apprehensionem rationis. Puta abstinere a fornicatione bonum quoddam est : tamen in hoc bonum non fertur voluntas nisi secundum quod a ratione proponitur ; si ergo proponatur ut malum a ratione errante, fertur in hoc sub ratione mali : unde voluntas erit mala, quia vult malum non quidem id quod est malum per se, sed id quod est malum per accidens propter apprehensionem rationis. Et similiter credere in Christum est per se bonum et necessarium ad salutem ; sed voluntas non fertur in hoc nisi secundum quod a ratione proponitur : unde si a ratione proponatur ut malum, voluntas feretur in hoc ut malum, non quia illud sit malum secundum se, sed quia est malum per accidens ex apprehensione rationis... Unde dicendum quod simpliciter omnis voluntas discordans a ratione, sive recta, sive errante, semper est mala[1]. »

*Objicies.* Ratio est regula voluntatis humanæ in quantum derivatur a lege æterna. *Atqui.* Ratio errans non derivatur a lege æterna, cum dictet id quod contrariatur legi æternæ. *Ergo.* Ratio errans non est regula voluntatis humanæ.

*Respondeo. Distinguo majorem.* Est regula *objectiva,* in quantum

1. 1ª 2æ, q. 19, a. 5.

derivatur *vere, concedo;* est regula *subjectiva, nego.* Regula enim objectiva boni moralis est ratio recta, id est quæ vere derivatur a lege æterna; regula vero subjectiva aliquando non vere derivatur, sed sufficit si judicetur derivari. *Minor potest etiam distingui :* non derivatur vere, *concedo;* non judicatur derivari, *nego. Et distinguo consequens :* Ratio errans non est regula objectiva, *concedo;* regula subjectiva, *nego.* « Judicium rationis errantis, licet non derivetur a Deo, tamen ratio errans judicium suum proponit ut verum et per consequens ut a Deo derivatum, a quo est omnis veritas..... Quando ratio errans proponit ut præceptum Dei, tunc idem est contemnere dictamen rationis et Dei præceptum... Si aliquis crederet quod præceptum proconsulis esset præceptum imperatoris, contemnendo præceptum proconsulis, contemneret præceptum imperatoris[1]. »

344. *Conclusio* 2ª. **Sola tamen conscientia invincibiliter erronea excusat a peccato.** « Hæc questio dependet ab eo quod supra de ignorantia dictum est[2]. »

*Probatur.* In tantum error excusat a peccato in quantum facit actum involuntarium : quia moralitas sequitur voluntarium. *Atqui.* Solus error invincibilis facit actum involuntarium. *Ergo* solus error invincibilis excusat a peccato.

*Probatur minor.* Error enim invincibilis est simpliciter involuntarius; error vero vincibilis est aliquo modo voluntarius, et ideo tunc malum imputatur ut voluntarium in causa.

*Dices :* Sed tunc qui versatur in errore vincibili est perplexus. Non enim potest agere contra conscientiam, ex conclusione 1ª, nec potest agere juxta conscientiam, ex conclusione 2ª. — *Respondeo.* Non obligatur ad peccandum, sed obligatur ad deponendum errorem.

### § 3. — De conscientia dubia et probabili.

345. **Divisiones certitudinis.** Distinguitur certitudo : 1° ex parte *assensus : metaphysica, physica, moralis,* prout nexus inter prædicatum et subjectum pendet aut ex essentia rerum, aut ex naturæ physicæ legibus, aut ex hominum moribus. (Cf. Zigliara, *Logica,* 22 § IV et 40 § III et IV).

2° ex parte *motivi : directa,* quæ habetur per argumenta directa; *indirecta* vel *reflexa,* quæ habetur indirecte, v. g. per auctoritatem vel ex principiis reflexis. Sic habeo certitudinem directam de immor-

1. 1ª 2æ, ad 1 et 2.
2. *Ibid.*, q. 19, a.

talitate animæ; rusticus vero idem tenens propter auctoritatem doctorum vel Dei revelantis, habet certitudinem indirectam. Item supposito quod quis dubitet de soluto debito, si dubio adjungatur principium reflexum *Obligationi certæ non satisfit per adimpletionem dubiam,* devenit ad certitudinem indirectam quod non eximatur ab obligatione solvendi.

3° Ex parte *materiæ : speculativa* vel *practica.* Speculativa vel sistit in consideratione veri speculativi, vel ordinatur in agendum in universali ; practica ordinatur ad operationem hic et nunc ponendam.

*Conclusio.* **Nunquam licet agere cum dubio practico de liceitate actus.** Dubium hic intelligitur in sensu latiori quatenus comprehendit etiam opinionem. Ab omnibus admittitur.

*Probatur* I. *ex Sacra Scriptura.* Rom. XIV, 23 : *Omne quod non est ex fide peccatum est,* ex fide, id est ex conscientia certa.

II. *Ratione.* Vera ratio desumitur ex periculo peccandi (n. 213) et consequenter ex principio primo de voluntario indirecto (n. 210) : Qui se exponit proximo periculo peccandi, peccat. *Atqui.* Qui agit cum dubio practico circa liceitatem actus, exponit se proximo peccandi periculo. *Ergo.* Peccat qui agit cum dubio practico circa liceitatem actus.

*Probatur minor.* Qui agit cum dubio practico, facit id quod rationabiliter suspicatur esse peccatum et offensivum Dei. *Atqui.* Qui facit id quod rationabiliter suspicatur esse peccatum, vult virtualiter peccatum; qui facit id quod rationabiliter suspicatur esse offensivum Dei, eo ipso Deum offendit et ejus amicitiam contemnit. *Ergo.*

*Confirmatur.* 1° Imprudenter agit qui sumit potum quem rationabiliter suspicatur esse venenatum.

2° Conscientia est regula. *Atqui.* Imprudenter agit qui sequitur regulam dubiam. *Ergo.*

*Corollarium.* Ergo, in casu dubii practici obligatur homo ad deponendum dubium et obtinendam conscientiam certam.

*Quæres.* Quænam certitudo requiratur?

*Respondeo.* Illa quæ requiritur ad agendum prudenter. 1° Sufficit certitudo moralis etiam lata. « In actibus humanis non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia et variabilia. Et ideo sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat[1]. » — 2° Sufficit certitudo indirecta, quæ habetur vel ab auctoritate doctorum, vel a principiis reflexis, qualia sunt : In dubio judicandum est de communiter contingentibus; in dubio, standum est pro valore actus; factum non præ-

1. 2ª 2æ, q. 70, a. 2.

sumitur, sed demonstrari debet; in dubio, præsumptio favet superiori; in dubio, melior est conditio possidentis; lex dubia, lex nulla, etc.

### De systematibus probabilitatis.

346. *Quid sit systema probabilitatis.* Cum plura sint principia reflexa ex quibus, pro subjecta materia, deveniri potest ad certitudinem indirectam, a sæculo XVI conati sunt auctores omnia ista principia reducere ad unum principium supremum ex quo in quolibet casu et in qualibet materia prompte et facile solvatur dubium practicum et obtineatur certitudo indirecta. Ista systematica reductio ad unum principium dicitur *systema probabilitatis* : unde tot recensentur systemata, quot fuerunt excogitata principia suprema.

*Delimitatur materia controversiæ.* Dicunt omnes controversiam restringi ad solos casus *de licito vel illicito*. Aliquando enim præter malum forte violatæ legis, ex actione humana resultat periculum damni sive ipsius agentis, sive aliorum, v. g. venator dubitans quid moveatur ultra sepem, non excusaretur ab homicidio ex eo quod probabilius judicaverit non esse hominem. Tunc, omnibus fatentibus, tutior pars est eligenda : item, si medicus dubitet de effectu medicinæ, si judex dubitet de merito causæ; item quotiescumque agitur de validitate actus omnino independenti ab opinionum probabilitate. Unde sequentes habentur propositiones damnatæ ab Innocentio XI (2 mart. 1679) : 1. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio aut periculum gravis damni incurrendi.* 2. *Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* 4. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minus probabili*[1]. Unde principium : « Ubi adest periculum mali quod a conscientia haud pendet quodque vitare tenemur, semper in dubio pars tutior sectanda est[2]. »

Vera quidem est distinctio, cavendum tamen ne plus æquo extendatur et subreptitie quasi præjudicatum ponatur id quod est propria materia controversiæ inter Probabilistas et Probabilioristas. Quando asseritur bonum vel malum morale pendere a conscientia, id verum est de bono vel malo formali, non de malo materiali.

Legis enim violatio mere materialis est quoddam malum cujus consideratio omitti non debet. Unde S. Thomas : « Illud quod agitur contra legem semper est malum (malum vel materialiter solum, vel materialiter simul et formaliter); nec excusatur per hoc quod est contra conscientiam (non excusatur a malo materialiter, quia certe excusatur a malo formaliter). Et similiter quod est contra conscientiam est malum, quamvis non sit contra legem (est malum formaliter, quamvis non sit malum materialiter). Quod autem nec contra conscientiam nec contra legem est, non potest esse peccatum (neque materialiter neque formaliter)[3]. » Et iterum : « Omnis quæstio in qua de mortali peccato quæritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur; quia error quo non creditur esse peccatum mortale, conscientiam non excusat a toto, licet forte a tanto[4] », excusat quidem a peccato formali si sit error invincibilis, non tamen excusat a peccato materiali quod admittere formaliter ma-

1. Denzinger, n. 1151 ss.
2. Ærtnys, *Theol. moral.*, l. 1, n. 76.
3. *Quodlt.* 8, a. 13.
4. *Quodlt.* 9, a. 15.

lum est. Non sic igitur intelligenda distinctio ut operationes de solo licito vel illicito sint actiones indifferentes. Probabile est quod sint materialiter malæ et illud mali periculum non debet pro nihilo reputari. Unde S. Alphonsus quærens *An sit obligatio corrigendi peccata facta ex ignorantia invincibili*, id est peccata materialia, respondet : « ... Si sint contra jus positivum tantum,.... probabilius et communis Pal., Con., Sanch., Mazz., Cont. Turn. et Croix cum Burgh. et aliis, docent omnes teneri ad correptionem, quia illa transgressio licet materialis et non intrinsece mala, *attamen posita lege adhuc est mala* et ideo per correptionem tenemur eam impedire[1]. » Si ergo tenentur omnes impedire peccatum materiale alterius, nulli licet levius nihilipendere periculum proprii peccati materialis. Ideo diximus supra, tractatum de Legibus præmittendum esse tractatui de conscientia, ut jura legis sarta tectaque teneantur.

Quæstio igitur solvenda hæc est : Ubi agitur de solo licito vel illicito, in conflictu duarum opinionum probabilium, quarum una sit pro lege et altera pro libertate, quænam sit eligenda.

**Prænotanda.** Dicitur opinio *probabilis,* illa quæ nititur fundamento gravi quod viri prudentis assensum trahere valeat, licet cum formidine oppositi. — Gradus admittit Probabilitas : *a*) tum in se et absolute, et sic habetur opinio *tenuiter* probabilis, *vere* probabilis, *probabilissima; b*) tum per comparationem ad propositionem oppositam et sic habetur opinio *probabilior*, vel *minus* probabilis, vel *æque* probabilis, vel *unice* probabilis. — Opinio favens legi dicitur *tutior;* favens libertati, *benignior*. — Tandem distinguitur Probabilitas *intrinseca*, ex motivis intrinsecis; et *extrinseca*, ab auctoritate. Itemque contra opinionem probabilem insurgere potest dubium *juris* vel *facti*.

347. **Recensentur varia systemata Probabilitatis.** Plura recensentur Probabilitatis systemata, ex quibus alia sunt *reprobata*, alia libere *permissa*.

I. Systemata reprobata sunt : 1° *Rigorismus,* cujus principium damnatum est ab Alexandro VIII, 7 dec. 1690, prop. 3 : « Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam[2]. »

2° *Tutiorismus,* cujus principium est : « Non licet sequi sententiam minus tutam, nisi sit probabilissima. » Non fuit explicite damnatum ab Ecclesia, sed communiter rejicitur a Theologis.

3° Ex opposito, *Laxismus*, cujus principium damnatum est ab Innocentio XI 2 mart. 1679, prop. 3 : « Generatim, dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus[3]. »

II. Systemata permissa sunt : *Probabilismus*, *Æquiprobabilismus, Probabiliorismus*, systema dictum *a Compensatione*.

### De Probabilismo.

348. *Exponitur*. Probabilistarum principium est : **Lex dubia, lex nulla.** *Quod*

1. S. Lig., *De præc. virtut. theologic.*, l. 3, tr. 3, n. 36.

2. Denzinger, n. 1293.

3. Denzinger, n. 1153. Cf. 65 propositiones eodem Decreto proscriptas, apud *Denzinger*, n. 1151-1215. — Item prop. 27 damn. ab Alexandro VII, 24 sept. 1665 : « Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse a sede Apostolica tanquam improbabilem. » Cf. Denzinger, 1101-1145.

*sic probatur*. Lex non obligat nisi sit certo promulgata. *Atqui*. Lex dubia non est certo promulgata. *Ergo*. Lex dubia non obligat.

*Critica*. 1° **Immerito appellant Probabilistæ ad auctoritatem S. Thomæ.**

*a*) Appellant ad textum *de Verit*. q. 17, a. 3 : « Nullus ligatur per præceptum aliquod, nisi mediante *scientia* illius præcepti. » *Atqui*. Dicunt, apud S . Thomam, *scientia* est cognitio certa. *Ergo*. — *Respondeo*. *Ad minorem*. Apud S. Thomam, *scientia* aliquando sumitur pro *cognitione certa*, aliquando pro *simplici notitia*. Et in loco citato sumitur pro simplici notitia. *Probatur* 1° *ex contextu*, nam post citata verba statim subjungit : « et ideo ille qui non est capax *notitiæ*, præcepto non ligatur; nec aliquis *ignorans* præceptum Dei ligatur ». Unde hic *scientia* sumitur pro simplici notitia, prout opponitur ignorantiæ, non pro cognitione certa quæ opponitur opinioni. Ideo conclúdit S. Thomas : « Unde cum conscientia nihil aliud sit quam applicatio *notitiæ* ad actum, etc... » Textum integrum habes supra n. 339. — 2° Ex ipsius S. Thomæ declaratione in articulo præcedenti : « Cum dico *conscientiam*, non dico vel implico scientiam solummodo stricte acceptam prout est tantum verorum, sed scientiam largo modo acceptam pro quacumque *notitia*, secundum quod omne quod novimus communi usu loquendi scire dicimur[1]. » — *Dices :* Quare S. Thomas circa hanc materiam acceperit *scientiam* in sensu minus proprio? *Dico*. Aliquando dixit *notitiam*[2], vel *cognitionem*[3], sæpius tamen dixit *scientiam* propter etymologiam vocabuli *conscientiæ*.

*b*) Appellant ad doctrinam S. Thomæ de conformitate voluntatis humanæ cum voluntate divina ($1^a$ $2^{æ}$, q. 19, a. 10 et $2^a$ $2^{æ}$, q. 104, a. 4, ad 3) : « etsi non semper teneatur homo velle quod Deus vult, semper tamen tenetur velle quod Deus vult eum velle. Et hoc homini præcipue (*nota*[4]) innotescit per præceptum divinum ». Vim faciunt in verbo *innotescit :* « requiritur certa et manifesta præcepti cognitio quod quidem significat verbum illud *innotescit*[5] ». — *Respondeo,* verbum *innotescit* importare cognitionem.

2° *Non demonstratur principium Probabilistarum. Ad majorem*, in expositione positam, primo distingui debet promulgatio *facta* communitati et promulgatio *recepta* ab unoquoque subditorum. Ad valorem legis sufficit promulgatio *facta* communitati, non requiritur promulgatio *recepta* a singulis subditis. Promulgatur lex in Diario officiali, et eo ipso habet vim in universo regno, quin necesse sit eam devenire ad cognitionem singulorum civium. — *Ad hoc dicunt* Probabilistæ valere distinctionem quando agitur de obligatione in foro externo, non vero quando agitur de obligatione stricte morali, quæ promulgatur in quantum innotescit. — *Respondeo*. Neque de lege positiva, neque de lege naturali verum est legem promulgari in quantum innotescit. De lege positiva manifestum est : ex ipsa promulgatione vim obligandi accipit, non ex eo quod innotescit subditis. Unde si quis ignorans legem et agens contra legem non peccet, id non provenit ex eo quod lex eum non

1. *Verit*., q. 17, a. 2, ad 2.

2. « Conscientia nominat ipsum actum qui est applicatio cujuscumque habitus vel *cujuscumque notitiæ* ad aliquem actum particularem. Applicatur autem *aliqua notitia* ad aliquem actum dupliciter. » *Verit*., q. 17, a. 1. Cf. a. 2, ad 2 ; a. 3 ; *Quodlt*. 3, a. 26 : « Conscientia, sicut ipsum nomen sonat, importat applicationem scientiæ vel *notitiæ humanæ* ad aliquem proprium actum. Omnem autem *notitiam*, quam homo habet, potest ad suum actum applicare... »

3. 1, q. 79, a. 13. Cf. *Verit*., q. 17, a. 3, ad 1; *Quodlt*. 3, a. 26.

4. S. Lig., *De Conscientia*, n. 65.

5. *Ibid*.

obligat, sed ex eo quod ipse, propter impedimentum, per accidens excusatur a legis obligatione. Item, neque lex naturalis promulgatur in quantum innotescit : « Promulgatio legis naturæ est ex hoc ipso quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam[1]. » Unde omnes homines, etiam infantes, subduntur legi naturali in actu primo, et in tantum non subduntur in actu secundo, in quantum per accidens impediuntur. Sicut enim « eo quod habitualiter inest, quandoque aliquis uti non potest propter aliquod impedimentum, sicut homo non potest uti habitu scientiæ propter somnum ; et similiter, puer non potest uti habitu intellectus principiorum vel etiam lege naturali, quæ ei habitualiter inest, propter defectum ætatis[1] ». Lex igitur naturalis certo promulgata est quando homo accepit naturam humanam ; per accidens quidem impediri potest legis naturalis usus tum in infantibus, tum in ignorantibus (sed qui dubitant de lege non ignorant legem), nunquam vero nisi per abusum verborum et metaphorarum, legis naturalis usus dici potest legis naturalis promulgatio. — Ideo simpliciter *nego minorem*, quæ non est vera neque de lege naturali, neque de lege positiva.

3° *Probabilismus periculo non caret.* Equidem hodierni Casuistæ, cum sint viri pii, docti, prudentes et moderati, in casuum solutione haud multum differunt ab Æquiprobabilistis et Probabilioristis. Sed quot sunt confessarii qui non habent eamdem pietatem, doctrinam, prudentiam et moderationem. — Nec dicatur periculum esse imaginarium : tot enim propositiones de re morali damnatæ ab Alexandro VII et Innocentio XI, docebantur ex vi Probabilismi.

### Æquiprobabilismus.

349. *Exponitur.* Auctorem habuit S. Alphonsum, qui relicto puro Probabilismo, novum protulit systema.

Plures ponuntur distinctiones : I, vel opinio favens legi notabiliter et certo probabilior est, et tunc : Non licet sequi opinionem minus probabilem pro libertate, relicta notabiliter seu certo probabiliori pro lege. Ratio est, quia in eo casu eliditur probabilitas opinionis pro libertate.

II, vel quasi æqualiter probabilis est utraque opinio, et tunc temperandus est Probabilismus ex principio possessionis : In dubio melior est conditio possidentis ; unde 1° vel dubium est de existentia legis, et tunc libertas possidet. Valet igitur axioma : Lex dubia, lex nulla : — vel 2° dubium est de cessatione legis et tunc possidet lex.

*Critica.* 1° Principium possessionis valet quidem in materia justitiæ, sed an valeat etiam in materia mere morali, non constat. 2° Hoc systema in quadam inferioritate versatur ex multiplicitate distinctionum et principiorum. 3° Partialiter quidem recedit a principio Probabilismi *Lex dubia, lex nulla,* propter inconvenientia inde dimanantia, ipsum tamen retinet principium : supra vero diximus istud principium non esse demonstratum.

### Probabiliorismus.

350. *Exponitur.* Probabiliorismi principium est : Non licet sequi opinionem pro libertate nisi sit certo et notabiliter probabilior quam opposita pro lege. — *Probatur :* respectu moralis honestatis non debet homo aliter agere quam agere consuevit

1. 1ª 2æ, q. 90, a. 4, ad 1.
2. 1ª 2æ, q. 94, a. 1 ad arg. *sed cont.*

in quolibet periculo vitando. *Atqui.* In omni periculo vitando non agit prudenter homo nisi agat ex certitudine morali proportionata gravitati mali quod timetur. *Ergo.*

Probabiliorismus plurimos olim (præsertim post Decretum S. Officii jussu Innocentii XI die 26 junii 1680 emanatum[1]) habuit fautores qui acerrimam et non inutilem sustinuerunt polemicam. Hodie pauci sunt qui Probabiliorismum doceant, eo forte, quod timeant assertam certitudinem moralem, non satis attendentes quod hæc certitudo moralis debet esse proportionata gravitati mali quod timetur.

Ad S. Thomam quod attinet, non docuit theoriam aliquam circa Probabilitatem, quia tunc temporis vivebant sine Probabilitate; casum tamen practicum de pluralitate præbendarum solvit conformiter ad principia Probabiliorismi (*Quodlt.* VIII, a. 13 et *Quodlt.* IX, a. 15).

*Objiciunt.* Istud systema obligationibus certis addit dubias. — *Respondeo,* dubias speculative, *concedo;* pratice, *nego.* Pari modo, probabilismus solvit ab obligationibus veris.

### Systema compensationis.

351. *Exponitur.* Non tam profert systema novum quam novum modum exprimendi principium Probabiliorismi, insistendo scilicet circa varios gradus requisitæ certitudinis moralis. Propugnatorem habuit circa annum 1875, *P. Potton,* O. P., cui postea adhæserunt *de Pascal, Boisdron* et partialiter *Tanquerey.*

Hujus systematis principium est : **Nullus contra legem agere potest, nisi habeat causam excusantem proportionate gravem, proportionatam scilicet tum gravitati materiæ, tum certitudini legis.**

*Probatur.* 1° In hoc systemate unicum adhibetur principium, quod valet non tantum in solo casu de licito vel illicito, sed in omni casu dubii, imo etiam in casu legis certæ : sic v. g. vi nostri principii excusatur filia ab indubia obligatione assistendi Missæ in die festo ut assistat patri graviter ægrotanti.

2° Hoc nostrum principium nititur solido et maxime proprio fundamento. Etenim, quare non licet agere cum dubio practico? Propter periculum peccati, id est ex 1ª lege voluntarii indirecti. Quomodo solvimus istud dubium practicum? Ex 2ª lege voluntarii indirecti : nostrum enim principium nihil aliud est quam 4ª conditio supra requisita in 2ª lege voluntarii indirecti (Cf. n. 211).

Et illustratur exemplo desumpto ex vita ordinaria. Aliquando exit *Titius.* Rogatus ab amico quare secum non asportet instrumentum ad protegendum se adversus pluviam (umbrello, parapluie), cum valide probabile sit pluviæ periculum, respondet : « Vere quidem, sed hodie manus habeo tot oneribus impeditas, ut nolim quidquam superaddere. » Altera die, exit idem *Titius* deferens umbrellum, licet levissima sit pluviæ probabilitas. Iterum interrogatus ab eodem amico de sua agendi ratione, respondet : « Certe quidem, sed hodie habeo petasum novum, et nolo illum maculari ex una pluviæ guttula. » Annon prudentius agit hic *Titius,* quam ille qui universaliter prætenderet deferendum esse umbrellum, quotiescumqueæque probabile est pluviæ periculum?

Haud secus in ordine morali, proposita difficultas solvi non potest unica regula ferrea, *Lex dubia, lex nulla;* sed solvitur ex consideratis omnibus circumstantiis facti, ita ut ad licite agendum contra legem probabilem aliquando requiratur ut opinio favens libertati sit probabilior, sed aliquando sufficere possit opinio vel æque

1. Denzinger, n. 1219.

probabilis, vel etiam minus probabilis, quando scilicet in contrarium adest ratio excusans maximi momenti.

*Objiciunt.* 1° Immerito requiritur ut causa excusans sit proportionata gradui certitudinis legis : cognitio enim legis non est causa obligationis sed solum conditio sine qua non. — *Respondeo. a) indirecte, ad hominem :* inconvenienter id nobis objicitur a Probabilistis qui docent legem promulgari in quantum innotescit; *b*) equidem major certitudo legis non est per se causa majoris obligationis, sed est per se causa quod majus sit periculum peccandi.

2° Facilioris applicationis est Probabilismus : non enim necesse est ponderare et comparare tot elementa, sufficit investigare an sit probabile necne. — *Respondeo :* Facilioris est usus, *concedo;* imo nimis facilis. Tunc enim non amplius requiritur prudentia in vita humana, sufficit Probabilitas, juxta axioma Probabilistarum : *Qui probabiliter agit, prudenter agit.* Aliter vero judicabat S. Thomas : « Multæ differentiæ sunt in singularibus et ideo judicium de his non potest sub certa regula comprehendi, sed relinquuntur existimationi prudentis[1]. » Hucque valent quæ ponit circa exemplum de regula Lesbiæ ædificationis. « In Lesbia enim insula sunt lapides duri qui non possunt de facili ferro præscindi ut dirigantur ad omnimodam rectitudinem et ideo ædificatores utuntur ibi regula plumbea. Et sicut illa regula complicata adaptatur ad figuras lapidis et non manet in ea dispositione, ita oportet quod sententia judicis adaptetur ad res secundum earum convenientiam[2]. »

Hæc dicta sint quoad theoriam; quoad praxim, Cf. sapientissima monita P. Ærtnys, *Theol. Mor.*

1. *In* 3 *Ethic.*, l. 2.
2. *In* 5 *Ethic.*, l. 16.

## CAPUT VIII

### DE JURE

352. Apud illos qui Philosophiam Moralem dividunt per Ethicam et Jus naturæ (n. 33), cum tractatu de Legibus explicit Ethica, et cum hoc tractatu de Jure incipit pars posterior : Jus naturæ. Licet vero non sine ratione dici possit tractatum de Jure non gaudere eadem universalitate ac materiæ supraexpositæ (ordo enim juridicus, ut dicemus, est pars ordinis moralis), attamen tum propter suam intimam connexionem cum tractatu de Legibus (nam studentes juri sunt studentes legibus), tum propter suam extensionem et abstractionem, locum sibi vindicare videtur in Ethica Generali, ita ut Ethica specialis reservata intelligatur specialibus præceptis.

Hunc tractatum de Jure sæpius appellarunt *Philosophiam juris*. Et merito. Nam sicut in aliis scientiis dicta est scientiarum Philosophia, illa cujusque scientiæ pars quæ considerat non conclusiones particulares, sed altiora principia per respectum ad ordinem universalem cognitionis nostræ, v. g. Philosophia cosmologiæ, philosophia biologiæ, philosophia historiæ, ita consideratio elementorum essentialium Juris dicitur Philosophia juris, quasi intermedia inter Philosophiam et scientiam juridicam, ita ut ad utramque pertinere possit.

Novissimis his temporibus de Philosophia juris scripserunt plurimi, præcipue in Italia. Sed cum plerique abjiciant conceptum juris naturalis, rectius diceres eos scripsisse de Philosophia Juris positivi. Evolutionem quidem juris positivi historicam aliquando præclare exposuerunt, sed quando devenerunt ad substratum illud quod sub ipsis transformationibus investigari debet, ancipites et obscuri remanserunt, cum tamen magnam lucem a Philosophia traditionali mutuari potuissent.

Ex præmissis manifestum est quanti sit momenti tractatio hæc de Jure, in qua agemus : 1° de jure in se (art. 1); 2° de officio in se (art. 2); 3° de jure et officio inter se comparatis (art. 3); 4° de

subjecto juris et officii (art. 4); 5° de ordine juridico naturali (art. 5); 6° de fine et origine juris (a. 6).

## ARTICULUS I

### *De ipso jure in se.*

Exponemus 1° notionem juris (§ 1); 2° divisiones juris (§ 2); 3° proprietates juris (§ 3).

#### § 1. — De juris notione et definitione.

353. **Quid sit jus? 1° Quantum ad nomen.** Juris etymologia est incerta. Omissis illis etymologiis quæ minorem habent probabilitatem[1], duæ communius proponi solent : 1° a *justo* (Isidorus) vel a *justitia* (Ulpianus) per apocopen ; huic etymologiæ adhæret S. Thomas[2]. 2° Hodierni tamen philologi existimant *jus* oriri a *jussu, jubere,* sicut *fas* a *fari.*

In linguis modernis jus designatur per vocabulum metaphoricum desumptum ex geometria (linea recta) *diritto, droit,* etc... quia sicut linea recta ex se et independenter ab arbitrio nostro est brevior linea inter duo puncta, ita jus constituit rectitudinem in relationibus hominum inter se.

354. **Quantum ad rem.** Plurimæ sunt etiam significationes juris : recensentur 16 apud Forcellini, ex quibus tres principaliores retinere debemus :

1° *Exemplum :* Justitia reddit unicuique *jus* suum. Hic jus idem est ac debitum ex justitia, *justum,* est objectum justitiæ. A multis dicitur *jus objective.*

2° *Exemplum :* Proprietarius habet jus disponendi de re sua. Jus idem est ac facultas. Sæpius dicitur *jus subjective.* Sequitur ex præcedenti : ideo enim proprietarius potest disponere de re quia res est sua.

3° *Exemplum : Jus* canonicum, studere *juri.* Idem est ac *lex :* facultas enim quæ est jus subjective oritur ab aliqua lege vel positiva vel naturali; unde sæpe dicitur jus, tum ipsa lex quæ est regula juris,

1. Sic alii dicunt *jus* provenire a *juxta;* alii a *juvo,* quod adversus vim et injuriam præsidio sit; alii a *vis,* per metathesim; alii a *Jovis* auctoritate; alii a græco δέον, immutando εον in *us,* sicut idem est πλεον ac *plus* et immutando δ *in j,* sicut idem est διαχεω et *jaceo ; Jhering* provenire existimat a radice sanscritta *ju,* unde derivarunt : ζυγον, jugum, jungere, jumentum; alii dixerunt vocem esse primigeniam.

2. 2ª 2æ, q. 57, a. 1, ad 1.

v. g. ignorantia juris; tum collectio legum, v. g. *Corpus juris*[1]; tum scientia legum, *studere juri.*

S. Thomas nunquam videtur adhibuisse jus in sensu facultatis, semper dicit *facultas.* Ex adverso, recentiores juristæ, sive Canonistæ, sive Civilistæ, plerumque omittunt jus objective. Ut tamen adæquatus habeatur juris conceptus, tres illæ significationes sedulo sunt considerandæ.

355. **Quid sit jus subjective?** 1° *Declaratur exemplis :* jus proprietarii circa agros, domos, pecunias, jus heri erga famulos, patroni erga operarios.

2° *Definitur :* **Potestas moralis aliquid habendi, vel agendi, vel exigendi, inviolabilis.** — Dicitur 1° *Potestas,* quia jus non est obligatio, vel merum factum; 2° *moralis,* non physica, quia exercetur mediante intellectu et voluntate et manet etiam sub violentia physica; 3° *aliquid habendi, vel agendi, vel exigendi :* quibus verbis indicatur materia juris, quæ potest esse vel res possidenda (habendi), vel operatio propria (agendi, intelligendo non solum actionem sed etiam omissionem), vel operatio alterius, non solum negativa (sic proprietarius agri exigere potest ut alii abstineant a quolibet nocumento), sed etiam positiva, v. g. labor famuli vel operarii (exigendi); 4° *inviolabilis,* quia inducit obligationem moralem in aliis.

Unde 3° quinque recensentur *elementa juris :* 1° *subjectum,* sc. persona cui competit facultas; 2° *species,* ex qua differunt varia jura, sic proprietarius et locatarius habent quamdam facultatem circa domum, non tamen eamdem facultatem; 3° *materia,* ut supra dictum est; 4° *terminus,* sc. persona quæ ex alterius jure obligatur ad aliquid; 5° *titulus,* id est fons seu causa juris.

356. **Quid sit jus objective.** Exprimitur quando dico : justitia reddit unicuique quod *suum* est. « Hoc autem dicitur esse *suum* unicuique personæ quod ei secundum proportionis æqualitatem debetur[2]. » Unde in conceptu juris duo includuntur. 1° Ratio *debiti.* « Unicuique *debetur* quod *suum* est[3]. » Porro « *debitum* quamdam subjectionem et obligationem importat[4] ». Quando enim dico : hic

1. 2ª 2æ, q. 57, a. 1, ad 1 : « Hoc nomen *jus* primo impositum est ad significandum ipsam rem justam; postmodum autem derivatum est ad artem, qua cognoscitur quid sit justum; et ulterius ad significandum locum in quo jus redditur, sicut dicitur aliquis comparere in jure; et ulterius dicitur etiam quod jus redditur ab eo ad cujus officium pertinet justitiam facere, licet etiam id quod decernit sit iniquum. »

2. 2ª 2æ, q. 58, a. 11.

3. 1, q. 21, a. 1, ad 3.

4. *Pot.*, q. 10, a. 4, ad 8.

liber est *meus,* significatur hunc librum habere ad me aliquam specialem relationem dependentiæ quam non habet cum aliis personis. Ex quo sequitur jus importare quamdam relationem dependentiæ. « In nomine ergo *debiti* importatur quidam *ordo exigentiæ* vel necessitatis alicujus ad quod ordinatur[1]. » 2° Ratio *æqualitatis.* « Æqualitas est species proportionis : est enim æqualitas proportio aliquorum habentium unam quantitatem[2] », nam « sicut dicit Philosophus in 5 *Metaph.*, unum in substantia facit idem, unum in quantitate æquale, unum in qualitate facit simile[3] ». Unde « secundum Philosophum in 10 *Metaph.*, æquale dicitur per negationem majoris et minoris[4] ». Porro justitia reddit debitum ad æqualitatem. Unde jus objective idem est ac justum seu objectum justitiæ.

Præ aliis virtutibus hoc habet speciale justitia, quod sibi vindicet aliquod objectum absolute et secundum se. In aliis enim virtutibus constituitur rectum per solam commensurationem ad operantem, unde istæ virtutes imponunt tantum medium rationis, et ideo non datur temperatum secundum se sed per respectum ad agentem. Justitia vero, cum ordinet operationes ad alterum, constituit rectum per commensurationem ad alterum, ideo datur aliquid quod est secundum se justum, illud scilicet quod servat debitam æqualitatem, unde in justitia medium rationis est etiam medium rei (n. 270).

### § 2. — Juris divisiones.

357. I. Principalior divisio et quæ tribus significationibus communis est, est per *naturale* et *positivum.*

Jus *naturale* quod pendet a natura, jus *positivum* quod pendet a positiva determinatione legislatoris.

*a*) Si intelligatur de jure præceptivo : jus naturale est lex naturalis, jus positivum lex positiva.

*b*) Si intelligatur de jure subjectivo : jus naturale est facultas ab ipsa natura procedens, sic pater habet jus educandi filios; jus positivum est facultas procedens ex positiva determinatione legislatoris, sic jus locatarii in domo locata.

*c*) Si intelligatur de jure objective : jus naturale est illud justum, illa æqualitas quæ immediate profluit ex ipsa natura, sic furtum est

1. 1, q. 21, a. 1, ad 3.
2. 1, d. 19, q. 1, a. 1, ad 3.
3. *Ibid.*, in corp.
4. 1, q. 42, a. 1.

contra jus naturæ ; jus positivum illa æqualitas quæ resultat ex lege positiva, v. g. jus inter proprietarios finitimos.

358. II. **Jus præceptivum,** distinguitur sicut et lex (n. 297); hoc tamen excepto, quod non datur proprie jus æternum. Jus enim ordinat relationes unius ad alterum, sed ab æterno non erat alius præter Deum.

Distinguitur igitur : jus *naturale* et jus *positivum*. Jus positivum est vel *divinum* vel *humanum*. Jus positivum humanum est vel *ecclesiasticum* vel *civile*.

*Ratione materiæ :* Jus naturale dividitur jus *individuale* et jus *sociale*. Jus individuale ordinat relationes individuales hominum inter se abstrahendo a societate; jus sociale ordinat relationes sociales.

Jus sociale dividitur jus *privatum* et jus *publicum*. Jus privatum ordinat relationes hominum privatorum inter se; jus publicum ordinat relationes inter privatos et ipsam societatem.

Jus publicum dividitur jus *internum* et *externum*, seu internationale.

Et secundum hoc dividetur secunda pars hujus tractatus per quatuor libros, qui sunt : Jus *individuale*, jus *sociale privatum*, jus *publicum*, jus *internationale*.

Item juris privati pars illa quæ determinat jus generaliter est jus *civile;* quæ determinat jus in materiis particularibus dicitur jus *commerciale, rurale, silvestre, maritimum,* etc.....

Ad jus publicum pertinent jus *constitutionale, administrativum, pœnale,* quoad publicas *pecunias,* publicam *securitatem,* etc....

*Nota.* Jus *civile* dicitur multipliciter : 1° per oppositionem ad jus ecclesiasticum; 2° in antiqua Roma, ad designandum jus civium, per oppositionem ad jus extraneorum; 3° pro jure privato, per oppositionem ad jus publicum; 4° pro complexu legum quæ ordinant justum generaliter, per oppositionem ad materias speciales, jus commerciale, etc...

III. **Jus objective,** cum sit objectum justitiæ dividitur sicut et ipsa justitia. Cf. n. 280.

359. IV. **Jus subjective** (seu facultas) distinguitur multipliciter : 1° ratione *objecti,* prætermisso jure *jurisdictionis* quod auctoritati competit ut regat subditos in bonum subditorum, de solo jure agimus quod est in proprium commodum, et aliquando dicitur jus dominationis vel *dominii*. Dividitur jus *strictum* et jus *non strictum*. Jus strictum quod tum in se, tum quoad personas est determinatum et quidem ex stricto debito, ita ut vi coactionis exigi possit, v. g. jus proprietarii. Jus non strictum quod non ita determinatum est stricto debito ut vi coactionis exigi queat, v. g. jus ad eleemosynam. « Est duplex debitum,

scilicet *morale* et *legale;* unde et Philosophus in 8 *Ethic.*, secundum hoc duplex justum assignat. Debitum quidem legale est ad quod reddendum aliquis lege adstringitur; et tale debitum proprie attendit justitia quæ est principalis virtus. Debitum autem morale est quod aliquis debet ex honestate virtutis; et quia debitum necessitatem importat, ideo tale debitum habet duplicem gradum : quoddam enim est sic necessarium, ut sine eo honestas morum conservari non possit, et hoc plus habet de ratione debiti (ad hoc pertinent veracitas, gratitudo, vindicatio)... Aliud vero debitum est necessarium sicut conferens ad majorem honestatem : sine quo tamen honestas conservari potest. Quod quidem debitum attendit liberalitas, affabilitas et alia hujusmodi, quæ parum habent de ratione debiti[1]. »

Jus strictum distinguitur jus *in re* et jus *ad rem*. Jus in re est illud quod aliquis habet in re determinata jam sua. Jus ad rem est illud quod habet aliquis ut res fiat sua. Ex. gr., si quis apud venditorem librorum antiquorum emat librum rarissimum, respectu hujus libri habet jus in re. Si vero apud bibliopolam emat Bibliam editionis communis, tunc emptor habet jus ad rem, ut una Biblia fiat sua. Ad jus in re tres requiruntur conditiones : 1° ut res actu existat, 2° ut sit in individuo determinata, 3° ut subjectum eam sibi devinciat titulo legitimo vi cujus sit sua. Qui habet jus in re, rem vindicare potest, ipsique competit actio realis. Ad jus ad rem duo requiruntur : 1° ut res titulo justitiæ debita sit, 2° non tamen ita determinata ut supra. Ratione ejus competit actio personalis. — Ulteriores divisiones juris in re exponentur infra, de jure proprietatis, in altera parte.

2° Ratione *tituli,* distinguitur jus *personale* et jus *reale*. Licet enim sola persona si subjectum juris, tamen jus habetur aliquando ratione personæ, sic filius habet jus exigendi alimenta a patre; aliquando ratione rei, v. g. jura proprietarii.

3° ratione *originis,* distinguitur jus *connatum* et jus *adventitium*. Jus connatum est illud quod habet homo ab ipsa nativitate, et quidem vi naturæ independenter a quacumque alia conditione. Secus dicetur adventitium vel acquisitum. Sic homo habet jus connatum ad conservandam propriam vitam; econtra jus proprietatis est jus acquisitum, quia non competit homini ex vi solius naturæ, sed dependenter ab aliquo facto arbitrario.

4° ratione *qualitatis,* distinguitur jus *alienabile* et jus *inalienabile,* secundum quod potest vel non potest alienari. Res est in se clara, sed exsurgit difficultas : undenam proveniat quorumdam jurium inaliena-

1. 2ª 2æ, q. 80, a. 1.

bilitas. Dixerunt quidam jura connata esse inalienabilia, jura vero adventitia esse alienabilia, indeque occasionem sumpserunt reprobandi statum religiosum, eo quod per vota religiosa renuntietur juribus inalienabilibus. Sed hoc est falsum : jus independentiæ personalis est connatum, non tamen inalienabile; e contrario jura conjugalia sunt adventitia, et tamen inalienabilia. Non ergo ex titulo desumenda est ratio alienabilitatis vel inalienabilitatis jurium : sed ex necessaria connexione juris cum obligatione a qua homo se dispensare non potest. Sic ergo inalienabilia sunt jura quæ immediate vi solius naturæ enascuntur ex officio naturaliter indispensabili; quemadmodum enim nemo potest se eximere a tali officio, sic etiam non potest privari illo jure quod proxime in tali officio nititur (exempli gratia, jus patris ad educationem prolis). Erit contra alienabile omne jus quod, etsi ab ipsa natura immediate conceditur, minime tamen adjunctum habet naturale præceptum ut quis illud acquirat vel retineat, prout contingit in his quæ spectant ad legem naturæ permittentem, non præcipientem (v. g. jus proprietatis)[1].

5° per respectum ad *societatem,* distinguuntur jura *civilia, civica* et *politica.* Jura civilia determinant relationes personarum privatarum seu membrorum societatis inter se, v. g. jura quæ profluunt ex legibus circa proprietatem. Jura civica sunt jura membrorum societatis erga ipsum corpus sociale, v. g. jus exigendi ab auctoritate publica defensionem et securitatem personæ vel bonorum. Jura politica sunt jura ipsius societatis ad personas privatas, præcipue in his quæ pertinent ad publicam auctoritatem, v. g. potestas legislativa, judiciaria, jus eligendi.

### § 3. — De proprietatibus juris.

360. Tres recensentur juris proprietates quæ sunt : *limitatio, collisio* et *coactio.* Agitur de jure, quod est facultas.

I. **Limitatio** juris est determinatio confiniorum extra quæ jus evagari non debet. Stricte loquendo non est proprietas juris, cum omni enti finito commune sit habere naturam limitatam. Attamen quia in Sociologia debebimus limites determinare quorumdam jurium v. g. juris proprietatis, oportet hic investigare undenam proveniat juris limitatio.

Provenit principaliter ex duplici capite : 1° ab intrinseco, scilicet ex objecto, sic differunt jus locatarii et jus proprietarii; — 2° ab extrinseco, ex officiis quibus homo adstringitur, sic homo soli-

1. Schiffini, *Philosophia moralis*, t. I, n. 198.

tarius in campis plura potest agere quam posset in plateis urbis, et ea est restrictio quæ a modernis dicitur *pressio socialis*.

361. II. **Collisio**, vel melius *collisionis impossibilitas*. Metaphorice dicitur collisio ex ordine sensibili, ubi videmus duas vires occurrentes inter se collidi. In ordine physico naturalis est virium physicarum collisio : quando enim occurrunt, ad invicem opponuntur et si sint æquales in æquilibrio consistunt, si sint inæquales præponderat fortior. In ordine vero morali dari non potest collisio vera, sed solum apparens. Jus enim est facultas moralis profluens ex ordine essentiali rerum. Porro relationes humanæ, licet multiplices et variæ, tamen sunt ordinatæ, et in hoc consistit earum ordinatio quod inferiores subordinantur superioribus. Unde contra verum jus dari non potest jus verum, sed solum jus apparens, ideoque proprie non est jurium collisio, quia non succumbit jus inferius sub jure potiori, sed cedit superiori ordini essentiali rerum. Ex multis exemplis duo referri possunt manifestiora, casus videlicet extremæ necessitatis et casus legitimæ defensionis : in casu extremæ necessitatis omnia sunt communia, unde cedit jus proprietatis juri conservandi suam vitam ; item, licet propriam vitam defendere etiam cum occisione injusti agressoris, si necesse fuerit.

*Quæres.* In casu apparentis collisionis quomodo discernetur jus superius quod præstare debet alteri? In abstracto enim facile declaratur jus inferius cedere præstantiori, sed in concreto, quodnam sit jus præstantius?

*Respondeo,* jurium subordinationem determinari ex objecto. Jus enim cum sit facultas, habet pro objecto, vel materia, vel fine (quæ omnia unum sunt, n. 166) aliquod bonum, unde secundum subordinationem bonorum erit subordinatio jurium. Porro *a*) bona ordinis inferioris cedere debent bonis ordinis superioris, et sic in extrema necessitate, propria vita præstat bonis fortunæ alterius, ideo suspenditur jus proprietatis et omnia sunt communia ; *b*) in eodem ordine, attenditur ordinatio secundum relationem ad principium hujus ordinis, et ex hoc capite declarat S. Thomas ($2^a$ $2^{æ}$, q. 26) ea quæ pertinent ad ordinem charitatis.

362. III. **Coactio** in genere est vis physica alteri illata ut id faciat vel omittat quod ipse recusat. Unde vis coactiva vel coactivitas juris est facultas adhibendi vim physicam ad tutandam juris inviolabilitatem.

*Kantius* et multi recentiores dicunt jus essentialiter consistere in ipsa coactivitate, indeque discerni ordinem juridicum ab ordine morali.

*Conclusio* $1^a$. **Jus est coactivum, id est coactivitate præditum.**

*Probatur.* 1° Jus est potestas moralis agendi. *Atqui.* Qui habet potestatem moralem agendi, habet potestatem moralem removendi impedimenta quæ sibi indebite opponuntur, in quo consistit coactio. *Ergo.*

2° Juris inviolabitas inducit obligationem aliorum. *Atqui.* Obligatio admittit coactionem. *Ergo.*

*Scholion.* Vis coactiva juris duo complectitur, scilicet defensionem ne jus lædatur, et condignam ultionem ut illata injuria reparetur, pro duplici momento quo considerari potest juris offensio, sive ante factum, sive post factum. Ex his duobus integratur illud officium quod supremæ auctoritati incumbit, ut dicemus in Sociologia, et dicitur *tutela juris.*

*Conclusio* 2ª. **Coactivitas non constituit essentiam juris, sed est proprietas consequens jus.** Contra *Kantium.*

*Probatur.* Jus est potestas agendi. *Atqui.* Potestas agendi concipitur prius in se existens quam prædita vi cogendi. *Ergo.*

*Conclusio* 3ª. **A fortiori actualis agendi potestas non pertinet ad essentiam juris.**

*Probatur experientia,* quia sæpius jus verum injuste per violentiam impeditur a suo legitimo exercitio. Non tamen ideo perimitur jus, sed intactum manet, etiam sub violenta oppressione. Unde in Syllabo, prop. 61 : *Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert*[1].

*Conclusio* 4ª. **In societate ordinata, juris coactivitas generatim reservatur auctoritati publicæ.**

*Probatur.* Id enim necessarium est ad præcavenda pericula abusus, nam « *a*) difficile est ut quisque sit judex in propria causa : unde vindicatio posset haberi vel injuriæ omnino fictæ, vel in personam quæ eam non intulit ; *b*) difficillimum est ut iratus intra debitos limites vindictam exerceat : unde compensatio exigeretur major damno, vel vis exerceretur plane improportionata, aut nullo modo necessaria ; *c*) sæpissime viribus prævalerent iniquiores[2] ». Unde ut dicemus in Sociologia, tutari jura proprium munus est auctoritatis publicæ. « In societate hominum nullus habet coactionem nisi per publicam potestatem[3]. »

Dicitur in Conclusione *generatim,* quia excipitur casus legitimæ defensionis, propter impossibilitatem recurrendi ad auctoritatem publicam. Item supponitur societas *ordinata ;* si enim societas non sit perfecte ordinata, propter idem motivum necessitatis, admitti poterit

1. Denzinger, n. 1761.
2. Schiffini, *Disput. Philos. mor.*, t. I, n. 234.
3. 2ª 2æ, q. 66, a. 8.

exceptio : ita aliquando lex dicta *Lynchiana* non fuit, sicut nunc, injusta, quando scilicet nimis difficilis erat recursus ad potestatem publicam.

## ARTICULUS II

### *De officio in se.*

363. **Notio officii.** Jus, cum sit potestas inviolabilis, importat quamdam obligationem in aliis hominibus : Hæc obligatio dicitur *officium.*

Quoad etymologiam, officium ab *efficientia* derivatur, quia indicat illud quod quis facere seu agere tenetur[1].

Officium subjective est igitur obligatio moralis ; objective est ipsa actio vel actionis omissio ad quam obligamur. Tandem officium denotat etiam exercitium alicujus generis actionum ad quod quis deputatur, nam « dicuntur in diversis officiis esse qui sunt ad diversas actiones deputati[2] ».

Officium est quædam obligatio moralis, non tamen quælibet obligatio moralis est officium in sensu supra exposito, scilicet in ordine ad jus. Unde duplex distingui potest obligatio moralis, una per respectum ad jus alterius et dicitur obligatio *juridica;* altera quæ non importat ordinem ad jus alterius et est obligatio *mere ethica.*

**Divisiones.** Officia dividuntur sicut et jura : 1° *naturalia* et *positiva;* 2° *connata* vel *adventitia* (n. 359, 5°); insuper, 3° ex parte legis : *affirmativa* et *negativa* (n. 280); 4° ex parte termini, *erga Deum,* vel *proximum,* vel *seipsum ;* tandem 5° *juridica* vel *non juridica,* prout respondent juri stricto vel non stricto alterius.

## ARTICULUS III

### *De jure et officio inter se comparatis.*

364. **Relatio juridica.** Jus-facultas est quædam relatio (n. 355); obligatio juridica est etiam quædam relatio (n. 363). Utriusque relationis complexus a modernis dicitur *relatio juridica.* De facto, relatio juridica modernorum idem est ac jus objective seu *justum* antiquorum; unde etiam apud modernos relatio juridica sæpius dicitur *jus* sine addito.

**Ordo juridicus.** Datur ordo *physicus,* qui est complexus

1. 2ª 2æ, q. 183, a. 3, ad 2.
2. *Ibid.*

omnium entium physicorum; datur ordo *moralis,* qui est complexus omnium entium moralium (n. 14). Similiter *ordo juridicus* est complexus omnis juris. Ordo juridicus directe oritur ex relationibus juridicis, non vero immediate ex earum terminis quæ sunt jus et officium. Et sicut ordo moralis comprehendit non solum actus morales, sed ea omnia quæ ordinem habent ad actus humanos, ut sunt virtutes et leges, ita ordo juridicus qui directe resultat ex relationibus juridicis simul comprehendit omnia jura et omnia officia necnon et omnes leges correspondentes. Definitur ordo juridicus : *Complexus omnium relationum juridicarum, id est jurium et officiorum necnon et legum correspondentium.* Ubi nota tres significationes juris : per *relationes juridicas,* intelligitur jus-justum seu objective; per *jura,* jus-facultas seu subjective; per *leges,* jus-lex seu præceptivum. Unde etiam ordo juridicus sæpius dicitur *jus* sine addito.

Jus et officium inter se comparata considerari possunt, vel quoad præcedentiam (§ 1), vel quoad oppositionem (§ 2).

### § 1. — Quoad præcedentiam.

365. *Conclusio* 1ª. **Ontologice loquendo prius est jus quam officium.**

*Probatur,* quia in Deo ante creationem præexistebat jus, quando nullum erat officium.

*Conclusio* 2ª. **In homine, prius est officium quam jus.**

*Probatur,* quia ex ipso facto existentiæ oriuntur officia erga Deum et deinde sequuntur alia jura.

*Conclusio* 3ª. **Si considerentur relationes duorum hominum inter se, officium unius oritur ex jure alterius.** Contra Taparelli, Zigliara, de Pascal.

*Probatur.* Ideo teneor ad solvendum tale debitum, quia alter habet jus exigendi et non vice versa.

*Objiciunt :* Jus et officium cum sint corelativa, neutrum pendet ab altero, sed utrumque pendet a superiori, id est a lege. — *Respondeo* Pater et filius sunt corelativi et tamen filius pendet a patre. Unde licet jus-facultas et officium pendeant a superiori, id est a *justo,* sunt simul simultate temporis, non tamen simultate naturæ.

### § 2. — De suspensione juris.

366. Agitur hic de *casu necessitatis,* ad explicandum effatum : *necessitas non habet legem.* Per *necessitatem* intelligitur casus ille

in quo homo officium implere non potest sine periculo imminentis alicujus mali. Necessitas igitur in hoc sensu est quædam impossibilitas agendi vel non agendi, unde sæpius etiam dicitur : *ad impossibile nemo tenetur.* Quæ tamen axiomata sane deben t intelligi ne indebite protendantur, et cum agatur de conflictu inter necessitatem et officium, utrumque sedulo considerandum est.

I. *Necessitas* est triplex : 1° *extrema,* in qua imminet malum extremum, id est mors vel aliud malum quod timeatur quasi æqualiter ; 2° *gravis,* in qua imminet malum grave in sanitate, fama, rei familiaris statu, etc... 3° *communis,* qua imminet malum commune et non tanti momenti. De hac necessitate communi non agitur hic, quia certe non excusat a lege.

II. *Officium* quod oritur a præcepto jubente dicitur *affirmativum,* a præcepto vetante dicitur *negativum.* Præceptum affirmativum præcipit positionem actionis honestæ, negativum omissionem actionis pravæ.

367. *Conclusio* 1ª. **Nulla necessitas eximit ab adimplendo præcepto negativo legis naturalis.**

*Probatur.* 1° In quacumque necessitate malum imminens est malum physicum et præcepti violatio est malum morale. *Atqui.* Inter duo mala vitanda, ratio dictat majus malum esse vitandum : hoc autem est malum morale. *Ergo.*

*Dices :* Valet hoc argumentum etiam pro præcepto affirmativo, nam etiam præcepti affirmativi violatio est malum morale et tamen in conclusione sequenti dicemus necessitatem gravem eximere a præcepto affirmativo. — *Respondeo :* manifestatur ratio differentiæ inter utrumque præceptum ex argumento sequenti.

2° Essentiæ rerum sunt immutabiles. *Atqui.* Actus prohibitus per præceptum negativum legis naturalis est essentialiter malus. *Ergo.* Nulla necessitate fieri potest ut talis actus sit bonus.

Unde tot millia Martyrum vitæ jacturam passi sunt, ne verum Deum negarent. Unde etiam ethnicus scripsit Poëta :

> Summum crede nefas animam præferre pudori
> Et propter vitam vivendi perdere causam[1].

Hinc specialis, imo unica illa nota indispensabilitatis ratione cujus obligatio moralis dicitur *categorica.*

368. *Conclusio* 2ª. **Necessitas extrema vel etiam gravis eximit ab officio adimplendi præceptum legis natu-**

1. Juvenalis, *Satir.* 8.

**ralis positivum, — dummodo talis exemptio non involvat transgressionem præcepti negativi** ($2^a 2^{ae}$, q. 3, a. 2).

*Probatur* 1ª *pars.* In hoc differt præceptum affirmativum a præcepto negativo quod præceptum negativum obligat pro semper, præceptum vero affirmativum non obligat pro semper, sed solum data opportunitate. Ideo præceptum negativum nullam admittit exemptionem : quod enim intrinsece malum est non potest unquam esse non malum ; sed præceptum affirmativum, cum non obliget nisi data opportunitate, cessat obligare quando cessat dicta opportunitas. *Atqui.* In casu necessitatis, cessat ista opportunitas, ex dictis de collisione jurium (n. 361). *Ergo.*

2ª *pars declaratur,* exemplo senis Eleazar, qui renuit edere carnes licitas ad evitandum scandalum aliorum.

*Conclusio* 3ª. **Idem dicendum est de præceptis legis positivæ, sive divinæ, sive humanæ.**

*Probatur, a fortiori,* ex ratione præcedentis conclusionis, et insuper quia recte præsumi potest legislatorem non habere intentionem obligandi cum tanto dispendio; unde effatum : *lex non obligat cum tanto incommodo.*

## ARTICULUS IV

### *De subjecto juris et officii.*

369. Per respectum ad Deum. Deus habet jura et nullum officium. Homo erga Deum habet officia et nullum jus.

Per respectum ad entia creata. Circa hoc duplex est error : 1° per *excessum.* *a*) *Pythagoras, Empedocles,* ex errore Metempsychoseos vera jura tribuebant bestiis, ut declaratur a Cicerone : « Non mediocres viri, sed maximi et docti, Pythagoras et Empedocles unam omnium animantium conditionem juris esse denunciant, clamantque inexpiabiles pœnas impendere iis a quibus violatum sit animal. Scelus est igitur nocere bestiæ [1]. » Imo quibusdam bestiis religiosus exhibebatur cultus in Oriente. *b*) *Gerson* multa tribuit animalibus jura, v. g. dominium herbarum quæ illis concessæ sunt in pabulum, item principatus apud apes, formicas, etc... *c*) *Ahrens* tenet animalibus competere jus ut non cogantur ad aliquid subeundum quod eorum sensibili naturæ repugnet. *d*) *Damiron* docet universas creaturas esse filias Dei et sorores hominum ; — 2° per *defectum.* In antiquitate quolibet jure pri-

1. *De Republ.*, l. 3, c. 11.

vabantur servi seu mancipia, qui habebantur non ut personæ sed ut res omnis juris expertes. Dubitaverunt aliqui de infantibus et amentibus.

370. *Conclusio* 1ª. **Omne et solum ens rationale subjectum juris esse potest.** Per ens rationale intelligitur *persona*, etiam persona *moralis*.

*Probatur* 1ª *pars*, scilicet omne ens rationale. Jus est facultas moralis. *Atqui*. Facultas moralis fundatur non in actuali volitione (secus nec dormientes nec ebrii jus aliquod haberent), sed in potentia voluntatis quam habent infantes et amentes, et sic possunt velle interpretative. *Ergo*.

*Dices :* Hac facultate uti non possunt. *Respondeo*. Infantes ad usum rationis pervenire debent et tunc rebus suis uti poterunt. Amentes vero per accidens privantur usu rationis, sed lex respicit ea quæ per se contingunt, non ea quæ per accidens.

*Probatur* 2ª *pars*, scilicet solum ens rationale. Jus est facultas moralis. *Atqui*. Morale dicitur quod procedit ex intellectu et voluntate. *Ergo*. Solum ens rationale est capax juris. — *Confirmatur*. Cum bestiæ non habeant officia erga homines, si nos officia haberemus erga bestias, ipsis bestiis inferiores essemus.

*Corollarium* 1ᵐ. Bestiæ conceduntur homini ad utilitatem. Ergo bestiis uti potest homo sine injuria.

*Corollarium* 2ᵐ. Ergo vivisectio non est per se illicita, id est si abstineatur a dolore inutili.

*Objicies*. Crudelitas erga animalia est peccatum. *Ergo*. Contra animalia peccari potest. —*Respondeo*. Crudelitas est peccatum, *distinguo :* peccatum contra bestias, *nego;* contra seipsum, *concedo*, quatenus scilicet delectari de cruciatu aliorum est contra ordinem rectum. Insuper recte prohibetur crudelitas erga animalia propter periculum, quia de crudelitate erga bestias facile fit transitus ad crudelitatem erga homines. Sed occidere bestias propter utilitatem non est crudelitas.

*Conclusio* 2ª. **Omne et solum ens rationale potest esse subjectum officii juridici.**

*Probatur* 1ª *pars*, scilicet omne ens rationale. Duplex est obligatio moralis. Aliquando enim obligationis violatio inducit culpam moralem, aliquando solum culpam juridicam. *Atqui*. Infantes et amentes, licet incapaces culpæ moralis, tamen capaces sunt culpæ juridicæ, ratione v. g. alicujus rei quam possident. *Ergo*.

*Probatur* 2ª *pars*, scilicet solum ens rationale, bestiæ enim prorsus incapaces sunt cujuslibet obligationis moralis, et si quando puniantur,

non fit ex eo quod proprie demeruerint, sed ut memoria doloris avertantur a quibusdam actibus.

## ARTICULUS V

### *De ordine juridico naturali.*

#### § 1. — Num detur ordo juridicus naturalis.

371. De ordine juridico positivo nulla est difficultas. Sed dubitatur an debeat admitti jus aliquod quod omnem legem positivam præcedat et a lege positiva sit independens.

**Errores.** Sunt plurimi et comprehenduntur sub communi nomine *Positivismi juridici,* qui affinis est Positivismo morali (n. 140). Hodie quasi omnes tum Philosophi, tum Juristæ, extra scholam Catholicam, adhærent Positivismo morali, licet forte novissimis hisce temporibus videantur aliqui magis accedere ad doctrinam traditionalem. Inter istos recensentur : 1° omnes illi qui tenent auctoritatem civilem (*Hobbes, Bentham, Hartmann*) vel ipsam societatem (plurimi ex recentioribus) esse fontem omnium jurium; 2° Schola historica (*de Savigny*) tenet jus procedere ex evolutione tum legis scriptæ tum præcipue consuetudinis, eo ferme modo quo processit evolutio linguarum; 3° *Rousseau* (licet naturalista) derivat omne jus actuale ex pacto expresso vel tacito, quo condita est societas per abdicationem omnium jurium individualium.

372. **Falsæ notiones juris naturalis.** Objectiones quæ adversus jus naturale circumferuntur sæpius procedunt ex male intellecta notione juris naturalis.

1° *Dicunt quidam :* Jus naturale est quod natura omnia animalia docuit. Ita definitur in jure Romano, unde jus naturale esset jus quoddam commune homini, et aliis animalibus. — *Sed contra,* jus pertinet essentialiter ad ordinem moralem, a quo excluduntur animalia bruta.

2° *Existimant alii* jus naturale comprehendere ea jura quæ habentur ex nativitate, seu jura connata. — *Sed contra,* sunt jura naturalia acquisita, v. g. jus proprietatis.

3° *Dicit Spinoza* id esse jus naturale ad quod unumquodque naturaliter inclinatur, naturaliter, id est ab intrinseco. — *Sed contra,* non quælibet inclinatio ab intrinseco est recta, sed solum ea quæ est naturalis, id est procedens ex ipsa natura.

4° *Existimant alii* jus naturale esse quoddam jus idealiter perfectum

ad quod tendit natura quin possit unquam illud attingere. — *Sed contra,* jus naturale non est ideale in hoc sensu quod ideale opponitur reali, jus naturale est vere jus reale.

5° *Existimant alii* jus naturale esse regulam relationum hominis viventis in statu naturæ. — *Sed contra,* ipsa societas est naturalis homini, unde etiam multa jura socialia sunt naturalia.

Contra quos omnes dicimus esse jus naturale illud quod essentialiter profluit a natura hominis, per oppositionem ad jus positivum quod pendet a lege positiva.

373. *Conclusio.* **Datur verum jus naturale ex quacumque lege positiva prorsus independens.**

*Probatur.* 1° *De facto,* plura sunt jura independenter a societate et lege positiva. Habeo jus ad vitam, ad libertatem, non ex eo quod sum in societate et non ex sola lege positiva. Item multæ actiones sunt injustæ natura sua, v. g. homicidium. Imo, hic falso opponitur societas naturæ, quasi pertinentia ad societatem necessario sint non naturalia. Econtra, ut dicemus in Sociologia, homo est naturaliter socialis, unde societas est quid naturale, non arbitrarium; et consequenter ea quæ profluunt necessario ex natura societatis naturalia sunt et non arbitraria. Ad rem S. Thomas : « Cuicumque est aliquid naturale oportet etiam esse naturale id sine quo illud haberi non potest. Est autem homini naturale quod sit animal sociale..... Ea igitur sine quibus societas humana conservari non potest sunt homini naturaliter convenientia. Hujusmodi autem sunt : unicuique quod suum est conservare et ab injuriis abstinere. Sunt igitur aliqua in humanis actibus naturaliter recta[1]. »

2° *Ex necessario nexu juris cum officio.* Qui habet officium, eo ipso habet jus adimplendi illud. *Atqui.* Homo multa officia habet ex lege naturali, independenter a lege positiva, v. g. ex natura tenetur pater educare filios. *Ergo,* plura jura habet homo ex lege naturali, independenter a lege positiva.

3° *Ex necessitate fundamenti juris positivi.* Sublato jure naturali, non datur juris positivi solidum fundamentum. Undenam procederet? Dicunt : ex lege civili, vel ex consuetudine seu persuasione populi, vel ex pacto, vel ex societate. — *Sed contra.* Circa hoc proprie versatur difficultas : Lex civilis vel societas, undenam habeant vim obligandi? Ex se sunt vis, non jus, et de facto ita considerantur ab anarchistis. Nos vero dicimus : Obligat lex civilis, obligat Societas, sed per dependentiam a lege naturali quæ jubet : superioribus legitime

1. *Cont. Gent.*, l. 3, c. 129.

præcipientibus debetur obedientia, et sic jus naturale est verum fundamentum juris positivi. Jus vero naturale, sicut et lex naturalis, ultimatim fundatur super legem æternam (n. 318).

4° *Ex absurdis consequentiis.* Si jus omne penderet a lege positiva, *a*) nulla lex vel consuetudo esset injusta; *b*) lege permittente, posset homo tractari ut brutum; *c*) impossibile esset jus internationale. Equidem recentius crevit jus quoddam internationale positivum, sed inter varias gentes admitti debet aliqua justitia quæ ordinet relationes internationales, quæ non tota pendet a pactis arbitrariis.

*Objiciunt* 1°. Finis juris est ordinare relationes sociales. *Atqui.* Hoc pertinet ad societatem per legem positivam. *Ergo.*

*Respondeo.* Finis juris est ordinare relationes sociales, *distinguo majorem :* relationes hominum viventium in societate, *concedo;* relationes procedentes a societate tantum, *nego.* Item *distinguo minorem :* hoc pertinet ad societatem, *concedo;* ad societatem solam et independenter a lege naturali et a lege æterna, *nego.* Jus quidem ordinat relationes sociales hominum inter se. Sed per relationes sociales intelligi possunt relationes hominum viventium in societate et sic dantur quædam relationes anteriores ipsi societati, — vel intelliguntur relationes profluentes a societate, et istæ pendent quidam a societate, sed possunt aliquando esse naturales, quia et ipsa societas naturalis est.

*Objiciunt* 2°. Jus naturale est aliquid abstractum, universale et consequenter ideale. Scientia vero moderna non considerat abstractiones, sed solum realitates. Cum igitur non existat in concreto nisi jus positivum, vel rejiciendum est jus naturale, vel saltem dimittendum ut *metempiricum.*

*Respondeo.* Hic aperitur fons omnium difficultatum quas movent moderni adversus jus naturale. Quæ tamen proprie non sunt ordinis juridici, sed metaphysici ; unde scribentes de Philosophia juris consueverunt præmittere dissertationem de methodo cognitionis nostræ [1], statuuntque nihil admittendum esse nisi demontretur ex criteriis methodi positivæ, et cum in ipso conceptu juris introduxerint rationem juris positivi, non est mirum si extra jus positivum non agnoscant aliud jus. Non est hujus loci impugnare methodum positivistarum. In scientiis quidem naturalibus optimos peperit effectus, sed ad ipsam limitari non potest cognitio nostra, nisi simul mutiletur mens humana. Nec valent objectiones præsentes Positivistarum. Falsum est jus naturale esse quid a priori et mere abstractum. Quando dico : habeo

1. Cf. Vanni, Groppali, etc.

jus ad vitam et istud jus est naturale, asseritur quoddam jus concretum, et reale. *Nec valet objectio :* Jus naturale profluit a natura hominis. Sed natura humana est quid abstractum, universale et ideale. *Respondeo :* Hic instauratur antiqua controversia de Universalibus. Distinguitur universale formaliter et fundamentaliter. Natura quidem humana si consideretur formaliter prout est abstracta, universalis et idealis, non est quid reale, *concedo*. Sed quando consideratur homo, tunc habetur natura humana concreta et realis, et hoc dicitur universale fundamentaliter. Jus vero naturæ profluit non a natura formaliter ut est abstracta et universalis, sed a natura physica et reali, et sicut naturale est oleum stare super aquam, ita naturale est superiorem habere jus præcipiendi inferioribus.

### § 2. — De jure gentium.

374. In modernorum terminologia *jus gentium* sæpius idem sonat ac jus internationale. Non sic apud antiquos qui tamen non uniformiter videntur hanc denominationem accipere.

In Institutis Justiniani, libri 1 titulus 2 inscribitur : *De jure naturali, gentium et civili*. Unde quæritur : utrum jus adæquate dividatur per jus naturale et jus positivum, vel tertium divisionis membrum accipi debeat, nempe jus gentium. Si vero adæquata sit bifaria divisio juris per naturale et positivum, ulterius dubitari potest utrum jus gentium pertineat ad jus naturale an ad jus positivum. Circa hoc olim acerrime disputarunt juristæ.

Ad S. Thomam quod attinet, S. Doctor admittit jus adæquate dividi per naturale vel positivum. Jus vero gentium aliquando reponitur sub jure naturali, aliquando sub jure positivo. Sub jure positivo : « Dividitur jus positivum in jus gentium et jus civile, secundum duos modos quibus aliquid derivatur a lege naturæ[1]. » Sub jure naturali : jus naturale « potest contingere dupliciter : *uno modo*... a jure naturali sic dicto recedit jus gentium. *Alio modo... et hoc modo, jus gentium* est naturale homini secundum rationem naturalem quæ hoc dictat[2] », unde « servitus pertinens ad jus gentium est naturalis secundo modo, sed non primo modo[3] ».

Unde etiam acerrime disputatum est inter Theologos de mente S. Thomæ. Nec solum quæstio est de verbo ; nam hodie aliqui ex Catholicis Socialismo plus æquo faventes ex hac S. Thomæ doctrina

1. 1ª 2æ, q. 95, a. 4.
2. 2ª 2æ, q. 57, a. 3.
3. *Ibid.*, ad 2.

falsas eduxerunt conclusiones ; ex S. Thoma jus proprietatis pertinet ad jus gentium, si vero jus gentium pendeat a lege humana, ergo proprietas quæ a lege humana originem trahit, etiam a lege humana supprimi potest, quod est Socialistarum effatum. Ideo perspicue exponenda est juris gentium ratio.

Ante omnia notandum est jus naturale æquivoce dici in jure Romano, loco citato. 1° Definitur : « Jus naturale est quod natura omnia animalia docuit. Nam jus istud non humani generis proprium est, sed omnium animalium quæ in cœlo, quæ in terra, quæ in mari nascuntur... Videmus etenim cetera quoque animalia istius juris perita censeri. » 2° In fine ejusdem tituli legimus : « Sed naturalia quidem jura quæ apud omnes gentes peræque servantur, divina quadam providentia constituta, semper firma atque immutabilia permanent. » Altera hæc notio juris naturalis, longe perfectior et antiquæ juristarum traditioni conformior, desumpta est ex *Gaio*. In principio enim Romanæ potestatis, solum existebat jus civile, id est jus civium, quia extranei nullo jure fruebantur in civitate. In decursu vero sæculorum, cum crevissent relationes civium cum extraneis, tunc istis extraneis applicatum est jus gentium quod distinguebatur a jure civili : « Vocatur *jus civile* quasi jus proprium ipsius civitatis. Quod vero naturalis ratio inter omnes constituit, id apud omnes populos peræque custoditur, vocaturque *jus gentium* quasi quo jure omnes gentes utuntur[1]. » Tandem sæculo III post Christum *Ulpianus* tradidit definitionem priorem, quæ potius corruptela dicenda foret, et incallide inserta fuit in Digesto et Institutis Justiniani.

Sic igitur, si accipiatur Ulpiana definitio juris naturalis, jus gentium non pertinet ad jus naturale. Si vero retineatur melior et antiquior notio a Gaio tradita, jus gentium pertinet ad jus naturæ. Ita S. Thomas, $2^a\ 2^{æ}$, q. 57, a. 3 et *in* 5 *Ethic.*, l. 12 : « Utrumque horum (scilicet jus naturale et jus gentium juristarum) comprehenditur sub justo naturali prout hic a Philosopho accipitur. » Cf. *Suppl.* q. 65, a. 1, ad 4 : « Jus naturale multipliciter accipitur », etc...

Hæc dicta sint ad exponendam antiquorum terminologiam, quia hodie jus adæquate dividitur per naturale et positivum et dimittitur jus gentium.

1. *Instit. Justiniani*, l. c.

### § 3. — De relatione inter ordinem juridicum et ordinem moralem seu inter jus et ethicam.

Agitur de ordine juridico naturali, nam in pluribus jus positivum non pendet nisi indirecte et remote ab Ethica.

375. Communis modernorum sententia, adumbrata apud *Grotium, Puffendorfium, Thomasium,* sed expolita a *Kantio* et *Fichte* tenet jus et ethicam esse duas res omnino diversas et independentes. Multipliciter enim differunt : 1° fonte, quia ethica procedit a legislatione interna rationis autonomæ, et jus a legislatione externa ; 2° fine, quia lex interna pro fine habet libertatem internam seu independentiam ab omni alio motivo ac motivum officii, et lex externa pro fine habet libertatem externam, eam scilicet quæ coexistere debet cum æquali libertate omnium; 3° objecto, quia ethica versatur circa actiones interiores, intentiones voluntatis, jus circa actiones exteriores. Unde ethica est subjectiva, pendet ab intentione agentis ; jus vero est objectivum, independens ab intentionibus; 4° effectu, quia ethica excludit coactionem, jus vero admittit coactionem.

Ordo juridicus definitur a Kantio : *complexus conditionum quæ requiruntur ut libertas unius cum æquali libertate omnium secundum universalem legem libertatis consistere possit.*

*Conclusio.* **Ordo juridicus non est diversus ab ordine morali, sed sub ipso continetur tanquam pars sub toto.**

*Probatur.* Utriusque ordinis habitudo desumitur ex habitudine quam inter se habent utriusque ordinis objectum et finis. *Atqui.* Ordinis juridici objectum et finis continentur sub objecto et fine ordinis moralis sicut pars sub toto. *Ergo.*

*Probatur minor. a) de objecto.* Ordinis moralis objectum est actio humana ut sic, comprehendit humanæ activitatis exercitium in tota sua universalitate; ordinis juridici objectum est actio humana per respectum ad alios homines, *ergo* objectum juris continetur sub objecto ethicæ ut pars sub toto. — *b) de fine.* Ordinis moralis finis est finis hominis ut sic, id est finis simpliciter ultimus ; ordinis juridici finis est bonum sociale, finis hominis in societate. Sed iste finis est finis magis particularis quam finis simpliciter ultimus ac consequenter ei subordinatur. — Ex duplici ergo capite pendet jus ab ethica : *a)* et ex ratione partis, quia ethica statuit rectitudinem in omnibus actibus humanis, jus vero in actibus qui sunt ad alterum; *b)* et ex ratione finis, quia finis juris utpote particularis subordinatur universaliori fini ethicæ.

*Corollarium* 1^m^. Latius patet ordo moralis quam ordo juridicus : nam stricte ad ordinem juridicum non pertinet nisi virtus justitiæ, ordo vero moralis comprehendit quatuor virtutes cardinales, ideo ordo juridicus est pars integralis ordinis moralis.

Indeque manifestatur quare rectum juridicum quibusdam gaudet specialibus attributis quæ non competunt recto morali : quæ enim conveniunt uni parti integrali non necessario conveniunt aliis partibus. Et sic facile discernitur quid veri contineant supra recensitæ differentiæ inter ethicam et jus. 1° Ethica et jus ultimatim procedunt ex lege æterna (n. 318 et 380). 2° Ethica et jus habent eumdem finem ultimum. 3° Ethica et jus versantur circa actiones tum interiores tum exteriores; unde falsum est : *a*) actiones exteriores non pertinere ad ethicam, cum ipsa debeat ordinare omnem activitatem humanam; *b*) vel intentiones nullimode pendere ad jus, ad judicandum enim de delicto, sæpius consideranda est intentio agentis. Specialius tamen juri tribuuntur actiones exteriores quia relationes hominum inter se, quas rectificat jus, principaliter consistunt in actionibus[1]. Item Ethica et jus partim sunt quid subjectivum et partim quid objectivum. Ratio tamen objectivitatis magis proprie competit juri, quia justitiæ proprium est quod medium rationis sit etiam medium rei. 4° Ethica ex se nec includit nec excludit coactionem; sed pars quædam Ethicæ, scilicet jus, includit coactionem externam et pars altera non includit coactionem externam. Attamen ex dictis supra de sanctione legis naturalis, constat nec ethicam carere sua sanctione.

Sic etiam solvitur objectio adversariorum. Dicunt : Jus extendit se ad actiones inhonestas, v. g. si proprietarius a domo expellat familiam pauperem hieme, actio quidem est justa et tamen crudelis et consequenter inhonesta. Ergo, aliud ordo juridicus, aliud ordo moralis. — *Respondeo.* Jus potest se extendere ad actiones inhonestas, *distinguo :* inhonestas, in materia justitiæ, *nego;* in materia aliarum virtutum, *concedo.* Ex hoc sequitur justitiam non sufficere ad rectificandas omnes relationes hominum inter se et semper, sed solum in certa materia limitata, in materia debiti stricti; aliquando tamen exercitium juris ordinari debet ex alio respectu et sic in casu proposito, expulsio est justa, quia conformis justitiæ strictæ et tamen inhonesta, quia repugnat virtuti misericordiæ.

*Corollarium* 2^m^. Sic manifestatur differentia inter officium juridicum et officium mere ethicum, — inter legem juridicam et legem moralem — inter jus et ethicam : Jus constituit ordinem in materia justitiæ

1. 2^a^ 2^æ^, q. 58, a. 8 et 9.

strictæ, ethica in omni materia activitati humanæ subjecta. Cavendum igitur ab æquivocatione latenti in verbo Ethica : Aliquando Ethica vel ordo moralis comprehendit omnem activitatem humanam et sic jus naturale est pars ethicæ. Aliquando nomen *ethicum* applicatur illi parti ordinis moralis quæ remanet extra materiam justitiæ strictæ, quæ scilicet versatur circa materias aliarum virtutum : et in hoc sensu ethica et jus opponuntur ut duæ partes unius totius. Ideo ad vitandam confusionem melius dicitur : officium *mere* ethicum, lex *mere* moralis.

*Nota.* Ad ordinem juridicum stricte non pertinet nisi virtus justitiæ : aliæ tamen virtutes possunt esse materia justitiæ legalis, sic in Ethica speciali demonstrabimus suicidium, ebrietatem, invidiam, quæ tamen ad materiam justitiæ directe non pertinent, esse mala socialia et sic ordini juridico subjici possunt. Imo si considerentur relationes hominis ad alterum in sensu latiori, quatenus comprehendunt etiam relationes ad Deum, tunc ordo juridicus perfecte adæquatur ordini morali, quia homo quoties violat legem moralem eo ipso lædit jus supremi legislatoris. Unde in altera parte hujus tractatus, integra Ethica specialis in quatuor libros dividetur secundum divisionem ipsius juris naturæ.

### § 4. — De primo principio ordinis juridici.

376. Agitur hic de primo principio cognoscitivo, in sensu supra exposito (n. 305) de primo principio ordinis moralis.

Apud *Kantium, generalis lex juridica* hæc est : « Ita exterius age, ut liber usus tuæ libertatis cum libertate uniuscujusque secundum legem universalem simul consistere possit. » Unde multi in Germania ultimum juris principium reponunt in hominis libertate vel personalitate abstracte considerata. (Cf. Meyer, *Institut. Jur. Nat.*, t. I, n. 579-588).

*Meyer* tenet summum juris naturalis principium hac universalissima lege juridica contineri : *Rectum vitæ socialis ordinem servato.* Quæ tamen formula nimis favere videtur opinioni eorum qui tenent jus ita essentialiter esse sociale ut non detur jus individuale. Societas enim dupliciter intelligi potest : in sensu proprio, et sic non omne jus est sociale, nam dantur jura individualia independenter a societate ; in sensu latiori, ad significandum simplicem coexistentiam duorum hominum, minus tamen proprie diceretur hæc simplex coexistentia *vita socialis.*

*Conclusio.* **Primum principium ordinis juridici est : Cuique suum** ($2^a$ $2^{æ}$, q. 58, a. 11).

*Probatur.* 1° Ordo juridicus se habet ad ordinem moralem sicut pars integralis ad totum. *Atqui.* Primum principium ordinis moralis est : *Bonum est faciendum. Ergo.* Primum principium ordinis juridici est : *Bonum est faciendum in materia justitiæ. Subsumo, Atqui.* Hoc exprimitur dicendo : *Cuique suum. Ergo.* Primum principium ordinis juridici est : *Cuique suum.*

*Probatur minor subsumpta.* « Materia justitiæ est operatio exterior, secundum quod ipsa vel res qua per eam utimur, proportionatur alteri personæ ad quam per justitiam ordinamur. Hoc autem dicitur esse suum unicuique personæ quod ei secundum proportionis æqualitatem debetur. Et ideo proprius actus justitiæ nihil aliud est quam reddere unicuique quod suum est. » Unde sicut *bonum* est illud quod primo apprehenditur a ratione practica, ita primum quod apprehenditur in ordine justitiæ est *debitum,* id quod unicuique debetur et exprimitur dicendo : Cuique *suum.*

2° Primum principium debet esse : *a*) irreducibile ad aliud, *b*) universalissimum, *c*) simplicissimum, *d*) cognitu facillimum, *e*) implicita ratio ceterorum. *Atqui.* Ita est de principio : *Cuique suum. Ergo.*

## ARTICULUS VI

### *De fine et de origine juris.*

#### § 1. — De fine juris.

377. *Conclusio* 1ª. **Jus-facultas essentialiter ordinatur ad utilitatem subjecti.**

*Probatur.* Jus est quædam potentia. *Atqui.* Potentia essentialiter ordinatur ad actum. *Ergo.* Jus essentialiter ordinatur ad actionem et ad utilitatem inde provenientem.

*Dicunt.* Ergo, jus oritur ex egoismo. — *Respondeo. Negative,* egoismus enim quærit proprium bonum inordinate; jus vero est facultas moralis, ideo tendit ad actionem ordinatam.

*Conclusio* 2ª. **Jus-objective habet pro fine ordinare relationes hominum inter se per respectum ad debitum strictum.**

*Probatur.* Ethica ordinat actiones humanas per respectum ad finem ultimum, quod obtinetur per quatuor virtutes cardinales. Ergo, sicut temperantia habet pro objecto et fine ordinare motus appetitus sen-

sitivi in prosecutione boni sensibilis secundum ordinem rationis, ita justitia habet pro objecto et fine ordinare operationes voluntatis per respectum ad alios homines in materia stricte debita. Jus autem est objectum justitiæ.

### § 2. — De origine juris.

378. Jus considerari potest vel *quoad esse essentiæ*, vel *quoad esse existentiæ*. Quoad esse essentiæ, est universale et abstractum, v. g. quare matrimonium sit indissolubile. Quoad esse existentiæ, consideratur jus concretum et realiter existens, v. g. quare Petrus vir et Anna uxor indissolubili vinculo colligati teneantur ad invicem.

#### I. De origine juris spectati quoad esse essentiæ.

*Conclusio* 1ª. **Omne jus procedit a lege.**

*Probatur.* Jus-facultas procedit ex jure-objective. *Atqui.* Jus-objective procedit ex jure quod est lex : lex enim est regula justi. *Ergo.* Omne jus procedit a lege : jus positivum a lege positiva, jus naturale a lege naturali.

379. *Conclusio* 2ª. **Jus positivum considerari debet non solum in ordine ad arbitrariam voluntatem legislatoris quæ est fons principalis juris, sed maxime in ordine ad historicam evolutionem status socialis.**

*Declaratur.* Voluntas legislatoris dicitur principalis fons legis, non tamen unicus : independenter enim a legislatore profundam recipiunt leges immutationem a consuetudine vel a jurisprudentia.

*Probatur,* ex facto manifestissimo. Jus hodiernum non est jus medioævale et multo minus jus antiqui imperii romani. Insufficienter tamen vellet aliquis juris hodierni rationem reddere ex hoc quod jus in tali et tali materia determinatum fuerit a lege talis vel talis diei. Licet enim aliquando potuerit aliqua lex quamdam innovationem inducere in statu sociali, longe frequentius præcessit status socialis immutatio et secuta est lex ad hujusmodi immutationem ordinandam, exempli gratia, durante sæculo XIX per totam Europam crevit quidam status socialis resultans ex conditionibus laboris longe diversus a statu priorum sæculorum, et quidem sub legislatione valde deficienti. Hodie vero in singulis Parlamentis agitantur quæstiones de conditione opificum.

Et in hoc consentimus eximiis operibus recentiorum Jurisconsultorum qui de ea re præclare tractaverunt. Sed ut jam notavimus, de-

berent ista opera intitulari de origine vel evolutione *juris positivi,* non juris simpliciter : immerito enim ad solum jus positivum, excluso jure naturali, restringunt campum juris.

380. *Conclusio* 3ª. **Jus naturale procedit immediate a lege naturali et ultimatim a lege æterna.**

*Probatur* 1ª *pars,* quia regula omnis justi est lex. Sic quando dico : Vinculum matrimonii est indissolubile de jure naturæ, sensus est quod considerata natura hominis et natura illius relationis juridicæ quæ est vinculum matrimonii, illa relatio est essentialiter et ex natura sua indissolubilis. *Sed* relationes essentiales in ordine morali pendent a lege naturali (n. 301). *Ergo.* Jus naturale immediate procedit a lege naturali.

2ª *pars probata,* est supra n. 318, ubi exposuimus quomodo ultimum fundamentum legis naturalis sit lex æterna.

*Nota.* Sic solvitur illa quæstio, quæ multis recentioribus visa est insolubilis, de relatione inter inclinationes egoisticas et inclinationes altruisticas hominis, utrum sc. egoismus pendet ab altruismo vel e contra altruismus ab egoismo. — *Respondemus.* Neutrum ab altero pendet, sed utrumque, sc. et egoismus et altruismus, ordinatur ab aliquo superiori, a lege naturali quæ obligat ex auctoritate supremi Conditoris.

### II. De jure quoad esse existentiæ.

381. Subjectum juris est omne et solum ens rationale (n. 370). Non tamen ex natura humana quam omnes possident æqualiter, gaudent omnes homines æqualiter omnibus iisdem juribus, sed sicut diversitas rerum principium est ordinis et pulchritudinis in mundo physico, ita diversitas jurium ordinem et pulchritudinem generat in statu sociali. Omnes quidem homines, ex eo quod habent æqualiter naturam humanam, æquali gaudent capacitate ad acquirenda jura, non vero necessario possident æqualia jura. Errorem J.-J. Rousseau de absoluta æqualitate hominum confutabimus in Sociologia : hic sufficiat animadvertere quod sicut in sylva non dantur duo folia omnino æqualia, ita in ordine sociali maxima est diversitas jurium in singulis hominibus.

382. Existentia juris realiter existentis in concreto procedit ab aliquo facto quod dicitur *factum juridicum* et quo actuatur juridica capacitas resultans ex natura rationali. Sic omnes homines habent eamdem capacitatem radicalem ut fiant proprietarii, sed quod Petrus sit de facto proprietarius hujus agri, hoc provenit ex aliquo facto, sc. ex

eo quod emit illum vel hæreditate obtinuit illum. Sic omnes homines æqualiter habent eamdem capacitatem ut, servatis servandis, possint inire matrimonium, sed quod inter Petrum et Annam existat vinculum matrimoniale, hoc provenit ex aliquo facto, sc. ex consensu contrahentium in celebratione matrimonii emisso.

Factum juridicum actuans jus idem est ac *titulus* juris (n. 355). Unde jus reale pendet a duplici elemento : 1° a lege, quæ constituit essentiam juris, v. g. matrimonium est indissolubile; 2° a facto juridico quo actuatur essentia juris, v. g. indissolubilitas matrimonii inter Petrum et Annam præsupponit mutuum consensum datum in celebratione matrimonii.

Factum juridicum distinguitur duplex. Aliquando est independens a voluntate illius qui est subjectum juris, et tunc simpliciter dicitur *factum;* aliquando pendet ab ipsa voluntate illius qui est subjectum juris, et tunc a quibusdam dicitur *actio*. — Factum independens a voluntate subjecti potest provenire *a*) vel a natura (jura connata, accessio) ; *b*) vel ab alterius activitate sive justa (negotiorum gestio), sive injusta (damnificatio) ; *c*) vel a lege positiva (conditiones successionis ab intestato). — Actio dependens a voluntate subjecti potest provenire *a*) vel ab ejus voluntate sola (occupatio) ; *b*) vel a concursu voluntatis ejus cum alterius voluntate (contractus).

383. Similiter *extinguuntur* jura. — Aliquando per factum independens a voluntate nostra, et hoc factum pendet *a*) vel a natura (mors subjecti quoad jura personalia, naturalis destructio rei possessæ) ; *b*) vel ab alterius activitate, sive justa (extrema necessitas), sive injusta (destructio rei, ex qua tamen oritur jus ad exigendam indemnitatem); *c*) vel a lege justa (præscriptio). — Aliquando per actionem dependentem a voluntate nostra, *a*) vel a sola voluntate subjecti (derelictio rei) ; *b*) vel a concursu voluntatis ejus cum alterius voluntate (solutio debiti, compensatio, novatio contractus). Ad alterutrum pertinere possunt adimpletio conditionis, exercitium actionis rescissoriæ, etc...

FINIS ETHICÆ GENERALIS.

# INDEX

## PROLOGUS


Pagin.

TERTIA PARS PHILOSOPHIÆ..... 1

§ 1. *Quid sit Ethica.*

I. Quantum ad nomen. II. Quantum ad rem. *Concl.* Ethica est scientia..... *ibid.*

§ 2. *Objectum Ethicæ.*

Scientiarum objectum multiplex. I. OBJECTUM MATERIALE. *Concl.* Est actus humanus. Actus humanus est actus liber. — II. OBJECTUM FORMALE QUOD. *Concl.* Est moralitas. — III. RATIO FORMALIS SUB QUA. *Concl.* Sunt prima principia rationis practicæ. — IV. SUBJECTUM ATTRIBUTIONIS. *Concl.* Est ens morale.... 3

§ 3. *Scopus Ethicæ.*

*Concl.* Scopus Ethicæ est dirigere activitatem humanam in finem ultimum. *Coroll.* Ethica est scientia practica. Non est idem ac prudentia. Non est ars.... 5

§ 4. *De ordine morali.*

I. Quid sit. — II. Quomodo se habeat ad ordinem physicum..... 8

§ 5. *Definitio Ethicæ*..... 9

§ 6. *Necessitas et excellentia Ethicæ.*

I. NECESSITAS. *Concl.* 1ª. Quovis tempore Ethica fuit in se absolute necessaria. *Concl.* 2ª. Nostris diebus specialiter necessarium est studium Ethicæ. — *Scholion :* Novus Ethicæ conceptus juxta quosdam recentiores. — II. EXCELLENTIA : *Concl.* Scientiarum practicarum est simpliciter excellentissima..... *ibid.*

§ 7. *Unitas Ethicæ.*

Unitas duplex. — I. De unitate transcendentali. *Concl.* Ethica est scientia essentialiter una. Objectiones. — II. De unitate numerica..... 11

§ 8. *Methodus in Ethica.*

I. De certitudine in rebus moralibus. — II. De ipsa methodo. Objectiones. De usu doctrinæ revelatæ. Specialiter laudatur Ethica S. Thomæ. Dotes studentium..... 13

§ 9. *Quomodo se habeant inter se Ethica et Sociologia*..... 16

§ 10. *Divisio Ethicæ*..... 17

# PARS PRIOR

## ETHICA GENERALIS

Pagin.

CAPUT I. DE FINE ULTIMO.

**Art. 1. De fine in genere.**

Finis notio et definitio. — Divisiones. — Notio et definitio boni. — Divisiones boni. — Finis et bonum : sunt idem re, sed differunt ratione. — *Concl.* 1ª. Homo libere agens semper agit propter aliquem finem. — *Concl.* 2ª. Omnibus quidem creaturis, specialiter tamen homini, competit agere propter finem. — *Concl.* 3ª. Ex fine specificantur actus humani ..... 20

**Art. 2. De fine ultimo : An et qualis sit.**

Notiones. — *Concl.* Necesse est dari aliquem finem ultimum totius humanæ vitæ. Errores. Probatur. Solvuntur objectiones. Corollaria ..... 25

**Art. 3. De fine ultimo : Quomodo appetatur.**

Notiones. — *Concl.* 1ª. Necesse est quod omnia quæ homo appetit appetat propter ultimum finem. — *Concl.* 2ª. Impossibile est quod voluntas unius hominis simul se habeat ad diversa sicut ad ultimos fines. — *Concl.* 3ª. Licet appetant omnes homines eumdem finem ultimum quoad rationem formalem, non tamen quoad ipsam rem. — *Concl.* 4ª. Ex appetitione finis ultimi veri vel falsi discriminatur vita humana bona vel mala. — *Concl.* 5ª. Eo perfectior est vita humana quo magis actualiter intendit verum finem ultimum. — *Concl.* 6ª. Omnia agentia naturalia appetunt eumdem finem ultimum objectivum, non formalem ..... 34

**Art. 4. De beatitudine in genere.**

Definitio. — Divisiones. — I. De beatitudine supernaturali. — II. De beatitudine naturali ..... 38

**Art. 5. De beatitudine objectiva.**

Errores. — Conditiones veræ beatitudinis ..... 39

§ 1. *De his in quibus beatitudo non consistit :* 1° Non in divitiis ; 2° non in honoribus ; 3° non in gloria ; 4° non in potestate. — Sensualismus vel hedonismus. 5° Non in bonis corporis ; 6° non in voluptate. — Stoicismus. 7° Non in anima, neque in aliquo bono animæ ; 8° non in congerie omnium prædictorum bonorum ..... *ibid.*

§ 2. *In quo consistat. Concl.* In nullo bono creato, sed in solo Deo consistit beatitudo hominis. Solvuntur objectiones ..... 41

**Art. 6. De beatitudine formali.**

*Concl.* 1ª. Consistit in operatione. — *Concl.* 2ª. Non in operatione partis sensitivæ. — Variæ sententiæ. — *Concl.* 3ª. Non in duobus actibus. — *Concl.* 4ª. Non in actu voluntatis. — *Concl.* 5ª. Non in actu intellectus practici, sed in contemplatione. *Scholion* ..... 43

**Art. 7. De adeptione beatitudinis.**

I. De possibilitate adipiscendi beatitudinem ..... 44

II. De ipsa beatitudinis adeptione. *Concl.* 1ª. Perfecta beatitudo non potest haberi in hac vita. — *Concl.* 2ª. Nullo fundamento nititur doctrina Metempsychoseos. — *Concl.* 3ª. Naturæ humanæ convenientius videtur asseri in ipso instanti mortis terminari debere statum vitæ per respectum ad finem ultimum ..... 45

III. De duabus proprietatibus beatitudinis adeptæ. *Concl.* 1ª. Beatitudinem sequitur delectatio summa. — *Concl.* 2ª. Beatitudo semel habita essentialiter inamissibilis est ..... 46

IV. De privatione beatitudinis. *Concl.* Est summum malum ..... 47

Pagin.

**Art. 8. De fine hujus vitæ præsentis supremo.**

*Concl.* 1ª. Finis hujus vitæ supremus consistit in directione ipsius vitæ ad beatitudinem vitæ futuræ. — *Concl.* 2ª. Ad istum finem non pertinet etiam tanquam elementum secundarium, moderata prosperitas temporalis. — *Concl.* 3ª. Finis iste principaliter attingitur voluntate et non intellectu. — *Concl.* 4ª. In virtute consistit vera felicitas hujus vitæ. — *Coroll.* 1ᵐ : In hoc splendet mirabilis ordo divinæ sapientiæ. 2ᵐ : Sic confutatur error Kantii. 3ᵐ : Sic confutatur error Pessimismi ..... 47

CAPUT II. DE ACTIBUS HUMANIS PSYCHOLOGICE CONSIDERATIS.

Actus elicitus, actus imperatus ..... 51

**Art. 1. De his quæ conveniunt omnibus actibus humanis generaliter.**

§ 1. *De voluntário.*

Definitio. Divisiones ..... 52

§ 2. *De involuntario.*

Notio et radices ..... 54

I. De violentia.

Definitur. — *Concl.* 1ª. Violentia non potest inferri quoad actus elicitos voluntatis, sed solum quoad actus imperatos. — *Concl.* 2ª. Violentia absoluta causat involuntarium simpliciter ..... *ibid.*

II. De metu.

Definitio. Divisiones. — *Concl.* 1ª. Quæ fiunt ex metu sunt mixta ex voluntario et involuntario. — *Concl.* 2ª. Quæ fiunt ex metu sunt voluntaria simpliciter et involuntaria secundum quid ..... 55

III. De concupiscentia.

Definitio. Divisiones. — *Concl.* 1ª. Concupiscentia antecedens auget voluntarium sed minuit liberum. — *Concl.* 2ª. Concupiscentia consequens nec minuit nec auget voluntarium, sed est signum intensitatis ejus ..... 56

IV. De ignorantia.

Notiones. Divisiones. — *Concl.* 1ª. Ignorantia antecedens causat involuntarium. *Concl.* 2ª. Ignorantia concomitans nec facit voluntarium, nec involuntarium, sed non voluntarium. — *Concl.* 3ª. Ignorantia consequens non tollit voluntarium, minuit tamen, nisi sit affectata ..... 57

§ 3. *De circumstantiis actuum humanorum.*

Quid sit circumstantia. — *Concl.* 1ª. Circumstantiæ actuum humanorum accidentia eorum dicendæ sunt. — *Concl.* 2ª. In Ethica considerandæ sunt circumstantiæ actuum humanorum. — *Concl.* 3ª. Convenienter enumerantur septem circumstantiæ. — *Concl.* 4ª. Principaliores sunt *propter quid* et *ea in quibus est operatio* ..... 59

**Art. 2. De actibus elicitis a voluntate.**

*Concl.* Sex sunt actus eliciti a voluntate : tres circa finem et tres circa media. — Schematicus conspectus exhibens 12 actus partiales sive intellectus sive voluntatis qui concurrunt ad integritatem actus humani. I. Circa finem. 1. Simplex apprehensio. 2. Simplex volitio. 3. Judicium proponens finem. 4. Intentio. II. Circa media. 5. Consilii prima pars. 6. Consensus. 7. Consilii secunda pars. 8. Electio. III. Circa executionem. 9. Imperium. 10. Usus activus. 11. Usus passivus. 12. Fruitio ..... 60

**Art. 3. De actibus imperatis a voluntate.**

§ 1. *De actu imperii.*

Quid sit imperium ..... 66

I. An necessario admittendum sit imperium. — *Concl.* Datur in homine imperium respectu suarum potentiarum ..... *ibid.*

Pagin.

II. An imperium sit actus intellectus vel voluntatis. — *Concl.* 1ª. Ad actum imperii pertinet aliquid ex parte intellectus et aliquid ex parte voluntatis. — *Concl.* 2ª. Impossibile est quod æque immediate ab utraque potentia procedat. *Concl.* 3ª. Imperium procedit elicitive et immediate a ratione et mediate a voluntate. Solvuntur objectiones ..... 67

III. Quomodo se habeant inter se imperium et actus imperatus. — *Concl.* 1ª. Imperium et actus imperatus, licet sint quoad se duo actus distincti, tamen non efformant nisi unum actum humanum. — *Concl.* 2ª. In actu humano composito, actus imperatus se habet ut materia et imperium ut forma. — *Dubium :* Quomodo possit imperium esse simul causa agens et forma ..... 69

§ 2. *De actibus qui imperantur.*

Actus intellectus, voluntatis, appetitus sensitivi, membrorum corporis, vitæ vegetativæ ..... 71

CAPUT III. DE ACTIBUS HUMANIS MORALITER CONSIDERATIS.

**Art. 1. Notio moralitatis.**

§ 1. *Definitio moralitatis.*

*Concl.* 1ª. Speciali modo attenditur bonum et malum in actibus humanis. — *Concl.* 2ª. Ex actibus humanis quidam sunt moraliter boni et quidam moraliter mali. *Quær.* Quid intelligatur per actum moraliter bonum vel moraliter malum. — *Concl.* 3ª. Actus humani, et quidem soli, specifice dividuntur per bonos et malos. *Coroll.* — *Nota :* de terminologia modernorum ..... 72

§ 2. *De conditionibus actus moralis.*

*Concl.* Moralitatis fundamentum proximum est libertas, remotum ratio ..... 75

**Art. 2. De formali constitutivo moralitatis.**

§ 1. *De constitutivo moralitatis quoad rationem suam genericam.*

Opiniones. *Concl.* Moralitas consistit formaliter in relatione reali transcendentali actus ad regulam morum. Probatur. *Coroll.* 1. Non est relatio rationis. 2. Non est relatio prædicamentalis. 3. Non consistit in denominatione extrinseca. 4. Non consistit in libertate. Solvuntur objectiones ..... 77

§ 2. *De ratione formali boni moralis.*

Opiniones. *Concl.* Bonitas moralis non est idem ac physica entitas actus ..... 84

**Dubium.** Utrum moralitas addat aliquid distinctum supra entitatem physicam actus liberi? — Variæ formæ ejusdem dubii. Opiniones. — *Concl.* Actus physicus specificatur ab objecto in esse physico et non ab objecto in esse morali; et econverso actus moralis specificatur ab objecto in esse morali et non ab objecto in esse physico. Probatur 1°. Universaliter de omni actu humano; 2° specialiter de actu elicito voluntatis. *Scholion.* Objectum physicum et objectum morale ..... 87

§ 3. *De formali ratione mali moralis.*

**Dubium I^m.** Quodnam sit subjectum immediatum privationis quæ reperitur in malo morali. — *Concl.* Ad rationem mali moralis requiritur privatio rectitudinis non solum ex parte potentiæ, sed etiam ex parte actus ..... 93

**Dubium II^m.** Utrum ratio formaliter constitutiva mali moralis consistat in privatione an in aliquo positivo. — *Concl.* In actu positivo, ratio formaliter constitutiva mali moralis non consistit in sola privatione, sed in aliquo positivo. 94

**Art. 3. De essentiali discrimine inter bonum et malum.**

Positivismus moralis. — *Concl.* Sunt quædam actiones humanæ essentialiter bonæ et quædam essentialiter malæ. Probatur. Solvuntur objectiones. — *Coroll.* 1. Moralitas non pendet a lege civili. 2. Nec ab opinione. 3. Nec a libera Dei voluntate ..... 95

Pagin.

**Art. 4. De facultate cognoscitiva moralitatis.**

Errores. — *Concl.* Judicium de rebus moralibus pertinet ad intellectum et principaliter ad intellectum practicum. — *Coroll.* 1. Non ad sensum corporalem. 2. Non ad sensum spiritualem. — *Scholion.* Schema eorum quæ ad cognitionem moralitatis concurrunt ..... 99

**Art. 5. Vera regula moralitatis.**

Doctrina Catholica et opiniones. — *Concl.* 1ª. Regula proxima moralitatis est ratio humana. — *Concl.* 2ª. Regula suprema moralitatis est lex æterna ..... 101

**Quæres 1°.** An per rationem intelligi debeat conscientia? Moralitas objectiva et subjectiva; materialis et formalis. Quid sit ratio recta. — *Coroll.* — *Concl.* Apud S. Thomam, bonum morale essentialiter importat ordinem ad rationem, tanquam ad suam propriam regulam ..... 106

**Quæres 2°.** An dicendum sit regulam moralitatis esse naturam humanam? Regula formalis et fundamentalis. I. De regula proxima et formali. — *Concl.* Natura humana non est regula proxima boni moralis. Doctrina S. Thomæ. Probatur. Solvuntur difficultates. — Ratio non supponit pro natura. — II. De regula fundamentali et remota ..... 112

**Quæres 3°.** Utrum natura humana dici possit regula fundamentalis moralitatis? Sensus quæsiti. — *Concl.* Natura humana considerata in momento anteriori ad legem æternam et independenter ab ea, nullimode dici potest fundamentum moralitatis ..... 118

**Quæres 4°.** An recte dicatur moralitatem pendere a fine ultimo? Opiniones. — *Concl.* Recte dicitur moralitatem pendere a fine ultimo. Solvuntur objectiones. 120

**Quæres 5°.** An dici possit moralitatem pendere ab ordine essentiali rerum? Declaratur responsio affirmativa ..... 124

**Quæres 6°.** An sit admittenda distinctio moralitatis per objectivam et formalem? — *Concl.* Distinctio moralitatis per objectivam et formalem, licet sano sensu intellectu vera sit et ab omnibus admissa, facile tamen pluribus confusionibus occasionem præbet ..... 125

**Art. 6. Errores circa regulam moralitatis.**

I. Systemata empirica : Sensualismus, Utilitarismus privatus et socialis, Evolutionismus, Progressismus. — II. Systemata idealistica : Stoicismus, Neostoicismus Kantii, Pessimismus Schopenhauer, Antipessimismus Nietzche ..... 127

**Art. 7. De fontibus moralitatis.**

Status quæstionis. Fontes moralitatis. — *Concl.* 1ª. Prima moralitas actus humani attenditur ex objecto. Declaratur objectum. Probatur Conclusio. *Coroll.* Contra errorem Kantii. — *Concl.* 2ª. Aliquam moralitatem accipiunt actus humani ex circumstantiis. — *Concl.* 3ª. Actiones humanæ moralitatem accipiunt ex fine. *Coroll.* 130

**Art. 8. De concursu multiplicis moralitatis.**

§ 1. *De multiplici moralitate in genere.*

*Concl.* 1ª. Non repugnat multiplex species moralitatis in uno actu morali. — *Concl.* 2ª. Idem actus humanus non potest esse simul bonus et malus. — *Concl.* 3ª. Actus malus ex uno capite non necessario privatur omni bonitate ex aliis capitibus ..... 136

§ 2. *De moralitate ex parte circumstantiarum.*

*Concl.* 1ª. Omnis circumstantia addens novum respectum ad rationem addit novam speciem moralitatis. — *Concl.* 2ª. Ex circumstantiis : *a*) aliæ sunt ad moralitatem impertinentes, *b*) aliæ addunt novam bonitatem vel malitiam specie distinctam, *c*) aliæ augent vel minuunt eam in eadem tamen specie. — *Concl.* 3ª. Circumstantia tribuens novam speciem moralem dicitur transire in conditionem objecti ..... 138

Pagin.

§ 3. *De moralitate ex parte finis.*

*Concl.* 1ª. Actus humanus specificatur a fine, tanquam a principio formali. — *Concl.* 2ª. Quando non differt finis operantis ab objecto, unica est differentia specifica, et quidem ex objecto proveniens. — *Concl.* 3ª. Quando differt finis operantis ab objecto, duæ sunt differentiæ specificæ disparatæ, sed moralitas essentialis pendet ab objecto..... 140

**Art. 9. De indifferentia actuum humanorum.**

*Concl.* 1ª. Dantur actus humani indifferentes ex sua specie. — *Concl.* 2ª. Impossibile est dari actum indifferentem in individuo. — *Concl.* 3ª. Agere propter solam delectationem est moraliter malum. — *Concl.* 4ª. Si consideretur moralitas ex parte solius objecti, dividitur in tres species quæ sunt actus ex specie sua bonus, vel malus, vel indifferens. Si vero consideretur actus moralis, prout realiter existit in concreto, tunc genus adæquate dividitur per duas species quæ sunt actus bonus et actus malus..... 141

**Art. 10. De moralitate actuum interiorum.**

§ 1. *De intentione et electione absolute.*

*Concl.* 1ª. Bonum et malum in actibus elicitis voluntatis proprie attenditur secundum objecta. — *Concl.* 2ª. Moralitas actuum interiorum voluntatis dependet ex solo objecto. *Coroll.* 1. Non ex circumstantiis. 2. Nec a fine independenter ab objecto. — *Quær.* Utrum circumstantia intensitatis vel durationis augeat moralitatem intentionis?..... 144

§ 2. *De intentione et electione per respectum ad invicem.*

I. Intentio bona et electio mala.

*Concl.* 1ª. Præcedens intentio bona ex sequenti electione mala non vitiatur; actus tamen erit simpliciter malus. — *Concl.* 2ª. Prava electio ex bona intentione non cohonestatur; unde finis non justificat media. — *Concl.* 3ª. Pravæ electionis malitia ex bona intentione aliqualiter minuitur..... 149

II. Intentio mala et electio bona.

*Concl.* 1ª. Electio bona ex prava intentione vitiatur. — *Concl.* 2ª. Prava intentio ex honesta electione non rectificatur. — *Concl.* 3ª. Mala tamen intentio partialis, ac præcipue concomitans, non totaliter vitiat actionem..... ..... *ibid.*

§ 3. *De conformitate ad divinam voluntatem.*

*Concl.* 1ª. Voluntas, ut sit bona, debet conformari voluntati divinæ. — *Concl.* 2ª. Non tamen semper requiritur conformitas in volito materiali. — *Dubium.* An divina voluntas dici possit regula moralitatis..... 150

**Art. 11. De moralitate actuum exteriorum.**

Actus exterior quid sit..... 152

§ 1. *Utrum actus exterior habeat moralitatem et qualiter.*

Actus exterior comparatus interiori. Opiniones. Denominatio extrinseca duplex. — *Concl.* 1ª. Aliqui actus exteriores spectati secundum se absolute, id est in esse essentiæ, sunt formaliter boni vel formaliter mali, et hoc non dependet a voluntate. — *Concl.* 2ª. Moralitas ex objecto et circumstantiis formaliter inest actui exteriori in rerum natura, et non derivatur a voluntate. — *Concl.* 3ª. Actus exterior, si spectetur reduplicative ut est effectus actus interioris est bonus vel malus, non formaliter sed denominative. — Applicatio. 1ᵘˢ *casus :* Moralitas ex fine tantum; 2ᵘˢ *casus :* Moralitas ex fine simul et objecto, quando differt finis ab objecto; 3ᵘˢ *casus :* Moralitas ex fine simul et objecto, quando idem est finis et objectum. — *Quær. :* Utrum actus exterior comparetur ad interiorem sicut effectus ad causam agentem, vel ut materia ad formam? — Refelluntur alia corollaria. — Objectiones. — Exponitur textus S. Thomæ in 2 Sent. d. 40, q. 1, a. 1..... 153

Pagin.

§ 2. *Utrum actus exterior aliquid addat moralitatis supra actum interiorem.*
Opiniones. — *Concl.* 1ª. Quando actus exterior indifferens est ex objecto, tum per se nullam addit moralitatem actui interiori, sed solum per accidens, quod contingit tripliciter : vel propter multiplicationem, vel propter continuationem, vel propter intensitatem actus interioris. — *Concl.* 2ª. Quando actus exterior habet propriam moralitatem ex objecto, tum addit moralitatem voluntati, scilicet complementum ipsius ; nisi forte completa voluntas involuntarie impediatur ab actu exteriori..... 161

**Art. 12. De extensione moralitatis.**

§ 1. *De effectu directe intento.*
*Concl.* Ex eo quod effectus directe intentus sequatur vel non, nihil additur moralitati actus exterioris. Corollarium..... 164

§ 2. *De effectu volito in causa, seu de voluntario indirecto.*
Principium Iᵐ. — Principium IIᵐ..... *ibid.*

§ 3. *De cooperatione ad malam actionem alterius.*
Definitio. Divisio. Præcipuæ formæ. — *Concl.* 1ª. Cooperatio formalis ad peccatum alterius semper intrinsece mala est, atque ideo nunquam licita. — *Concl.* 2ª. Cooperatio materialis est per se illicita. — *Concl.* 3ª. Cooperatio vero mere materialis, si fiat ex justa et proportionata causa, licita est..... 165

§ 4. *De periculo peccandi.*
*Concl.* Moraliter mala est actio quæ inducit proximum peccandi periculum, nisi adsit causa proportionate gravis et voluntas efficaciter velit adhibere media unde periculum fiat remotum..... 166

CAPUT IV. DE QUIBUSDAM CONSECTARIIS MORALITATIS.

**Art. 1. De peccato.**

Malum, peccatum et culpa. — I. Definitio. — II. Divisiones. — III. De peccato philosophico. — IV. Distinctio specifica et numerica. — V. De comparatione peccatorum ad invicem. *Concl.* Peccata non sunt æqualia. *Quær.* Undenam mensuretur gradus malitiæ in peccatis. — VI. De peccato mortali et veniali. *Concl.* Differentia formalis inter peccatum mortale et peccatum veniale consistit in hoc quod peccatum mortale est aversio a fine ultimo seu deordinatio circa ipsum finem, peccatum veniale est deordinatio circa media et consequenter solum retardatio, non aversio a fine ultimo. — VII. De peccatis capitalibus. *Concl.* Septem sunt peccata capitalia..... 167

**Art. 2. De imputabilitate et responsabilitate.**

§ 1. *Quid sit.*
Imputatio et imputabilitas. Responsabilitas. Divisiones. Processus criminalis compendiosa expositio. Philosophiæ juris pœnalis præcipua capita. — *Concl.* 1ª. Admittenda est actionis moralis imputabilitas ac consequenter agentis moralis responsabilitas. — *Concl.* 2ª. Imputabilitatis ac consequenter responsabilitatis fundamentum est libertas. Corollaria. — *Concl.* 3ª. Etsi imputabilitas cum moralitate semper conjungatur, ab illa tamen distingui debet. — *Concl.* 4ª. Inefficaciter sustinetur imputabilitas ac consequenter responsabilitas a deterministis et omnibus qui negant libertatem. — *Concl.* 5ª. Sicut aliquando in homine de facto totaliter destruitur libertas et responsabilitas, ita de facto aliquando datur imminuta libertas et imminuta responsabilitas. — *Concl.* 6ª. Judicium de responsabilitate delinquentium pertinet ad prudentem medicum, sana philosophia instructum. — *Concl.* 7ª. Falso asseritur dementes olim punitos esse ut moraliter responsabiles..... 173

§ 2. *De modernis theoriis adversus responsabilitatem.*
Schola Anthropologiæ criminalis vel Sociologiæ criminalis. — I. Theoria delinquentis nati. — II. Theoria atavismi moralis. *Concl.* Hujusmodi atavismus mo-

Pagin.

ralis est rejiciendus. — III. Theoria pathologica. *Concl.* Nec admittenda est explicatio mere pathologica criminalitatis. — IV. Theoria causarum socialium. *Concl.* Neque ex theoria causarum socialium demonstratur irresponsabilitas delinquentium..... 178

**Art. 3. De merito et demerito.**

Definitiones. Conditiones meriti. Divisiones. — *Concl.* 1ª. Homo actibus suis potest mereri vel demereri apud alios homines. — *Concl.* 2ª. Homo actibus suis potest mereri vel demereri apud societatem. Corollarium. — *Concl.* 3ª. Homo actibus suis potest mereri vel demereri apud Deum. Solvuntur objectiones..... 181

CAPUT V. DE PASSIONIBUS ANIMÆ.

**Art. 1. De passionibus psychologice.**

§ 1. *De subjecto passionum.*

Quid sit passio : 1° quantum ad nomen : 2° quantum ad rem..... 184

§ 2. *Passionum classificatio.*

*Concl.* 1ª. Ratione subjecti distinguuntur passiones appetitus concupiscibilis et appetitus irascibilis. — *Concl.* 2ª. In actibus animæ actus ad diversas potentias pertinentes sunt non solum specie sed etiam genere diversi ; actus autem vel passiones respicientes diversa objecta specialia comprehensa sub uno communi objecto illius potentiæ differunt sicut species illius generis. — *Concl.* 3ª. Distinguuntur passiones secundum contrarietatem boni et mali. — *Concl.* 4ª. Passiones irascibilis distinguuntur secundum accessum vel recessum. — *Concl.* 5ª. Singulare est in passione iræ quod non potest habere contrarium. — *Concl.* 6. Specifice distinguuntur absque contrarietate passiones ejusdem potentiæ secundum diversos gradus consideratos in processu appetitivi motus. — Conspectus 11 passionum animæ. — *Concl.* 7ª. Præter has undecim principales passiones, dantur aliæ minus principales, quæ sc. habent objectum magis determinatum et particulare, et inter quas attenditur differentia quasi accidentalis. — De affectibus voluntatis..... 185

**Art. 2. De passionibus moraliter.**

§ 1. *Quomodo habeant in se moralitatem formaliter sumptam.*

*Concl.* 1ª. Passiones, si considerentur secundum se, omni moralitate destituuntur. — *Concl.* 2ª. Passiones si considerentur secundum quod subjacent imperio rationis et voluntatis, habent moralitatem sicut ceteri actus humani. — *Concl.* 3ª. Quædam tamen passiones ex natura sua sunt bonæ vel malæ moraliter.. 191

§ 2. *Quomodo se habeant ad moralitatem causaliter.*

Distinctiones. — *Concl.* 1ª. Passio antecedens minuit moralitatem actus. — *Concl.* 2ª. Passio consequens per modum redundantiæ non est causa, sed signum majoris moralitatis. — *Concl.* 3ª. Passio consequens per modum electionis addit ad moralitatem actus..... 192

CAPUT VI. DE HABITIBUS, VIRTUTIBUS ET VITIIS.

**Art. 1. De habitibus in genere.**

§ 1. *Quid sit habitus.*

*Concl.* 1ª. Habitus ponitur in genere qualitatis. — *Concl.* 2ª. Habitus ponitur in prima specie qualitatis. *Nota.* — *Concl.* 3ª. Habitus disponit bene vel male. — *Concl.* 4ª. De ratione habitus est quod sit difficile mobilis. — *Concl.* 5ª. Habitus distinguuntur entitativi vel operativi, secundum quod bene vel male disponunt in essendo vel in operando. — *Concl.* 6ª. Habitus definitur : Qualitas difficile mobilis secundum quam subjectum disponitur bene vel male, in seipso vel ad aliud. — *Concl.* 7ª. Habitus possunt distingui activi vel passivi, prout ex consuetudine acuitur vel hebetatur sensibilitas. — *Concl.* 8ª. Habituum opera-

Pagin.

tivorum effectus est tollere facultatis indeterminationem ut operari possit uniformiter, prompte et delectabiliter..... 194

§ 2. *De subjecto habituum.*

*Concl.* 1ª. Habitus operativus est in potentia tanquam in subjecto. — *Concl.* 2ª. Omnis potentia quæ diversimode potest ordinari ad agendum indiget habitu quo bene disponatur ad suum actum. Corollarium..... 197

§ 3. *De causa habituum.*

*Concl.* 1ª. Habitus generantur ex repetitione actuum. — *Concl.* 2ª. Ex natura habentur quidem dispositiones, non vero habitus proprie dicti. — *Concl.* 3ª. Habitus non generatur ex uno actu, sed aliquando ex una passione.....

§ 4. *De distinctione habituum.*

*Concl.* 1ª. Habitus non cognoscuntur nisi per suos actus. — *Concl.* 2ª. Habituum distinctio desumitur ex actibus. Corollaria..... 199

**Art. 2. De virtutibus in communi.**

§ 1. *Definitio virtutis*..... 200

§ 2. *De subjecto virtutum.*

*Concl.* 1ª. Virtutes subjectantur in potentiis animæ. — *Concl.* 2ª. Una virtus non potest esse in pluribus potentiis ex æquo, bene tamen cum subordinatione. — *Concl.* 3ª. Intellectus potest esse virtutis subjectum. — *Concl.* 4ª. Irascibilis et concupiscibilis possunt esse subjectum virtutis..... 201

**Art. 3. De virtutibus moralibus.**

§ 1. *Quid sit virtus moralis.*

*Concl.* 1ª. Præter virtutes intellectuales dantes virtutes morales. — *Concl.* 2ª. Virtus non est idem ac scientia. — *Concl.* 3ª. Genus virtutis adæquate dividitur per duas species virtutum intellectualium et virtutum moralium. — *Concl.* 4ª. Ex virtutibus moralibus, aliæ sunt circa operationes, aliæ circa passiones. — *Concl.* 5ª. Tristitia de his quæ conveniunt virtuti non potest simul esse cum virtute, sed de his quæ quocumque modo repugnant virtuti, virtus moderate tristatur..... 203

§ 2. *De proprietatibus virtutum moralium.*

*Concl.* 1ª. Virtus moralis consistit in medio. *Nota.* Medium rationis et medium rei. — *Concl.* 2ª. Virtutes morales in statu perfecto ita sunt connexæ, ut qui una caret nullam perfecte habeat. — *Concl.* 3ª. Omnes virtutes morales quoad se consideratæ non sunt æquales, sed una virtus est alia major. — *Concl.* 4ª. Omnes virtutes unius hominis sunt æquales quadam æqualitate proportionis..... 205

**Art. 4. De virtutibus cardinalibus in communi.**

*Concl.* 1ª. Non nisi virtutes morales possunt esse cardinales. — *Concl.* 2ª. Quatuor sunt virtutes cardinales, sc. prudentia, justitia, temperantia et fortitudo. — *Concl.* 3ª. Virtutes cardinales dupliciter considerari possunt : vel 1° secundum communes rationes formales, et sic sunt generales et alias sub se continent; vel 2° secundum quod denominantur ab eo quod præcipuum est in unaquaque materia et sic sunt speciales et contra alias divisæ..... 208

**Art. 5. De singulis virtutibus cardinalibus et earum partibus.**

Pars triplex : integralis, subjectiva, potentialis..... 210

I. Prudentia..... 211

II. Justitia..... *ibid.*

III. Fortitudo..... 214

IV. Temperantia..... 215

**Art. 6. De vitiis.**

*Concl.* 1ª. Peccatum est simpliciter pejus vitio, vitium tamen est secundum quid

Pagin.

pejus peccato. — *Concl.* 2ª. Plura sunt vitia quam virtutes. — *Concl.* 3ª. Vitia omnia non sunt, ut virtutes, connexa. — *Concl.* 4ª. Vitia non sunt omnia æqualia ..... 216

CAPUT VII. DE LEGIBUS.

**Art. 1. De obligatione morali.**

§ 1. *Quid sit obligatio moralis.*

*Concl.* Obligatio moralis est necessitas moralis aliquid agendi vel omittendi categorica. De formali constitutivo. Definitio ..... 218

§ 2. *An sit admittenda moralis obligatio.*

*Concl.* Admittenda est moralis obligatio. Dubium ..... 221

§ 3. *Quomodo se habeant inter se moralitas et obligatio.*

Opiniones. — *Concl.* Differt obligatio ab honestate ..... 223

**Art. 2. De lege in communi.**

§ 1. *Definitio legis.*

I. Quantum ad nomen. II. Quantum ad rem. Definitur lex : Rationis ordinatio; ad bonum commune; ab eo qui curam habet communitatis: promulgata. Aliæ definitiones. Lex et præceptum. Lex et consilium ..... 224

§ 2. *Divisiones legis* ..... 230

**Art. 3. De lege æterna.**

§ 1. *An sit et quid sit.*

*Concl.* Admittenda est lex æterna. — *Quær.* 1° Quomodo se habeat ad ideas divinas? 2° vel ad Providentiam? 3° An sit lex in sensu proprio: *Coroll.* 1ᵐ. Non est inventum Scholasticorum. 2ᵐ. Non est ethnica doctrina incaute admissa a Scholasticis ..... 231

§ 2. *Ad quæ se extendat lex æterna.*

*Concl.* 1ª. Legi æternæ subjiciuntur omnia entia creata. — *Concl.* 2ª. Aliter tamen subjiciuntur creaturæ rationales et aliter irrationales. — *Concl.* 3ª. Etiam inter homines aliter subjiciuntur boni et mali ..... 234

§ 3. *An si fons omnium aliarum legum.*

*Concl.* Omnes aliæ leges derivantur a lege æterna. *Schol.* 1ᵐ. Ex ea in hoc mundo omnia mirabiliter illustrantur. 2ᵐ. Est proprius fons ad evertendum Modernismum ..... 236

**Art. 4. De lege naturali quoad se.**

§ 1. *An sit.*

Errores. — *Concl.* Datur in homine lex naturalis ..... 237

§ 2. *Quid sit.*

Opiniones. *Concl.* 1ª. Lex naturalis est essentialiter dictamen seu propositio dictans obligationem. — *Concl.* 2ª. Legis naturalis præcepta quandoque subduntur actuali considerationi rationis, et tunc sunt lex in actu secundo. — *Concl.* 3ª. Quandoque vero sunt in ratione habitualiter tantum, et tunc sunt lex in actu primo; non tamen sunt habitus proprie ..... 239

§ 3. *De variis præceptis et de primo principio legis naturalis.*

*Concl.* 1ª. Plura sunt præcepta in lege naturali, tamen ipsa est una. — DE PRIMO PRINCIPIO LEGIS NATURALIS. Primum principium cognoscitivum et constitutivum. — *Concl.* 2ª. Primum legis naturalis principium cognoscitivum est. Bonum est faciendum et malum vitandum. — DE DIVERSORUM PRÆCEPTORUM CLASSIFICATIONE. *Concl.* 3ª. Ex parte materiæ, distinguuntur præcepta secundum diversas hominis inclinationes, vel prout est substantia, vel prout est animal, vel prout est rationalis. — *Concl.* 4ª. Formaliter, id est ex parte modi quo in lege naturali continentur, præcepta sunt in triplici differentia :

Pagin.

principia communia, conclusiones immediatæ, conclusiones mediatæ. *Coroll.* Inde præcepta primaria et secundaria ..... 241

**Art. 5. De proprietatibus legis naturalis.**

§ 1. *Universalitas.*

*Concl.* 1ª. Lex naturalis ad omnes homines se extendit. — *Concl.* 2ª. Infantes et amentes obligantur non in actu secundo, sed in actu primo ..... 244

§ 2. *Cognoscibilitas.*

*Concl.* 1ª. Principia communissima a nemine possunt ignorari. — *Concl.* 2ª. Conclusiones immediatæ a paucis et vix invincibiliter ignorari possunt. — *Concl.* 3ª. Conclusiones vero mediatæ facilius ab incultis ignorantur ..... 245

§ 3. *Immutabilitas.*

Mutari multipliciter ..... 246

*Dubium* 1m. An Deus dispensare possit in præceptis legis naturæ? Sententiæ. *Concl.* 1ª. Ex S. Thoma : in quibusdam præceptis primariis dispensavit Deus improprie, sc. mutando materiam præcepti ; in quibusdam vero præceptis secundariis dispensavit proprie. — *Concl.* 2ª. In præceptis primariis legis naturæ Deus dispensare non potest proprie sed improprie tantum ; in præceptis secundariis dispensare potest proprie ..... 247

*Dubium* 2m. An lex naturæ ex naturali evolutione mutationem patiatur? Opiniones. *Concl.* Lex naturalis est immutabilis ab intrinseco, unde mutari non potest ex naturali evolutione ..... 248

**Art. 6. De fundamento obligationis legis naturalis.**

Gravitas quæstionis ..... 249

De fundamento obligationis positivæ. — *Concl.* Obligatio positiva fundatur super obligatione naturali ..... 250

De fundamento obligationis naturalis. *Nota* ..... *ibid.*

§ 1. *De fundamento proximo.*

*Concl.* 1ª. Fundamentum proximum obligationis moralis est ordo essentialis rerum. Coroll. — *Concl.* 2ª. Finis ultimus, licet sit terminus relationis, etiam dici potest fundamentum obligationis. — *Quær.* An finis ultimus objectivus vel formalis ..... *ibid.*

§ 2. *De fundamento ultimo.*

Errores et sententiæ. — 1° Ratio autonoma. — *Concl.* 1ª. Ultimum obligationis fundamentum non est aliud ab ipso Deo, sed est lex æterna. Solvuntur objectiones. — 2° Opiniones. *Concl.* 2ª. Lex æterna, quæ est ultimum fundamentum obligationis, non pertinet ad divinam voluntatem sed ad divinum intellectum. Solvuntur difficultates ..... 252

**Art. 7. De systemate morali Kantii.**

I. Exponitur. II. Confutatur. III. Alia systemata ..... 256

**Art. 8. De sanctione legis naturalis.**

Notiones. Divisiones. — *Concl.* 1ª. Lex naturalis necessario includit divinam sanctionem. — *Concl.* 2ª, specialiter de pœna : Peccatum inducit reatum pœnæ. Solvuntur difficultates. — *Concl.* 3ª. Sanctionis conceptus non nocet moralitati. — *Concl.* 4ª. Existit jam in hac vita sanctio quædam legis naturalis, sed imperfecta. — *Concl.* 5ª. Perfecta legis naturalis sanctio habetur in vita futura. — *Concl.* 6ª. Perfecta legis naturalis sanctio consistit in finis ultimi consecutione vel amissione. — *Concl.* 7ª. Huic tamen privationi finis ultimi convenienter additur experientia alicujus nocivi. — *Concl.* 8ª. Præmia et pœnæ alterius vitæ non erunt pro omnibus æqualia. — *Concl.* 9ª. Præmia et pœnæ alterius vitæ erunt æterna. Solvuntur objectiones ..... 259

Pagin.

**Art. 9. De lege Dei positiva.**

*Concl.* 1ª. In præsenti statu elevationis ad ordinem supernaturalum omnino necessaria fuit lex divina positiva circa præcepta ad vitam supernaturalem spectantia. — *Concl.* 2ª. Etiam quoad præcepta ad ordinem naturalem spectantia, moraliter necessaria fuit lex divina positiva, quæ suppleret legis humanæ insufficientiam ..... 270

**Art. 10. De Ethica independente.**

Quid sit. — *Concl.* Ethica independens sanæ philosophiæ repugnat ..... 272

**Art. 11. De lege humana.**

*Concl.* Leges humanæ procedunt a lege naturali, non tamen omnes eodem modo, sed cum aliqua differentia ..... 274

**Art. 12. De conscientia.**

§ 1. *Notio et divisiones.*

Notio. Munia. — *Concl.* 1ª. Conscientia est actus. — *Concl.* 2ª. Conscientia est conclusio syllogismi practici, cujus *Major* est præceptum legis universale et *Minor* conditiones facti a ratione practica propositæ. — *Concl.* 3ª. Conscientia est regula proxima moralitatis et obligationis. — Definitio. Divisiones. — *Quæres :* Quisnam sit proprius locus tractatus de conscientia in Ethica. — *Concl.* Secundum ordinem logicum primum poni debet tractatus de Legibus et deinde tractatus de Conscientia ..... 275

§ 2. *De conscientia erronea.*

*Concl.* 1ª. Nunquam licet agere contra conscientiam fortasse erroneam. — *Concl.* 2ª. Sola tamen conscientia invincibiliter erronea excusat a peccato .. 279

§ 3. *De conscientia dubia et probabili.*

Divisiones certitudinis. — *Concl.* Nunquam licet agere cum dubio practico de liceitate actus. — *Quær. :* Quænam certitudo requiratur. — De systematibus probabilitatis. Delimitatur materia controversiæ. Prænotanda. Varia systemata. Probabilismus. Æquiprobabilismus. Probabiliorismus. Systema compensationis ..... 281

CAPUT VIII. DE JURE.

Philosophia juris ..... 289

**Art. 1. De ipso jure in se.**

§ 1. *De juris notione et divisione.*

Quid sit jus 1° quantum ad nomen; 2° quantum ad rem. Tres significationes principales : Jus subjective. Jus objective ..... 290

§ 2. *Juris divisiones.*

Divisio I. juris, quoad tres significationes; II. juris præceptivi; III. juris objective; IV. juris subjective ..... 292

§ 3. *De proprietatibus juris.*

I. Limitatio. — II. Collisio. — III. Coactio. — *Concl.* 1ª. Jus est coactivum, id est coactivitate præditum. — *Concl.* 2ª. Coactivitas non constituit essentiam juris, sed est proprietas consequens jus. — *Concl.* 3ª. A fortiori actualis cogendi potestas non pertinet ad essentiam juris. — *Concl.* 4ª. In societate ordinata juris coactivitas generatim reservatur auctoritati publicæ ..... 295

**Art. 2. De officio in se.**

Notio et divisiones ..... 297

**Art. 3. De jure et officio inter se comparatis.**

Relatio juridicia. Ordo juridicus ..... *ibid.*

Pagin.

§ 1. *Quoad præcedentiam.*

*Concl.* 1ª. Ontologice loquendo prius est jus quam officium. — *Concl.* 2ª. In homine prius est officium quam jus. — *Concl.* 3ª. Si considerentur relationes duorum hominum inter se, officium unius oritur ex jure alterius ..... 299

§ 2. *Quoad oppositionem, seu de suspensione juris.*

Casus necessitatis. Necessitas triplex. Officium duplex. — *Concl.* 1ª. Nulla necessitas eximit ab adimplendo præcepto negativo legis naturalis. — *Concl.* 2ª. Necessitas extrema vel etiam gravis eximit ab officio adimplendi præceptum legis naturalis positivum, dummodo talis exemptio non involvat transgressionem præcepti negativi. — *Concl.* 3ª. Idem dicendum est de præceptis legis positivæ, sive divinæ, sive humanæ..... 299

**Art. 4. De subjecto juris et officii.**

Per respectum ad Deum..... 301

Per respectum ad entia creata. Errores. — *Concl.* 1ª. Omne et solum ens rationale subjectum juris esse potest. Corollaria. Objectio. — *Concl.* 2ª. Omne et solum ens rationale potest esse subjectum officii juridici ..... *ibid.*

**Art. 5. De ordine juridico naturali.**

§ 1. *Num detur ordo juridicus naturalis.*

Errores. Falsæ notiones juris naturalis. — *Concl.* Datur verum jus naturale ex quacumque lege positiva prorsus independens. Solvuntur difficultates..... 303

§ 2. *De jure gentium*..... 306

§ 3. *De relatione inter ordinem juridicum et ordinem moralem seu inter jus et ethicam.*

Recentiorum opiniones. — *Concl.* Ordo juridicus non est diversus ab ordine morali, sed sub ipso continetur tanquam pars sub toto. Corollaria. Nota... 308

§ 4. *De primo principio ordinis juridici.*

Opiniones. — *Concl.* Primum principium ordinis juridici est *Cuique suum*.... 310

**Art. 6. De fine et de origine juris.**

§ 1. *De fine juris.*

*Concl.* 1ª. Jus facultas essentialiter ordinatur ad utilitatem subjecti. — *Concl.* 2ª. Jus objective habet pro fine, ordinare relationes hominum inter se per respectum ad debitum strictum ..... 311

§ 2. *De origine juris.*

I. Quoad esse essentiæ.

*Concl.* 1ª. Omne jus procedit a lege. — *Concl.* 2ª. Jus positivum considerari debet non solum in ordine ad arbitrariam voluntatem legislatoris quæ est fons principalis juris, sed maxime in ordine ad historicam evolutionem status socialis. — *Concl.* 3ª. Jus naturale procedit immediate a lege naturali, et ultimatim a lege æterna..... 312

II. Quoad esse existentiæ.

Factum juridicum actuans jus. — De extinctione juris..... 313

TYPOGRAPHIE FIRMIN-DIDOT ET Cie. — PARIS.

1543

170
L23

Lehu, Leonardus

AUTHOR

Philosophia Moralis et Soci-

TITLE alis.

9/28